
JOACHIM NABUCO
SUAE SANCTITATIS PRAELATUS DOMESTICUS

PONTIFICALIS ROMANI
EXPOSITIO JURIDICO-PRACTICA

Functiones pontificales extraordinariae

TOMUS I
DE PERSONIS

PETROPOLI — BRASILIA
SUMPTIBUS EDITORA VOZES LTDA.
M CM XLV



PONTIFICI FUTURORUM BONORUM
JESU CHRISTO

TOTIUS LITURGICAE ORDINATIONIS
PRINCIPIO ET FINI
OMNIS PULCHRITUDINIS ET DECORIS
ORIGINI ET EXEMPLARI
OB INTEGRAM VALETUDINEM
SIBI RESTITUTAM
GRATO ANIMO
AUCTOR

D D D

Nihil obstat quominus imprimatur.

Petropoli, die 17 Octobris 1944.

FRIDERICUS VIER, O.F.M.

Censor.

IMPRIMATUR.

Petropoli, in festo sancti Petri de Alcantara,
Brasiliæ Patroni, die 19 Octobris, 1944.
Josephus, Epps Nictheroiensis.

ANSCHARIUS BELFORT
DIAGRAMMATA DELINEAVIT

PRAEFATIO

Non nisi post diuturnum studium sacrorum rituum Romanae Ecclesiae ausi sumus expositionem nostram Romani Pontificalis aggredi, nam res erat difficilis, iterque salebrosum. (*)

Rubricae Pontificalis non nunquam obscuritate laborant vel peccant brevitate; Pontificale inter et Caeremoniale episcoporum non semper exstat uniformitas; decursu temporis, consuetudines diversae huc illuc introductae fuere, aliquando praeter, alias positive contra rubricas, quarum aliae sunt secundum rationem, aliae non.

Praeterea solet Pontificale rubricam semel datam, in casibus similibus, non repetere; necesse est proinde rubricas inter se conferre, et, ex ipsis, principia seu regulas inferre; quam frequentissime dubia deponuntur ipso comparativo rubricarum studio, cum certum est legislatorem non velle sibi ipsi contradicere; accedit quod ritus, etiam prolixi, uti ecclesiarum consecratio, traduntur sine ullis divisionibus, quibus possint memoria teneri.

Congregatio sacris ritibus a Sixto V praeposita, frequenter interrogata circa dubia Pontificalis, respondit servetur Pontificale, *dubio non deposito. Praeterea multa decreta responsiones tantum sunt propositis dubiis, quae non raro ex ignorantia legis occurrebant, et saepe male redacta fuerunt ab inquisitoribus. Quapropter Romanum Pontificale explorare, explicare, explanare, tum in parte rituum tum in amplissima parte juridica, in usum praesertim episcoporum et praepositorum caeremoniarum, necessarium existimavimus. Prae oculis habuimus brevitatem sine claritatis nocumento, et cum, nostris praesertim diebus, tempus sit breve, quantum potuimus, fecimus ut ritus, praesertim prolixiores, quam expeditissime gravissimeque tractarentur simul et absolverentur.*

(*) "...s'il est un livre qui pose des problèmes c'est bien le pontifical. Que de rubriques, que d'usages, que de textes dont le sens exact et la signification profonde nous échappent". Les Questions liturgiques et paroissiales, 1931, pg. 86.

Notae, quae in fine diversarum partium inveniuntur, positae fuerunt ad expositionem nostram justificandam, nec erunt necessario legendae ad ritus expedite celebrandos.

De re historica, tam utili quam necessaria, et de intima rituum compositione, invenies tantum quantum necessarium erit ad ritum et jus hodiernum facilius intelligendum seu clarius explanandum.

Librorum liturgicorum perscrutatio, prout hodie exstant in Ecclesia, esto basis super quam oportet evolutioni rituum studere; praeterea scientia liturgica est res quaedam viva et actualis, non mere historice tractanda.

Conati sumus fugere censuram sancti Hieronymi qui de quibusdam sacrorum librorum commentatoribus dicebat eos abundare in planis et in salebrosis deficere.

Faxit Deus ut, ad communem aedificationem, tum ritus qui quotidie fiunt, tum illi qui rarius persolvuntur, eadem cum perfectione fiant, sicut decet Ecclesiam Dei, ad hoc enim laboravimus.

Dni. Ninus Minella et Fridericus Vier, OFM, totum opus diligentissime reviserunt. Bona omnia retribuat eis bonorum omnium Distributor!

Scribebam Flumine Januario in Brasilia.

J. N.

SIGLA USITATA

ASS — Acta Sanctae Sedis, Romae 1864-1908, 42 vol.

AAS — Acta Apostolicae Sedis, Romae 1909 ss.

SRC — Sacra Rituum Congregatio.

SO — Sacra Congregatio Sancti Officii.

SCS — Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum.

D — Decretum SRC. DD si plura. Citatur editio Leonis XIII.

CJC — Codex Juris Canonici.

IA — Interpretatio authentica Pontificiae Commissionis CJC. Citatur editio Joseph Bruno.

PR — Pontificale Romanum.

RR — Rituale Romanum.

MR — Missale Romanum.

CR — Caeremoniale Romanum, seu SS Caeremoniarum S.R.E. libri tres Augustini Patricii, Venetiis 1516. Citatur editio cum commentariis Catalani, Romae 1750-1. 2 tomi.

CE — Caeremoniale Episcoporum. Citatur 1.° loco n. libri; 2.° capituli; 3.° paragraphi.

MM — Martinucci, Manuale SS. Caeremoniarum, editio Manghini, Romae, 1911-15, 4 vol. Citatur volumen et pagina.

LVH — Le Vavasseur-Haegy: Les Fonctions pontificales, ed. 4.ª Stercky. In ritu Ordinationis *Cérémonial des Ordinations*, 4ème. éd. Stercky; in ritu consecrationis episcoporum *Cérémonial de la Consécration des Evêques*, 5ème. éd.; in 2.° vol.: *Cérémonial de la Consécration des Églises*, 7ème. éd.

APC — Annuaire Pontifical Catholique, Paris 1898 ss.

CV — Concilii Vaticani acta, decreta et documenta, edita a T. Granderath. Collectio Lacensis, tomus VII, Friburgi 1890.

Notae, quae in fine diversarum partium inveniuntur, positae fuerunt ad expositionem nostram justificandam, nec erunt necessario legendae ad ritus expedite celebrandos.

De re historica, tam utili quam necessaria, et de intima rituum compositione, invenies tantum quantum necessarium erit ad ritum et jus hodiernum facilius intelligendum seu clarius explanandum.

Librorum liturgicorum perscrutatio, prout hodie exstant in Ecclesia, esto basis super quam oportet evolutioni rituum studere; praeterea scientia liturgica est res quaedam viva et actualis, non mere historice tractanda.

Conati sumus fugere censuram sancti Hieronymi qui de quibusdam sacrorum librorum commentatoribus dicebat eos abundare in planis et in salebrosis deficere.

Faxit Deus ut, ad communem aedificationem, tum ritus qui quotidie fiunt, tum illi qui rarius persolvuntur, eadem cum perfectione fiant, sicut decet Ecclesiam Dei, ad hoc enim laboravimus.

Dni. Ninus Minella et Fridericus Vier, OFM, totum opus diligentissime reviserunt. Bona omnia retribuat eis bonorum omnium Distributor!

Scribebam Flumine Januario in Brasilia.

J. N.

SIGLA USITATA

ASS — Acta Sanctae Sedis, Romae 1864-1908, 42 vol.

AAS — Acta Apostolicae Sedis, Romae 1909 ss.

SRC — Sacra Rituum Congregatio.

SO — Sacra Congregatio Sancti Officii.

SCS — Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum.

D — Decretum SRC. DD si plura. Citatur editio Leonis XIII.

CJC — Codex Juris Canonici.

IA — Interpretatio authentica Pontificiae Commissionis CJC. Citatur editio Joseph Bruno.

PR — Pontificale Romanum.

RR — Rituale Romanum.

MR — Missale Romanum.

CR — Caeremoniale Romanum, seu SS Caeremoniarum S.R.E. libri tres Augustini Patricii, Venetiis 1516. Citatur editio cum commentariis Catalani, Romae 1750-1. 2 tomi.

CE — Caeremoniale Episcoporum. Citatur 1.° loco n. libri; 2.° capituli; 3.° paragraphi.

MM — Martinucci, Manuale SS. Caeremoniarum, editio Manghini, Romae, 1911-15, 4 vol. Citatur volumen et pagina.

LVH — Le Vavasseur-Haegy: Les Fonctions pontificales, ed. 4.ª Stercky. In ritu Ordinationis *Cérémonial des Ordinations*, 4ème. éd. Stercky; in ritu consecrationis episcoporum *Cérémonial de la Consécration des Evêques*, 5ème. éd.; in 2.° vol.: *Cérémonial de la Consécration des Églises*, 7ème. éd.

APC — Annuaire Pontifical Catholique, Paris 1898 ss.

CV — Concilii Vaticani acta, decreta et documenta, edita a T. Granderath. Collectio Lacensis, tomus VII, Friburgi 1890.

AEM — Acta Ecclesiae Mediolanensis, editio Achillis Ratti, Pii Papae XI. Acta a sancto Carolo condita. Tomi I et II. Mediolani 1890-2.

MARTÈNE — De antiquis Ecclesiae Ritibus. Citatur editio Venetiis 1783 edita.

BENEDICTUS XIV — Citatur editio Prati 1839-47 edita, 17 vol.

MORONI — Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica. Venezia 1840-61, 103 vol.

ANDRIEU — Michel Andrieu, Le Pontifical romain au Moyen-âge. Tome I: Le Pontifical romain du XII siècle, Città del Vaticano, 1938; tome II: Le Pontifical de la Curie Romaine au XIII siècle, ibidem 1940; tome III: Le Pontifical de Guillaume Durand, ibidem 1941.

LEROQUAIS — Victor Leroquais. Les Pontificaux manuscrits des Bibliothèques publiques de France. Paris 1937. 3 vols. de texte et 1 de planches in 4.°.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

Paucissimi auctores, data opera, de PR scripserunt, praesertim sub aspectu juridico-practico.

JOSEPHUS CATALANUS, Oratorii sancti Hieronymi, commentarium ad PR Romae edidit in tomis tribus, anno 1739; quod quidem opus, ob praeclara merita, iterum edidit Parisiis PROSPER GUERANGER, anno 1851. Ad hodiernum jus liturgicum cognoscendum tamen nec semper utile erit.

PIUS MARTINUCCI, apostolicis caeremoniis olim praepositus et Concilii Vaticani caeremoniarius alter, princeps edidit de sacris caeremoniis opus, in quo fere omnes ritus PR practice exponit *Manuale Sacrarum Caeremoniarum*, Romae 1869-1873. Editio 3.ª a Menghini revisa in lucem prodiit Romae 1915. Expositio maximae sane auctoritatis, in qua per quindecim annos adlaboravit auctor egregius. Sacri ritus a primo ad ultimum exponuntur, nulla interposita mora, eorumque analysis desideratur; praeterea nec rubricae nec SRC decreta explorantur, et functiones PR ab ipso quodammodo separantur.

LE VAVASSEUR, presbyter Congregationis Sancti Spiritus, eodem fere tempore expositiones edidit aliquorum rituum PR. Generatim sequitur Martinucci. Primus et unicus qui ritus, praesertim consecrationis ecclesiae, exposuit cum divisionibus analyticis, de quo exstat versio lusitana, Ulyssiponi 1886 edita.

ALOISIUS MORETTI recentissime edidit opus cui titulus *De sacris functionibus*, tomi quatuor. Taurini, 1936-39. In 3.° et 4.° tomis traduntur ritus fere omnes PR. Auctor agit per dissecationem rituum: primo actiones episcopi, deinde ministrorum; sic ritus consecrationis ecclesiae octocies ab initio reassumitur et explanatur. Quaestiones omnes, etiam difficiliores, summario modo solvit, non raro proinde corrigendus. Martinucci facilius digeritur.

JOSEPHUS MANY, presbyter Sancti Sulpicii, tria volumina in lucem Parisiis dedit, ubi frequenter de jure liturgico PR agit *De locis sacris*, 1904; *De sacra ordinatione*, 1905; *De Missa*, 1906. Opera claritate et praecisione laudanda et revera egregia.

PETRUS CARDINALIS GASPARRI in duobus operibus *De Eucharistia*, Parisiis, 1897 et *De ordinatione*, ibidem, 1900, frequenter de jure PR agit. Editiones tamen post CJC revisae desiderantur, sicut etiam Many. Opera maximae tamen auctoritatis.

Bibliographia specialis suis locis citatur. Vide notam 5.

PROLEGOMENA AD
ROMANUM PONTIFICALE

PROLEGOMENA AD ROMANUM PONTIFICALE

CAPUT I

DE ROMANI PONTIFICALIS DIGNITATE

1 Dignitas et nobilitas Romani Pontificalis ex ipsa natura sacrorum rituum qui in eo exponuntur desumitur; maxima pars etenim functionum quae explanantur cum Sanctissima Eucharistia arctissime coniunguntur.

Ad eam aptius recipiendam fideles sacro chrismate liniuntur; sacramentum ordinis exstat primario ut habeantur sacerdotes, quorum officium est Missae sacrificium offerre; sacrum pallium metropolitis traditur ut episcopum inter et Christi in terris Vicarium, qui Caeli claves habet, nexus appareat; sine unione cum Papa, illicite quisquis Eucharistiam celebraret; benedictio abbatis et abbatissae perfectionem vitae religiosae, sui ipsius praesertim renuntiationem, significant, et sunt fructus eucharisticae vitae Ecclesiae; virginum velatio et Jesu Christo oblatio certe uti perfecta quaedam participatio eucharistici sacrificii et cum divina victima unio est.

Primus ecclesiae lapis, qui in nomine Christi, totius Ecclesiae lapidis angularis et fundamentalis, ponitur, initium est ritus dedicationis ecclesiae, quae ab incunabulis Christo offertur; ecclesiae consecratio est purificatio atque sanctificatio loci in quo altaria aedificanda erunt; altaria consecrantur quatenus digna esse debent liturgicae oblationis super ipsis peragendae; ecclesia violata reconciliatur, ut denuo in ea Missa offerri possit; consecrantur campanae ut per eas fideles ad sacras functiones, inter quas primo loco Missa adnumeranda est, invitentur; calices et sacra supellex ad liturgiam celebrandam primum sanctificantur; imagines Deiparae et sanctorum benedicuntur quatenus ipsa Virgo nobis Eucharistiam donavit

et sancti per eandem salvi fuerunt; cruces speciali modo benedicuntur, nam Missa est sacrificii crucis renovatio; coemeteria Deo dicantur quasi perfecta consummatio verborum Christi, qui illos suscitare promisit, qui carnem suam manducant; olea sacra, quae Feria Quinta Maiore solemniter consecrantur, et quibus utitur Ecclesia in sacramentis vel sacramentalibus administrandis, nexum suum cum sacramento ordinis demonstrant, et cum aliis ritibus qui a sacerdotibus administrantur.

Qui sequuntur ritus de ordinibus in synodis vel visitationibus servandis, et cetera hujusmodi, quaeque ad solemnes actus administrationis Ecclesiae se referunt, etiam Eucharistiae conjunguntur, nam ex perfecta ordinatione diversarum partium Ecclesiae nascitur fructuosa receptio Sacramenti et consequens salus animarum.

Ii ritus omnes in Romano Pontificali, ex pervetustis Ecclesiae usibus, inde ab aureis saeculis fidei, referuntur, exponuntur, ita ut de illo dicere potuerit Batiffol, cl. m.: *Le Pontifical est le livre liturgique le plus magnifique que nous possédions* (1), et Leroquais *L'Occident tout entier... a travaillé à cette oeuvre grandiose* (2).

CAPUT II

DE OBLIGATIONE ROMANI PONTIFICALIS, DE EDITIONIBUS, DEQUE PARTIBUS EJUS

ART. I — DE OBLIGATIONE PONTIFICALIS

2 Constitutione apostolica *Ex quo in Ecclesia Dei,* data die 10 Februarii 1596, Clemens VIII Romanum Pontificale solemnissimo modo approbavit et promulgavit, in universali Ecclesia latina servandum, aliis omnibus pontificalibus abrogatis, sine ulla exceptione. Severissimis verbis usus est Pontifex: "Motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula Pontificalia in hunc usque diem in quibuscumque terrarum orbis partibus impressa et approbata, et quibusvis privilegiis apostolicis munita, et decretis ac clausulis roborata, per praesentes supprimimus et abolemus... eorumque usum interdicimus" (3).

Verba summi pontificis plenissimum obtinuerunt effectum, et ceterae ecclesiae, etiam eae quae proprio ritu cum Missali et Breviario approbato utebantur, Pontificale Clementis VIII receperunt, suis rejectis (4). Ex

his magis apparet auctoritas summa Pontificalis Romani, cum sit unicum in Ecclesia latina ab omnibus adhibendum.

ART. II — DE EDITIONIBUS PONTIFICALIS

3 Pontificale Romanum iterum editum fuit ab Urbano VIII die 17 Junii 1644, litteris *Quamvis alias,* demptis mendis et erroribus sed haud immutato textu (5).

Benedictus XIII, liturgista emeritus, ut functiones difficiles Pontificalis melius fierent, novam editionem typicam publici juris fecit *cum variis egregiisque figuris,* sed nulla facta in textu mutatione.

Benedictus XIV, liturgista maximus, cum apostolicis litteris *Quam ardenti studio,* datis die 25 Martii 1752, simul vulgavit Pontificale, Rituale et episcoporum Caeremoniale. In hac editione Benedictus XIV quaedam adjunxit, sed fere nihil in textu immutavit.

Ultima editio typica, tempore Leonis XIII facta, et Ratisbonae anno 1888 edita, cantum tantum mutavit et orthographiam meliore forma disposuit, adjectis accentibus (6).

Pius Papa XI, anno 1931, specialem commissionem ad Pontificale romanum reformandum constituit. Consulto tamen commissio putavit editionem antiquam esse iterum typis edendam, quousque tandem aliquando nova parari possit (7).

Editio Pontificalis, a Typis Vaticanis anno 1934 excusa, facta fuit ad exemplar editionis reverendae Camerae Apostolicae anni 1848 (8).

Concludendum proinde est hanc ultimam editionem eandem esse ac illam quam edidit Clemens VIII, cui uniformitatis amatores gratias quamplurimas referre debent, propterea quod in functionibus Romani Pontificalis uniformitatem sit consequutus, quae quidem pro aliis liturgicis libris adhuc desideratur.

ART. III — DE PARTIBUS PONTIFICALIS

4 Pontificale Romanum, inde ab editione Durandi, in tres dividitur libros.

In 1.° agitur de personis confirmandis, ordinandis, consecrandis vel benedicendis.

In 2.° inveniuntur benedictiones et consecrationes ecclesiarum et altarium cum aliis quae ad eucharisticam celebrationem ordinantur, seu de rebus.

In 3.° habentur ordines diversi in receptionibus, synodis, visitationibus et ceteris hujusmodi servandi; adjunguntur functiones certis per annum diebus celebrandae.

5 *Appendix.* Clemens VIII has tres tantum partes approbavit; sed cum Pontificale vel tradat ritus in plurali numero vel in singulari, et frequenter ordo numericus mutetur, ritus plurimi cum mutatione numerica introducti fuerunt: confirmatio et ordinatio in singulari, episcoporum et altarium consecratio in plurali. Praeterea cum quaedam functiones Ritualis Romani aliquando pontificali ritu fiant, annexae etiam fuerunt more episcoporum proprio; hi ritus, cum quibusdam aliis, in unum volumen venerunt sub titulo *Appendix* et *Supplementum ad appendicem.* In ritibus confirmationis et ordinationis ac consecrationis episcoporum rubricae quaedam mutatae vel novae apparuere; in ritu consecrationis ecclesiarum et altarium tamen transcribuntur rubricae 2ae. partis.

Diversae partes appendicis non unam habuerunt originem, nec fuerunt solemni modo approbatae sicut Pontificale ipsum. Pars appendicis primum apparuit in editione Benedicti XIII pro confirmatione et ordinatione unius et consecratione plurimorum episcoporum. Ritus pro adultorum Baptismo sumptus fuit ex *ordo servandus in Ecclesia Beneventana,* Cesenae 1683, jussu Cardinalis Ursini, postea Benedicti XIII, editus. Aliae editae fuerunt in editione Pontificalis reverendae Camerae Apostolicae anni 1848 et 1855, et quaedam tantum in editione Ratisbonensi anni 1888, in qua additum fuit supplementum appendicis. Appendix tamen suam habet auctoritatem cum fuerit a SCR approbata una cum postrema editione typica. Optandum ut in definitiva editione functiones 1ae. et 2ae. partium dentur una simul singulari et plurali numero, ut in RR frequenter habetur, et in appendice tantum functiones RR quae ritu pontificali fieri solent aliquando.

CAPUT III

DE RITIBUS OBSOLETIS ROMANI PONTIFICALIS

6 Licet Pontificale non sit liber historicus, in eo tamen nonnulli adhuc traduntur ritus non amplius in usu; quidam a plurimis saeculis obsoleti devenerunt, alii tantum recentioribus temporibus, quos omnes breviter intuebimur, eo quod in expositione PR omittuntur.

ART. I — IN PRIMA PARTE PONTIFICALIS

7 I — PROFESSIO MONASTICA. Ante benedictionem abbatis invenies ritum professionis monasticae, cum antiquitus non raro clerici non professi abbates eligerentur, et professionem religiosam, antequam benedicerentur, emittere debebant. Hodie talis abusus eradicatus est, et non nisi monachi solemniter professi in abbates eliguntur; proinde ritus professionis religiosae non amplius locum in PR habet, est enim pars ritualis monastici, et quidem perpulchra. Vide Paladini, De Ritu professionis religiosae in PR, Ep. lit. 1935, pg. 385. Optime tamen de monachorum professione agit Odo Casel O.S.B. *Die Mönchsweihe, Jahrbuch für Liturgiewissenschaft,* tomus, V, pg. 1, *Münster* 1925.

8 II — BENEDICTIO ABBATIS AUCTORITATE ORDINARII. Locorum ordinarii nequeunt amplius propria auctoritate abbates regulares instituere vel benedicere, et quando id faciunt, agunt ex apostolica delegatione; obsolevit proinde formula benedictionis abbatis auctoritate ordinarii, quam tradit PR post benedictionem abbatis auctoritate apostolica. De eadem tamen benedictione agitur, in qua pauca mutantur. Vide notam 205.

9 III — CORONATIO REGIS ET REGINAE. Pontificale tradit ritum pro benedictione et coronatione: 1) Regis solius; 2) Regis una cum regina; 3) Reginae solius; 4) Reginae ut regni dominae; 5) Regis electi in consortem.

Benedictio et coronatio regum seu reginarum, nostris hisce temporibus, obsolevit; nam etiam reges fidelissimi, christianissimi vel catholicissimi, unctionem brachii recipere vel solemniter coronari non voluere; postremi reges catholici consecrati, fuerunt Brasiliae Imperatores Petrus I, anno 1822, et Petrus II, anno 1841, Flumine Januario juxta ritum PR. Ritus in consecratione regis Hungariae, etiam recentissime servatus, paucis mutatis, in PR legitur. Vide Martène, tom. II, pg. 234. In ritu coronationis regum Angliae hodie in usu quaedam habentur e PR. excerpta.

In ritu coronationis regis optime expositam invenies doctrinam catholicam de relatione statum inter et Ecclesiam, deque obligationibus regum erga ecclesiasticam potestatem, fons est enim, et non spernendus, catholicae doctrinae.

10 IV — BENEDICTIO MILITIS. Solebat Ecclesia milites benedicere et solemniter militiae initiare, praesertim cum pro defensione Ecclesiae vel Terrae Sanctae, gladium accipiebant et itinera periculosa arripiebant. Ex illis multi, post vel ante benedictionem, professionem solemnem in uno ex ordinibus regularibus exsistentibus emittebant, ut sic facilius Deo militarent. Hodie tamen milites non amplius creantur, nec professionem religiosam emittunt, et qui, honoris causa, in ordinibus equestribus admittuntur, benedictionem PR non solent accipere.

ART. II — IN SECUNDA PARTE PONTIFICALIS

11 Obsoleta est solemnis benedictio capsarum pro reliquiis includendis; ejus enim loco habetur alia simplex benedictio in appendice PR, benedictio reservata, 4.

Obsolevit etiam benedictio et impositio crucis proficiscentibus in subsidium Terrae Sanctae, et benedictio armorum. Vide tom. II, n. *223*.

ART. III — IN TERTIA PARTE PONTIFICALIS

12 I — ORDO EXPULSIONIS PAENITENTIUM ET RECONCILIATIONIS EORUM. Usus erat antiquus ut peccatores revera paenitentes, in capite jejunii solemni modo ab ecclesia ejicerentur, et, facta per quadraginta dies paenitentia, Feria Quinta Maiore solemniter absolverentur. Hujusmodi ritus a pluribus saeculis obsoleti sunt nec ullo modo licet eos iterum introducere; certe e definitiva editione PR delentur, nam publica ab ecclesiis expulsio in jure, inter paenitentias quae in foro externo imponi fas est, non adnumeratur. CJC 2312, 2313. Tamen licet ordinariis introitum in ecclesiis peccatoribus interdicere. CJC 2291, n. 2.

13 II — ORDO SUSPENSIONIS ET RECONCILIATIONIS, DEPOSITIONIS ET RESTITUTIONIS, AC DEGRADATIONIS ORDINUM. Clerici, qui in crimina a jure praevisa incidunt, debent suspendi, deponi vel degradari, ad normam sacrorum canonum.

1 — *Suspensio ab ordinibus* est verbalis vel edictalis, et in PR, ad modum exempli, datur formula adhibenda; curiae episcopales tamen solent habere formulas proprias.

2 — *Reconciliatio* clerici suspensi, quae a PR vocatur etiam dispensatio, fit verbis vel scriptis; PR tradit formulam reconciliationis ad libitum adhibendam *Quamvis... publice commiseris.* Quam quidem formulam legere solebant episcopi solemni modo parati ante officia liturgica; obsolevit tamen, et reconciliatio hodie fit tantum instrumento curiae episcopalis, vel etiam verbalis sufficit.

3 — *Depositio ordinum* fieri debet scriptis instrumentis curiae episcopalis. PR tradit formulam *Quia nobis evidenter,* ad libitum adhibendam.

4 — *Restitutio ordinum* fieri solet per publicum instrumentum curiae tantum. PR tradit ordinem pro restitutione reali ordinum clericis depositis, quae ritibus sequentibus constat.

Episcopus paratus amictu, stola et pluviali coloris temporis, cum mitra simplici et baculo, sedens ad faldistorium, habet ante se, flexis genibus, clericum depositum, habitu talari nigro vestitum, sine vestibus sacris.

Surgit episcopus, sine mitra et baculo, et recitat versus et orationem *Deus, qui in sanctis habitas.* Tunc sedet pontifex et, accepta mitra, capiti clerici manum dexteram imponit dicens *In nomine Domini.* Deinde dicit, retenta manu dextera super caput clerici, formulam *Ego, licet peccator,* de qua habentur quatuor variationes prout clericus erit in minoribus ordinibus, in subdiaconatu, in diaconatu, vel in presbyteratu ordinatus. Demum sedens cum mitra ei dat benedictionem simplicem; denique clericus manum episcopi osculatur, discedit, et episcopus vestes sacras deponit.

Semper licet episcopis ordines clericis depositis juxta modum superius traditum restituere, sed generatim modus realis obsolevit et ordines restituuntur modo tantum edictali; praeterea solemnis restitutio supponit solemnem depositionem, quae non est in usu.

5 — *Degradatio ab ordinibus* est depositionis consummatio, quam supponit, et reductio clerici ad statum laicalem, paena proinde maxima. Degradatio esse potest verbalis vel edictalis, seu publico instrumento facta, et hic est modus receptus pro paena quae rarissime imponitur; sed degradatio esse potest realis, si clericus de facto degradetur ritu in PR descripto. Degradatio realis tamen multis ab hinc annis obsoleta evasit, et nunquam fit, nec fieri potest, cum clerici criminosi minime legibus Ecclesiae se subjiciunt; praeterea degradatio realis supponit traditionem criminosi in manus civilis potestatis. Quo tamen non obstante, de ea loquitur CJC, non est proinde prohibita, licet revera sit obsoleta. CJC 2305 § 3.

❯ Canonicae leges, quas tradit PR in hoc titulo, ante codicis piani promulgationem mutatae vel obsoletae jam erant, et post codicem vim legis non habent, propterea totum capitulum inter ritus non amplius in usu enumeravimus.

14 III — ORDO EXCOMMUNICANDI ET ABSOLVENDI. PR in hoc titulo ritus qui sequuntur tradit.

1 — Formula confessionis ab illo qui in excommunicationem minorem incurrit per participationem cum persona excommunicata; et subinde dat *formulam absolutionis* a sacerdote dandam. Utraque, prout habentur, sunt obsoletae; nam codex pianus nullam facit distinctionem inter excommunicationem maiorem et minorem, sed tantum inter excommunicatum vitandum et tolerandum.

2 — Formula excommunicationis maioris, quae in CJC vitanda dicitur et scriptis promulgari debet, datur per modum exempli, sed episcopus aliis verbis uti potest, cum nulla forma sit a CJC praescripta. PR supponit episcopum ipsum solemni modo sententiam suam legendo in ecclesia publici juris facere, sed pro excommunicatis vitandis tantum, et in casibus proinde omnino extraordinariis, qui vix aderunt.

3 — Absolutio ab excommunicatione. Functio ad fores ecclesiae peragitur. Paenitens ad singulos versus psalmorum 50 et 66 virga a pontifice percutitur. Facta absolutione, paenitens in ecclesiam introducitur. Prout exstat in PR ordo huiusmodi obsolevit, sed forma mitigata habetur in RR, tit. III, cap. 3. Vide tom. III, n. *239.*

4 — *Anathematizatio* seu solemnis excommunicatio, quae fit ab episcopo ritu uti sequitur:

Episcopus paratus amictu, stola et pluviali violacei coloris, ac mitra simplici, cum candela accensa in manu dextera, sedet in faldistorio ante altare, vel consulto ante fores ecclesiae; sacerdotes duodecim, induti superpelliceis cum candelis ardentibus in manu dextera, stabunt utrimque; excommunicandus non supponitur adesse.

Episcopus ipse legit formulam anathematizationis *Quia N. diabolo suadente* etc., et in fine sacerdotes praesentes dicunt ter *Fiat.* Deinde episcopus et duodecim sacerdotes candelas ardentes in terram projiciunt. Episcopus, depositis sacris vestibus, discedit in pace, et anathema ad valvulas ecclesiarum dioecesis apponitur.

Anathematizatio PR jam a multis annis obsolevit, de ea tamen loquitur codex pianus, propterea ejus usus non est prohibitus. CJC 2257, § 2.

5 — Absolutio anathematizationis. Ordo idem est ac ille pro absolutione excommunicati praescriptus, sed loco psalmorum 50 et 66, dicuntur septem psalmi paenitentiales, et, post reductionem absoluti in ecclesia, pontifex, ante altare et ad ipsum versus, recitat orationes *Majestatem tuam,* et *Deus..., qui secundum multitudinem.* Haec ultima oratio habetur etiam in officio agonizantium.

Absolutio solemnis, cum supponat solemnem anathematizationem, obsolevit.

❯ Leges canonicae huius tituli PR, quae a rubricis distingui debent, quaeque ordines in paenis imponendis vel absolvendis tradunt, vim legis jam ante CJC non amplius habebant.

15 IV — ORDO AD RECONCILIANDUM APOSTATAM, SCHISMATICUM VEL HAERETICUM. Ritus in praecedentibus titulis expositi supponunt in clerico vel laico absolvendo fidem orthodoxam; alio modo procedendum erat quando agebatur de fidelibus a fide apostatis, praesertim si in haeresi fuerant baptizati.

Ordo PR ad apostatas, schismaticos, vel haereticos reconciliandos, qui inter antiquiores Ecclesiae adnumerandus est, sequentibus componitur partibus:

1) Prima interrogatio circa fidem. 2) Exorcismus praeparatorius. 3) Obsignatio absolvendi. 4) Ingressus in ecclesiam, cum duabus collectis. 5) Secunda interrogatio circa fidem. 6) Formula absolutionis *Domine Deus omnipotens,* quae in sacramentario gelasiano invenitur, et quae fere identica est cum oratione Confirmationis, antiquitus enim absolutio ab haeresi habebatur uti receptio Spiritus Sancti. Vide De Puniet, *Le Pontifical,* vol. 2, pg. 312. 7) Ultimo absolvendus fidem suam Ecclesiae sacramento obstringebat.

Ritus PR obsolevit, et hodierno jure absolvendus primo facit professionem fidei, deinde absolvitur in foro externo ab excommunicatione, ritu praescripto a RR, tit. III, cap. 3, si revera sit excommunicationis sententia plexus, vel ad cautelam. Datur etiam formula recentior, quae habetur in collectanea SCFP, n. 1689, in appendice ad Concilium Ple-

narium Americae Latinae, pg. 764, et alibi; agitur tamen de formula mitigata RR pro protestantibus et aliis in haeresi baptizatis.

Episcopus volens apostatam vel haereticum solemniore modo personaliter ab excommunicatione absolvere, id facit paratus amictu, stola et pluviali violacei coloris, ac mitra simplici. Sedens ad faldistorium in medio suppedaneo recipit professionem fidei absolvendi, deinde procedit ad absolutionem censurae ritu in PR descripto, ubi de absolutione excommunicationis maioris, vel sequitur ritum eundem prout in RR habetur; ei assistent capellani duo cum superpelliceis et ministri insignium.

16 V — DE SCRUTINIO SEROTINO. Antiqui metropolitae, qui propria auctoritate suos suffraganeos consecrabant, solebant pridie consecrationem, vespertinis horis, solemniter recipere petitionem capituli ecclesiae viduatae, a quo electus metropolitae praesentabatur.

Ordo erat sequens: 1) Petitio archipresbyteri ecclesiae viduatae, qui, postquam ter petierat benedictionem metropolitae, ei praesentabat electionem capituli suae ecclesiae, cum petitione consecrationis. 2) Praesentatio electi, qui, postquam ter petierat benedictionem, postulabat in episcopum consecrari. 3) Super electo in plano prostrato, fiebat statio cum antiphona *Confirma hoc Deus* et ps. 67, versibus et collectis, deinde metropolita dabat solemnem benedictionem.

Die sequenti ordo consecrationis quibusdam modificationibus subjiciebatur: Facta postulatione a seniore episcopo, metropolita quaerebat utrum electus esset dignus; interrogatio mandatum apostolicum excludens. Deinde fiebat examen *Antiqua sanctorum patrum* usque ad osculum manus metropolitae inclusive. Electus postea jusjurandum fidelitatis metropolitae emittebat. Cetera fiebant de more, et in fine metropolita tradebat electo *Edictum de scrinio nostro,* in quo de obligationibus et virtutibus episcoporum agebatur.

Scrutinium vespertinum una cum potestate metropolitarum obsolevit, tamen permansit in PR quasi reliquia potestatis eorum. Andrieu tome II, pg. 351; tome III, pg. 374.

17 VI — DE BARBA TONDENDA ET DE OFFICIO PSALMISTATUS. De ritu servando quando primo clericorum barbae tondebantur, plura invenies apud Catalanum in fine tertii voluminis sui commentarii; obsolevit tamen. PR tradit formulam pro nominatione et degradatione cantoris;

obsoleta etiam; officium tamen psalmistatus juxta PR dari potest cum ordinatione neo clerici, sicut faciebat Durandus. Andrieu tome III, pg. 335.

CAPUT IV

REGULAE GENERALES SERVANDAE

18 Licet suis in locis dentur regulae in functionibus PR servandae, tamen sunt quaedam regulae generales quae, brevitatis gratia, nec semper repetuntur, et, cum sint semper servandae, ad maiorem claritatem coaptatas tradere decet.

19 PONTIFEX.

Accessus et discessus

1 — Ad functiones PR obeundas pontifex, habitu praelatitio indutus (ut in cap. V), ad ecclesiam accedit juxta regulas in Caeremoniali traditas. Si sit loci ordinarius, vel praelatus superioris gradus, cappa pontificali indutus, ad januam ecclesiae recipitur a clero, et, accepto hyssopo a digniore vel a rectore ecclesiae, seipsum primo, deinde clerum aspergit; vel, si functio sit privata et pontifex non sit cum cappa, recipitur a rectore ecclesiae et a caeremoniario tantum, vel a duobus canonicis si sit in ecclesia sua. D 3828, III.

Si episcopus non sit loci ordinarius, recipitur tantum a rectore ecclesiae, et a caeremoniario, qui ei porrigit aspersorium tangendum ut se signet cum aqua lustrali.

Pontifex, cum bireto in manu, ad altare SSmi. Sacramenti it ipse solus, praeeuntibus familiaribus et sequentibus aliis de clero, ubi, facta in planum genuflexione, aliquantulum flexis genibus orat; deinde ad locum functionis adit, ubi facit reverentiam cruci altaris, si ad altare facienda est functio; et, facta iterum brevi oratione flexis genibus ad faldistorium, ibidem sedet, vel, si functio in sacrario vel alibi incipienda est, facta reverentia cruci sacrarii, ad sedem sibi paratam accedit.

Pontifex ordine quo ad ecclesiam accessit, ab ea recedit, sine aspersione tamen.

Lotio manuum et vestitio 2 — Pontifex quando missa erit celebraturus, vel sacramenta confirmationis vel baptismatis administraturus, manus ante vestitionem lavat; pro aliis functionibus lotio manuum a PR non praescribitur, nec est proinde facienda (9). Lotio manuum tamen semper fit in fine functionum quando sacra olea inservierunt.

Nullae habentur regulae propriae pro vestitione episcopi in functionibus PR, caeremoniarii proinde procedent solito more.

De cruce pectorali nulla fit mentio in sequentibus titulis, sed eam deponit episcopus cum deponit vestes chorales et ante stolam accipit.

Mitra et baculus 3 — Mitra et baculus sunt correlativa (CE I, 17, 8), proinde cum deponitur mitra, deponitur etiam baculus et vicissim; quae quidem regula quasdam patitur exceptiones, ut suis locis dicetur, praesertim cum fieri debent ritus qui manus expeditas requirunt.

Pro regula habetur ut episcopus cum benedicit, consecrat, ordinat, mitram in capite teneat, quam deponit tantum cum orationes ad Deum dirigit, et in aliis casibus specialibus (10). Vide n. *36, 37, 38* infra.

Positio manuum 4 — "In orationibus omnium benedictionum (pontifex) stabit semper junctis manibus" (rubrica MR in feria 4.ª cinerum), quae regula in omnibus orationibus et invocationibus servari debet.

Cum pontifex baculum sustinet sinistra, dextera pectori apposita semper erit.

Cum dicit praefationes, manus extensas ante pectus habebit pontifex usque ad conclusionem exclusive (11).

Tenor vocis 5 — Quando officia fiunt in cantu, episcopus cantat non solum praefationes, si quae sint, sed etiam orationes seu collectas omnes et invocationes quas stans dicit, intonationes quae ipsi competunt, benedictiones finales, et quaedam alia suis locis notanda.

Quando officia fiunt sine cantu, orationes omnes ac invocationes seu praefationes et finales benedictiones recitantur elata voce sine cantu.

Benedictiones elementorum quae ritibus inserviunt, ut aquarum sacrarum vel cementi, fiunt clara voce sine cantu, etiamsi officium sit cum cantu, juxta regulam ab Antiphonali diurno statutam (ubi de tonis orationum) pro benedictione ignis et incensi in Sabbato Sancto.

Exhortationes et instructiones, quas episcopus sedens dicit, dicuntur elata voce sine cantu.

Formulae ordinationum, vestitionum, benedictionum, consecrationum, aspersionum, unctionum, dicuntur semper clara voce sine cantu, ita ut a ministris audiri possint, cauto tamen ne turbetur cantus scholae, qui generatim unctiones aliosve ritus comitatur.

Tonus in orationibus, benedictionibus et invocationibus adhibendus est semper simplex seu ferialis, cum tonus solemnis missae et officio reservetur; item in praefationibus tonus simplex semper adhibebitur ut in PR notatur.

Tonus simplex orationum fit recta voce a principio ad finem, sustentando tenorem, ubi alias fieret metrum et flexa, et in fine; si tamen clausula sit minor, id est, *Per Christum* (vel *eundem Christum*) *Dominum nostrum* vel *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum*, fit punctum per semiditonum in fine orationis et in fine conclusionis (fa-re).

Licet etiam in orationibus adhibere tonum simplicem qui ad libitum vocatur, et in Antiphonali diurno habetur; sed quando praecedit monitio *Flectamus genua* tonus solemnis ad libitum erit adhibendus loco simplicis ad libitum.

Reverentiae 6 — Inclinatio capitis ab episcopo facienda ad nomen *Jesu* et ad *Oremus* in principio orationum, fit semper versus crucem hastatam, si functio non sit ad altare; ad altare vero fit versus crucem ejus.

Candela 7 — Pontifex jus semper habet utendi candela, nisi praesens aderit praelatus superioris gradus.

Familiares 8 — Episcopum, sacros ritus PR celebraturum, sui familiares concomitabuntur, qui, si sint ecclesiastici, utentur habitu et cappa talari, si vero sint laici, habitu formali et cappa. Crucifer et caudatarius metropolitae, quoties ipse sacras induit vestes, cappam seu *croceam* deponunt, et induunt superpelliceum, quod facit caudatarius dioecesani. CE I, 15, 2.

20 SACRI MINISTRI

Quando adhibentur

1 — Sacri ministri inserviunt functionibus quae intra missarum solemnia fiunt, et etiam illis quae fiunt solemniter cum cantu extra missarum solemnia, ut suis locis dicetur.

Vestes

2 — Si functiones fiunt intra missarum solemnia regulae vestium sunt eaedem ac pro missa.

Si benedictiones seu consecrationes fiunt extra missarum solemnia sacri ministri inserviunt cum amictu, alba et cingulo, diaconus etiam cum stola diaconali concolori pontificis, quae quidem vestitio vocatur *in albis*.

Dalmatica et tunica, juxta pervetustam regulam, adhibentur tantum in functionibus quae sunt potius solemnitatis quam ministrationis, uti coronatio imaginis Deiparae.

Ministratio

3 — Ipsi directe pontifici inserviunt, nec unquam ab eo separantur, nisi ad thronum quando diaconi assistentes adstant.

In ordinationibus, benedictionibus et consecrationibus semper ministrant pontifici, et nunquam diaconi assistentes throni. CE I, 2, 8.

Diaconus, ad altare vel ad faldistorium, mitram et gremiale imponit et aufert; manutergium tradit et accipit, sicut etiam hyssopum, thuribulum et cochlear incensi.

Diaconus, vel alius, cum tradit pontifici instrumenta caeremoniarum, nimirum: hyssopum, cochlear, thuribulum, sculprum, forfices, consueta adhibebit oscula; sine osculis tamen tradit et accipit res aliis tradendas, vel ab aliis acceptas, uti instrumenta ordinationis, candelas vel similia.

Cum pontifex stat vel ambulat, sacri ministri oras pluvialis ejus hinc inde tenebunt.

Stantes semper ministrant; sedere poterunt dum fiunt praedicationes vel fit intervallum inter ritus.

Bireta semper deponunt cum actu pontifici inserviunt, vel etiam mitram, si de jure ea utantur.

Quando diaconi assistentes throni absunt, sive quia desiderantur, sive quia celebrans eorum assistentia a jure non gaudeat, sacri ministri etiam ad thronum inservient, si functio ibidem fiat.

Quinam sint

4 — Si rei sacrae praeses sit S.R.E. cardinalis, sacri ministri in aliqua ecclesiastica dignitate sint constituti. D 4284, II, 3. Si vero sit loci ordinarius in ecclesia sua sacri ministri canonici sunto; quod etiam servabitur, quantum fieri poterit, in civitate episcopali cum suis suburbiis (CJC 412 § 1) et laudabiliter in tota dioecesi, si adsint canonici.

21 PRESBYTER ET DIACONI ASSISTENTES.

Quando adhibentur

1 — Inserviunt functionibus quae fiunt intra missarum solemnia, juxta regulas pro missa solemni statutas.

Tempore ordinationum, benedictionum et consecrationum ad altare, loca sua sumunt in choro, vel, si non aderit chorus, ad scamnum extra altare, ne caeremonias intercludant, cauto tamen quod ad scamnum 1.° loco sedet presbyter, 2.° loco 1us. diaconus, 3.° loco 2us. diaconus, et non presbyter in medio quasi esset ipse celebrans.

In missis in quibus clerici sunt ordinandi vel olea sacra conficienda, archidiaconus fungitur officio presbyteri assistentis; vel si in ecclesia cathedrali non exstat capitulum canonicorum vel dignitas archidiaconi, presbyter assistens ejus explet vices. Vide notam 45.

Quinam sint

2 — Vide regulas pro sacris ministris datas, n. *20*, 4.

22 CAPELLANI ASSISTENTES.

Quid faciunt

1 — In functionibus PR in quibus sacri ministri non inserviunt, loco ipsorum pontifici ministrant capellani assistentes duo, superpelliceis induti.

Ipsi faciunt quod facerent sacri ministri; 1us. mitram et gremiale imponit et aufert (vide notam 95), thuribulum, naviculam, hyssopum, aliaque pontifici cum suetis osculis tradit, veluti diaconus; ambo vestes sacras episcopo imponunt seu potius 1mus, adjuvante 2do.

Capellani nunquam sedent, sed stantes utrimque prope pontificem ei ministrant.

Quinam sint

2 — In functionibus pontificalibus loci ordinarii in ecclesia cathedrali capellani canonici sunto; quod laudabiliter servabitur etiam in ecclesiis civitatis episcopalis cum suis suburbiis. CJC 412 § 1 (12).

Si functio fiat publice a S.R.E. cardinali, capellani sint in dignitate constituti vel canonici ecclesiae cathedralis. D 4284, II, 3.

Vestes

3 — Capellani canonici in sua dioecesi vel praelati superpelliceum super rochetum assument si ejus usu gaudeant, vel superpelliceum tantum, deposita cappa, mozeta vel manteleto, quae sunt vestes chorales et non ministrationis. DD 3700, II, 3804, I. Bireto nunquam utuntur, nisi in processionibus extra ecclesiam.

23 CAEREMONIARUM MAGISTRI.

Quot

1 — Pro functionibus maioribus duo aderunt caeremoniarii, 1us. qui totam actionem moderatur, quique curam specialem pontificis cum suis ministris habebit; 2us., qui agit secundum determinationes 1mi, et curam habebit ministrorum inferiorum. Aliquando etiam plusquam duo aderunt ut suis locis dicetur. Omnino necessarium est ut invicem conveniant circa modum agendi, ne oriatur confusio.

Quid faciunt

2 — In sequentibus capitulis fere nunquam eorum locus determinatur. 1us. prope episcopum, sed non ante eum, stabit; 2us. se sistet ubi convenientius juxta locorum adjuncta. 1us. locum vel functionem diaconi ne assumat, nam diaconus est qui ministrat.

Caeremoniarii assidue legant CE (I, 5) de dignitate sui officii et de ejusdem reddenda ratione, nam, si ritus male fiunt, culpa ipsis fere semper imputabitur.

Praeparatio rituum

3 — Perfecta rituum exsecutio, praesertim maiorum PR, magna ex parte ab eorum praeparatione pendet; quod si res bene et tempestive praeparatae non fuerint, functio certe male evolvetur, quae quidem praeparatio ad caeremoniarios praesertim spectat.

Eorum munus est ministros maiores et inferiores de officio ab unoquoque obeundo tempestive docendi.

Vestes

4 — Caeremoniarii vestes chorales, uno superpelliceo excepto, non adhibent, sed nec bireto utuntur et semper stantes munus suum exercent.

24 MINISTRI INFERIORES.

Quot

1 — Ad functiones, praesertim difficiliores, bene peragendas omnino necessarium est ut ministri inferiores tot sint quot adesse oportet, nec plus nec minus; excessus ministrorum sacrorum rituum exsecutionem nimis perturbat.

Si ritus a cardinali S.R.E. peragendus sit, ministri inferiores, quantum fieri poterit, erunt in minoribus ordinibus constituti. D 4284, II, 3 (13).

Crucifer et ceroferarii

2 — In functionibus solemnibus, quae fiunt extra altare, aderit semper crux cum intortitiis, nam non vult Ecclesia ut ritus solemnes sine cruce et luminaribus celebrentur. Crucifer cum ceroferariis unum efficiunt corpus, nec unquam ab invicem separantur.

Locus crucis, si episcopus extra altare genua flectit ad faldistorium, vel stans recitat orationes, est ante eum, nunquam retro post.

Quando pontifex ambulat per loca, aspergens vel alia faciens, imago Jesu erit tergo ad ipsum obversa, nisi sit metropolita.

Tempore unctionum vel aliorum rituum, crux aderit ubi melius conveniat, juxta locorum adjuncta, consulto ad sinistram episcopi, ne caeremonias vel visionem populi, qui ritus sequitur, impediat.

Candelabra cum cereis loco intortitiorum in functionibus 2ae. partis PR non sunt adhibenda.

Crucem ferre functio est subdiaconi, qui ad hoc adhibebitur si aderit, praesertim intra missarum solemnia.

Si functioni praeest metropolita ejus crux et non alia inservit; cauto tamen quod crucifer superpelliceum induit cum metropolita sacras capit vestes. D 1145, 2.

Cruficer cum ceroferariis nunquam flectunt genua, nec se signant, nec caput inclinant, sed quasi immobiles permanent.

Qui a sinistra crucis fert intortitium, illud sinistra manu portat, dextera pectori apposita; qui a dextris, dextera fert intortitium, sinistro pectori apposita.

Ministri insignium

3 — In functionibus pontificalibus aderunt semper quatuor clerici pro insignibus, videlicet baculo, mitra, pontificali, et candela; duo vel tres tantum quandoque baculus vel candela non adhibeantur.

Si functiones fiunt ad thronum intra missarum solemnia, ministri insignium utuntur pluvialibus super superpellicea et qui de mitra et baculo accipiunt vela serica, sub pluvialibus.

Ministri de libro et scotula stantes episcopo inserviunt, nisi necessitas expostulet ut genua flectant; si tamen celebret ordinarius vel praelatus superioris gradus ministri flectent genua quando praelatus sedens ad thronum vel ad faldistorium legit; ab invicem nunquam separantur; in processionibus minister de libro ibit a dextris et minister de candela a sinistris; ad thronum et ad faldistorium dum episcopus legit, minister de candela stabit a sinistris libriferi, id est, a dextris episcopi (CE, I, 20, 1), ita ut lux candelae super librum luceat, nisi, ex commoditate episcopi vel loci, aliud expostuletur.

Minister de libro semper cum libro clauso genuflectit vel reverentiam facit episcopo. Episcopo ostendere quid legere debeat officium est diaconi vel caeremoniarii, minime librigeri, qui tamen debet librum ad locum legendum aperire.

Ministri de mitra et baculo in processionibus procedunt ante ministros de libro et scotula; qui de mitra a dextris et qui de baculo a sinistris; ad altare minister de baculo stabit a latere evangelii et minister de mitra a latere epistolae, sed inverso ordine quando pontifex sedet ad faldistorium.

Qui de mitra illam tenebit cum vittis ad seipsum versis (CE I, 11, 6), et se sistit prope diaconum vel 1um. capellanum cum episcopus mitram accipere vel deponere debeat; ad thronum vero prope 1um. diaconum assistentem quoties episcopus mitram accipere debeat, et prope 2um. quando erit deponenda.

Minister de baculo illum directe episcopo tradit cum extremitate ad seipsum versa, osculatur prius baculum deinde manum episcopi, genuflectens unico genu, si pontifex jus habet ad genuflexionem; cum vero accipit baculum eodem ordine procedit, inversa tamen osculorum ordine; baculum tenens, extremitatem ejus ad extra habebit versa, et baculum semper velo tenebit (14).

Ministri thuribuli et aquarum

4 — In functionibus in quibus fit thurificatio, aderit clericus thuriferarius, qui etiam naviculam portat, excluso alio; thuribulum in manu sinistra habebit ante benedictionem incensi, et in dextera post eam.

Si aspersiones sint faciendae, clericus aderit pro vasculo aquae lustralis vel gregorianae.

Clerici duo de abaco.

5 — Etiam in functionibus quae fiunt extra missarum solemnia aderunt clerici duo ad abacum seu acolythi. Si unctiones sint faciendae, 1us. curam sacrorum oleorum habebit et 2us. gossipii ad illas abstergendas.

Lotionem manuum episcopo ministrant, nisi ad hoc adsint familiares ejus, sicut decet. Praeterea faciunt cetera omnia quae suis locis habentur. Si olea sacra adhibeantur expedit ut 1us. sit in subdiaconatus ordine constitutus, cum subdiaconorum officium est cura oleorum.

25 **CANTORES** in functionibus PR partem magni momenti habent in sacris obeundis ritibus et adstabunt semper habitu talari et superpelliceo induti.

Moderator cantus videbit ut partes cantus integraliter cantentur, nulla omissa, neve functiones propter cantum patiantur moram et attentus erit caeremoniario 1mo., ne cantus incipiantur vel finiantur ante vel post tempus proprium.

Cantores stantes cantant, sed genua flectunt ad litanias (CE II, 27, 19) et ad versum *Veni, Sancte Spiritus* vel *Veni, Creator* cum toto clero.

Advertant cantores:

1 — Litaniarum initium usque ad *Christe, exaudi nos* non duplicatur, nam duplicatio a rubricis sive PR sive RR non praescribitur, licet de ea fiat mentio in appendice Antiphonalis diurni.

2 — Juxta decretum SRC, die 22 Martii 1922 datum (sed in appendice collectionis authenticae omissum), in litaniis sanctorum, post invocationem *Ut cuncto populo,* addenda est alia *Ut omnes errantes* etc. uti in ultima editione RR habetur. Tit. V, cap. 3.

3 — In cantu hymni *Veni, Creator* doxologiam nunquam mutabunt. D 4036.

26 **CHORUS** seu clerus assistens unum efficit corpus, ab episcopo cum inservientibus sejunctum, nec ritibus se intromisceat, secus oritur confusio.

Intra missarum solemnia regulas pro missa statutas observet.

Extra missam, vel tempore ordinationum, benedictionum, consecrationum, exemplum a pontifice sumunt in sedendo, stando, genuflectendo.

27 REVERENTIAE ET GENUFLEXIONES. Ad *Gloria Patri* vel ad nomen *Jesu* caput ad crucem altaris inclinant omnes, vel, si sint extra ambitum altaris, ad crucem hastatam. Cum ab episcopo cantatur *Oremus* ipse solus caput inclinat.

Genuflexio facienda est cruci altaris tantum, et intra functiones quae ad altare fiunt; cruci hastatae, vel sacrarii seu reliquiarum aulae, fit tantum capitis inclinatio ab omnibus, licet de illa specialis mentio in sequentibus capitulis nec semper habeatur. D 2515, 7.

Si officium fit a loci ordinario, metropolita, apostolico in loco nuntio, S.R.E. cardinali, clerici qui ante eum transeunt quando sedet vel stat ad thronum vel ad faldistorium, vel coram eo pro aliqua caeremonia se sistunt, genuflectunt; et omnes, exceptis canonicis ecclesiae cathedralis in sua dioecesi vel praelati, genua flectunt ad lotionem manuum. CE II, 8, 10.

Aliis praelatis clerici stantes ministrant, et inclinationem profundam faciunt cum ante illos transeunt, vel ad eos accedunt, aut ab eis recedunt.

28 SACRAMENTUM ab altari in quo functiones pontificales erunt peragendae (si aderit) amovebitur, ne pontifex teneatur tergum ad illud vertere et ne ordo rituum turbetur, qui facilius sine Sacramento evolvuntur. CE I, 12, 8.

Multo minus licet functiones PR facere coram Sacramento exposito, quaecumque sint illae, et usus contrarius est abusus eradicandus.

29 PRAELATUS SUPERIORIS GRADUS est metropolita in dioecesibus suffraganeis, nuntius seu delegatus apostolicus in loco suae missionis, S.R.E. cardinalis ubique. Vel etiam loci ordinarius seu metropolita quando coram ipsis officium facit episcopus titularis seu extraneus.

In functionibus quae in sequentibus libris traduntur, semper supponitur nullus adesse praelatus loci ordinario vel metropolitae superior, prout ab uno vel ab alio fiant functiones; ad rem enim decet citare monitum CE (I, 4, 5): "Ut autem episcopus commodius sua munia episcopalia exercere valeat, puta consecrare, ordinare, conficere oleum sanctum, et similia facere, ex urbanitate, legatus seu cardinalis, nuntius, aut metropolitanus in civitate praesentes, hujusmodi actibus intervenire non curent; ne ob eorum praesentiam, et dignitatem, vel episcopus a necessariis functionibus episcopalibus abstinere cogatur, vel saltem, interposita mora, et majori cum difficultate actus praedicti exsecutioni demandentur".

Si tamen gravi et exceptionali de causa, metropolita, nuntius apostolicus, vel S.R.E. cardinalis cum vel sine titulo legati, alicui functioni, ut v.g. benedictioni primarii lapidis vel consecrationi ecclesiae insignis, adesse debet, ei parabitur thronus in loco diverso ab illo in quo episcopus officium facit. Metropolita, nuntius, vel etiam cardinalis, habebit assistentiam unius caeremoniarii tantum; si fiat processio procedat solus retro post celebrantem; si cantentur litaniae, vel alia pro quibus genuflectere debet, flectat genua ad genuflexorium, vel ad faldistorium si sit cardinalis, sed a parte evangelii vel prope thronum suum, et non a dextris episcopi celebrantis nec prope ipsum, nec ullo modo se functioni intromisceat, ne episcopus impediatur; in fine benedictionem solemnem et indulgentias impertiet si maluerit. Si celebrans sit loci ordinarius, vel metropolita salutabitur per reverentiam tantum.

In functionibus PR de gradu hierarchico celebrantis non fit mentio, cum functiones omnes eodem modo absolvantur, sive celebrans sit simplex episcopus, sive cardinalis.

30 THRONUS. 1 — Solus episcopus loci ordinarius, metropolita in sua provincia, nuntius apostolicus in loco suae legationis extra ecclesiam cathedralem, et S.R.E cardinalis ubique extra Urbem, usu throni ad functiones 1ae. partis PR celebrandas gaudent.

2 — SCFP solet concedere habitualiter usum throni vicariis apostolicis episcopali charactere insignitis, intra limites sui vicariatus. Thronus secumfert usum cappae magnae cum caudatario, non tamen septimi candelabri, nec diaconorum assistentium, nec salutationis per genuflexionem, quae sunt propria loci ordinarii, quod etiam servabitur cum episcopus extraneus, de speciali permissu ordinarii, ad thronum celebrat ad functiones 1mae. partis PR persolvendas. CJC 337 § 3.

3 — Si episcopus extraneus vel metropolita utatur throno loci ordinarii, ut ejus loco ordinet vel consecret personas, inservient etiam diaconi assistentes, quasi loci ordinario, sed septimum candelabrum non erit apponendum. D 4355, III, 6um.

31 SACRA ELEMENTA. Si, tempore functionum, olea sacra, aquae sacrae, vel cementum benedictum deficiunt, licet aliud oleum de olivis, aquam vel cementum non benedictum, elementis similibus benedictis, semel et iterum adjicere, minore tamen copia. CJC 734, § 2.

Saepius a PR exigitur ut olea vel aquae sacrae, aquae lotionis manuum post consecrationes, gossipia, medullae panis, aliaque, quae cum sacris oleis vel aquis contactum habuere, statim, finita functione, comburantur et in sacrario ecclesiae projiciantur, quod quidem, praesertim sacristis, nunquam satis commendabitur.

32 IN FINE FUNCTIONUM fas est antistiti indulgentias fidelibus praesentibus impertire : S.R.E. cardinalis, trecentorum dierum ; metropolita ducentorum dierum in tota sua provincia ; episcopus, praelatus seu abbas nullius, praefectus vel vicarius apostolicus centum dies, sed in suae jurisdictionis locis, non vero vicarii generales episcopali dignitate praediti. Decretum S. Poenitentiariae diei 20 Julii 1942. AAS Sept. 1942. Benedictio pontificalis tamen ab iis solummodo dari potest qui episcopali vel cardinalitia dignitate sunt praediti ; ceteri praelati, etiam jurisdictionem in loco habentes, eam impertire nequeunt. CJC 294 § 2; 323 § 2.

CAPUT V

DE VESTIBUS EPISCOPI IN SACRAMENTIS VEL SACRAMENTALIBUS ADMINISTRANDIS

33 I — VESTES PRAELATITIAE. Rubricae PR semper supponunt pontificem ad ecclesiam accedere in suo habitu quotidiano, sed pro PR habitus quotidianus est habitus praelatorum proprius, qui antiquitus quotidie adhibebatur, et non habitus niger, qui hodie quotidianus vocatur, cum quo non licet sacris interesse ritibus.

Pontifex cappa magna indutus ad ecclesiam accedit quando ad thronum peragendae sunt functiones 1*mae* partis PR, pro quibus omnes pontificales vestes accipere debet, etiamsi huiusmodi functiones ad faldistorium sint peragendae et pontifex usu cappae gaudeat.

Pro functionibus quae fiunt extra missarum solemnia, pontifex ad ecclesiam accedit cum mozeta vel manteleto, vel utroque, prout ei jus tribuit. Si vero functiones istae solemniore quodam modo faciendae erunt, pontifex, si sit loci ordinarius, vel praelatus superioris gradus, ad ecclesiam accedit cappa magna indutus, sicut etiam facere potest pro functionibus 1*mae* partis PR quae fiunt publice, licet cum missa lecta pontificali.

Episcopus, licet non prohibeatur caudam habitus talaris expedire cum paratus praeest solemniter sacris ritibus (D 3434, III), tamen in benedictionibus vel consecrationibus quae fiunt extra missarum solemnia, usus est receptus, caudam habitus talaris suspensam habere, commoditatis gratia.

34 II — VESTES SACRAE. In solemni sacramentorum et sacramentalium administratione intra missarum solemnia, pontifex induit omnes sacras vestes ordinis pontificalis, tametsi missa sit pontificalis lecta, ut aiunt. In solemni administratione sacramentorum vel sacramentalium extra missam, pontifex utitur amictu, alba cum cingulo, stola et pluviali, ac mitra cum baculo, etiamsi functiones sint lectae, uti consecratio lecta altaris fixi. Pro aliquibus functionibus minoribus, ut suis locis dicetur, alba cum cingulo non adhibentur, sed tantum amictus super rocheto cum stola et pluviali, quod a rubricis, pro functionibus publice faciendis, exigitur, etiamsi de benedictionibus minoribus agatur (15).

In sacramentorum vel sacramentalium administratione immediate ante vel post missam lectam, pontifex utitur sacris vestibus missae lectae propriis, dempto manipulo, et acceptis mitra et baculo, si ritus talia expostulet ; aliquando tamen usus pluvialis praecipitur, ut suis locis dicetur.

35 III — STOLA TANTUM. Pro functionibus quae privatim fiunt sufficit adhibere stolam circa collum nec assumitur pluviale ; mitra consulto non adhibebitur (16).

Sed quaeritur quomodo se habeat pontifex quoad usum stolae tantum ? Pro praxi solutionem quae sequitur damus :

1 — Si fieri possit, episcopus ritus minores, qui stolam requirunt, administret ante vel post suam missam lectam, dempto manipulo.

2 — Independenter a missa, si sit indutus habitu praelatitio, deposito manteleto vel mozeta, stolam induit directe super rochetum ; sed consulto, deposito habitu chorali, accipit superpelliceum super rochetum et deinde stolam (17).

Superpelliceum est vestis sacra omnibus clericis communis, nec ejus usus episcopis prohibetur, imo ante Benedictum XV episcopis regularibus praecipiebatur, et adhuc cardinalibus episcopis suburbicariis praecipitur, reliquia quaedam antiquae et melioris observantiae. Ita enim rochetum restringitur ad id quod revera est : pars habitus praelatorum, in sacris non adhibendum. Id praesertim valet pro episcopis regularibus quibus

usus rocheti concessus fuit honoris et uniformitatis gratia, quando habitu praelatitio utuntur, sed salvo jure Pontificalis de superpelliceo adhibendo cum accipiunt stolam tantum (18).

3 — Pro benedictionibus minoribus Ritualis vel Pontificalis, uti v.g. pro benedictione habitus clericalis, si episcopus sit cappa pontificali indutus, ea retenta, ad benedictionem procedat sine stola.

4 — Si episcopus sit habitu quotidiano nigro indutus, ad ritus minores privatim obeundos, agat ritu sacerdotali cum stola et superpelliceo.

36 IV — MITRA. 1 — Usus mitrae praeceptivus est in functionibus in quibus episcopus, sacris vestibus paratus, benedicit, consecrat, ordinat.

2 — Usus mitrae prohibetur quando pontifex, extra suum territorium, privatim confirmat vel tonsuram et ordines minores dat subditis suis. CJC 783 § 2; 1008.

3 — Usus mitrae dum benedicit vel consecrat privatim episcopo extraneo prohibetur, nisi de licentia saltem rationabiliter praesumpta ordinarii loci. CJC 337 § 1. Potest tamen episcopus sine mitra privatim benedictiones et consecrationes non reservatas facere, etiam sine ulla licentia ordinarii loci.

4 — Episcopus ordinarius, vel alius de ejus licentia saltem rationabiliter praesumpta, non paratus, id est cum stola tantum, benedicit, consecrat, ordinat, sed *mitram tenere poterit ubi convenit* (rubrica generalis ante consecrationem patenae et calicis). Re consulta tamen episcopus mitram pro functionibus in quibus paratus praeest reservabit (19).

37 V — QUALITAS MITRAE. Mitra ab episcopo in fere omnibus functionibus PR. adhibenda est 2*da* mitra seu auriphrygiata (20). Aliquando tamen, licet rarius, ut suis locis dicetur, 1*ma* mitra seu pretiosa adhibenda erit. Mitra alba praecipitur in quinque absolutionibus defunctorum et episcopis seu abbatibus assistentibus in eorum consecratione vel benedictione. Semper tamen fas est episcopo, ne nimis gravetur, in maioribus benedictionibus seu consecrationibus, adhibere mitram simplicem loco auriphrygiatae, juxta monitum CE I, 17, 3 (21-22-23).

38 VI — BACULUS. Licet baculus sit proprius episcopi loci, tamen episcopus extraneus vel titularis jure illum adhibet cum, de licentia loci ordinarii, ordinat, consecrat, benedicit (CE I, 17, 5); nam functiones istae sunt propriae ordinarii, et, quando ab alio aguntur, nomine et auctoritate ordinarii fiunt, et proinde minister utitur signo pastoralis sollicitudinis, et quidem, juxta usum romanum, inde ab initio functionis (24).

Licet episcopus non sit loci ordinarius, quandoque baculum pastoralem adhibere debet, semper habeat partem reflexam ab se, scilicet versus personas vel res quas prospicit. D 4355, III, 3*um*.

Cum mitra et baculus sint correlativa, prohibitio mitrae secumfert prohibitionem baculi (25).

CAPUT VI

DE FUNCTIONIBUS PONTIFICALIS ROMANI A PRAELATIS INFERIORIBUS OBEUNDIS

39 Proprium id semper fuit Romanae Liturgiae solemniores ritus, praesertim qui ad administrationem Ecclesiae se referunt, episcopis reservare, nam Ecclesia, teste Cypriano, est *lex pastoribus adunata* (PLM 4, col. 406); id aperte docetur per integrum PR, et functiones quae quomodocumque ad regimen animarum et ad ecclesiasticam ordinationem pertinent pastoribus stricto jure reservantur. Ad rem Angelicus "Ad episcopum pertinet in omnibus divinis ministeriis alios collocare. Unde ipse solus confirmat, quia confirmati in quodam officio confitendi fidem constituuntur, et ideo ipse etiam solus virgines benedicit..., in ministeriis ordinum ordinandos consecrat, et vasa, quibus uti debent, eis determinat sua consecratione". Suppl., Quaest. 38, art. I.

Solet tamen Ecclesia ex generositate, vel, et frequentius, ex necessitate, nonnullos ritus ordinis pontificalis proprios sacerdotibus permittere, praesertim illis quibus pars aliqua Ecclesiae concredita est cum jurisdictione ordinaria ad instar episcopalis. Praelati ex ordine sacerdotali *praelati inferiores* a jure audiuntur, de quibus agendum.

40 I — ABBATES ET PRAELATI NULLIUS amplissimis privilegiis ornantur, quasi sint episcopali charactere ornati, non exclusa ipsa ecclesiarum consecratione. CJC 294 § 2; 323 § 2. In functionibus ab ipsis intra proprium territorium obeundis omnia fiunt ut pro episcopo; habere tamen nequeunt septimum candelabrum; nec pontificalem vel apostolicam benedictionem ubi danda est impertiant (CJC 323 § 2); usus baculi eis non conceditur, nisi sint abbates benedicti vel ecclesias conse-

crare debeant. Tamen fere omnes praelati nullius, qui abbates benedicti non sunt, ad titulum episcopalem promoveri solent, et vix exstat praelatus nullius qui non sit vel abbas vel episcopus.

41 II — ABBATES BENEDICTI, de regimine monasteriorum vel titulares, quosdam ritus PR exercere possunt ut ordinationes minores, et, dummodo speciali gaudeant privilegio, altaria et campanas consecrare. Functiones hujusmodi ipsis pro propriis ecclesiis tantum conceduntur. In illis exercendis abbates omnia faciunt ut in sequentibus titulis habetur; benedictionem pontificalem tamen non impertiunt nec indulgentias concedunt. Ritu etiam pontificali intra ecclesias suas procedunt cum functiones PR, quae ritu pontificali fieri solent, ab ipsis fiunt.

42 III — SEPTEM PROTONOTARII PARTICIPANTES possunt ubique terrarum extra Urbem functiones PR quae eis a jure vel privilegio apostolico conceduntur, ritu pontificali ad instar episcopi titularis celebrare. Idem dicendum est de functionibus PR qui in appendice huius operis explanantur, quique ritu pontificali ab episcopis fieri solent; sed ipsis semper fas est hujusmodi ritus PR ritu sacerdotali exsequendi.

Privilegiis pontificalibus septem protonotariorum de numero fruuntur, nisi episcopali ornantur charactere:

A — *In tota Ecclesia* (*extra Urbem*):

1 — Singuli Assessores et Secretarii Sacrarum Congregationum.

2 — Quatuor praelati qui illis assimilantur:

a) Praefectus Cubiculi Summi Pontificis.
b) Secretarius Tribunalis Signaturae Apostolicae.
c) Decanus Sacrae Romanae Rotae.
d) Substitutus Secretariae Status.

Ad incrementum decoris Pii XI, n.º XXIX

3 — Canonici protonotarii supranumerarii, etiam honoris tantum causa, trium Patriarchalium Urbis. D 4154, 33.

B — *Intra propriam dioecesim*:

Canonici protonotarii supranumerarii capitulorum quibus privilegia protonotariorum de numero concessa fuerunt. D 4154, 32.

C — *Intra proprium territorium*:

Vicarii, praefecti, seu administratores apostolici, dioecesibus, praelaturis sive abbatiis nullius ad tempus dati. CJC 315, § 2, 2.º.

Protonotarii apostolici ad functiones PR ritu pontificali agendas quae sequuntur servent normas:

1 — Praehabeant veniam loci ordinarii et praesulis ecclesiae exemptae, si ibidem sit celebrandum officium. D 4154, 5; CJC 337, §§ 1 et 2.

2 — Sint habitu praelatitio induti, cum cruce et annulo.

3 — Ad fores ecclesiae excipientur a caeremoniario et a duobus clericis et se ipsos tantum aqua lustrali tacto aspersorio aspergant. D 4154, 26.

4 — Sedebunt ad faldistorium si functio id requirat.

5 — Habebunt ministros tres pro mitra, libro, et scotula.

6 — Usus baculi eis interdicitur. D 4154, 29.

7 — Mitra erit auriphrygiata, quae cum simplici alternari potest (D 4554, 9); canonici protonotarii supranumerarii tamen utentur tantum mitra e serico albo ipsis propria. D 4154, 27.

8 — Functiones exsequantur prout in hoc opere explanantur, quasi essent episcopi titulares, sed in singulis casibus consulant sectionem propriam, nam invalide ponerent consecrationes quae eis expresse non conceduntur.

9 — In fine functionum benedictionem pontificalem nunquam dabunt. D 4154, 29.

43 IV — PROTONOTARII AD INSTAR participantium nequeunt functiones PR vel RR ritu pontificali ponere, exceptis casibus in lege praevisis, videlicet in processionibus et benedictionibus cum Venerabili. D 4554, 48. Procedunt tamen ritu pontificali quando, de speciali indulto apostolico, operam navant in functionibus PR, v. g. pro confirmationis sacramento administrando. Vide notam 39. Protonotarii supranumerarii (excipe trium Patriarchalium Urbis) extra propriam dioecesim dummodo sint praelati domestici Suae Sanctitatis, protonotariis ad instar in omnibus aequiparantur.

NOTAE AD PROLEGOMENA

(1) "Le Pontifical est le livre liturgique le plus magnifique que nous possédions. Il nous vient en droite ligne de l'antiquité chrétienne sans avoir subi les restaurations du Missel, du Bréviaire : il est tout entier un témoin des vieux âges. Dans le Pontifical tout est paroles et gestes de l'évêque, et ces paroles et ces gestes expriment les actes les plus solennels de la vie de l'Église, ceux auxquels elle a voulu donner la publicité la plus auguste, tel le sacre des évêques, les ordinations, la consécration des églises. Il y a là des mises en scène d'une majesté incomparable et du sens le plus profond. La prière de l'Église y parle un langage qui, pour la sobriété, pour la dignité, pour le pathétique, n'a nulle part son égal." Mgr. Batiffol. *Introduction aux Étapes du Sacerdoce de Réné Dubosq.*

Cl. Batiffol speciali amore Pontificale Romanum prosequebatur, voluitque super illud studia sua versare. Anno 1911, tempore hebdomadae liturgicae Lovaniensis, plura de Pontificali disseruit, inedita tamen, excepta *Introduction au Pontifical*, apud *Études de Liturgie et d'Archéologie chrétienne, Paris* 1919; et paulo ante obitum iterum Tornaci de ordinationibus disseruit, quasi testamentum suum scribens. *Cours et Conférences des semaines liturgiques, tome VII. Louvain* 1929, pg. 41.

(2) "...le pontifical n'est ni l'œuvre d'un homme ni l'œuvre d'un jour. C'est une œuvre anonyme à laquelle ont travaillé de nombreux ouvriers presque tous demeurés inconnus, et dont l'achèvement a demandé de longs siècles. C'est une cathédrale bâtie à différentes reprises et qui porte l'empreinte d'époque successives. Elle montre des soubassements mérovingiens, une crypte carolingienne, une nef romane, un chœur gothique, plusieurs chapelles qui datent de la Renaissance, et si l'on mettait à nu ses fondations, on y découvrirait le robuste appareil des anciens constructeurs romains.

En réalité le pontifical romain est l'œuvre de quinze siècles de foi et de vie liturgique. L'Occident tout entier : la Rome antique, la Gaule, l'Empire franc, plus tard l'Espagne, l'Empire germanique, la France, la Grande-Bretagne et l'Italie ont travaillé à cette œuvre grandiose." Leroquais, tome I, pg. XCIX. Apud Leroquais optime invenies expositum totum ritum ordinationum, episcoporum consecrationis, necnon ecclesiarum dedicationis, modo ipsi proprio, claritate fulgente. Introduction, II, Histoire du Pontifical, pg. XXXI-C.

(3) Cum Clemens VIII omnes libros rituales functiones pontificales continentes interdixerit, nec fuerint amplius approbati, uno romano excepto, quaeri potest quid sibi velit CJC cum in canone 780 loquatur *de libris pontificalibus* et postea in canone 1002 facit episcopos ordinare secundum ritus in PR *aliisve ritualibus libris*

ab Ecclesia probatis. Juxta Cappello ita loquitur CJC. quia exstant in Ecclesia latina alii libri liturgici pro ordinibus conferendis; forsan in futura editione operis sui eorum nomina patefaciet. *De sacra Ordinatione,* n.° 557, 1. Ita etiam loquitur A.S. apud periodica cleri *Lumen,* ano III, pg. 459. Ulyssiponae 1939. Codex in citatis canonibus Ecclesiam orientalem in mentem habere saltem nobis non videtur.

(4) "Il y aurait une intéressante étude à faire, celle des *Pontificalia* que supprime Clément VIII, c'est à savoir les pontificaux imprimés depuis la fin du XVème siècle et en usage dans les diverses nations catholiques". Batiffol, Introduction au Pontifical Romain, pg. 8.

Ecclesia Bracarensis, ritus sui studiosissima, suum habebat Pontificale, sancti Geraldi nuncupatum, quod tamen reliquit, et Pontificale Clementis VIII recepit, eoque hactenus utitur. A. de Vasconcellos, Notas liturgico-bracarenses, Opus Dei, 1930-1; etiam apud *Jahrbuch für Liturgiewissenschaft,* vol. X, pg. 237.

Ecclesia Mediolanensis, teste Magistretti, certe inde a finibus saeculi XIV utitur PR, licet in missae celebratione suum habeat ritum, et quidem nobilissimum, cum sit ipse antiquus ritus Romanae Ecclesiae. Apud Mercati *Antiche reliquie liturgiche ambrosiane e romane, Studi e testi* 7, pg. 7. Roma 1902.

Christiani Syro-Malabarenses PR utuntur in linguam Syriacam verso. Vide Vosté, *Projet d'édition du Pontifical des Syriens Orientaux.* Eph. lit., analecta, 1939, pg. 3.

(5) De historia et evolutione Romani Pontificalis, deque editionibus Clementi VIII anterioribus, non est hic a nobis agendum. Lectores remittimus ad praeclara opera Michaelis Andrieu *Les Ordines Romani du haut Moyen Âge,* Louvain 1931, pg. 471 ss., et *Le Pontifical Romain au Moyen Âge* (vide sigla). Eruditissimus Victor Leroquais opus edidit nobilissimum cui titulus *Les Pontificaux manuscrits des Bibliothèques publiques de France* (vide sigla). Cum decem vel circiter abhinc annos ad expositionem nostram manus apponeremus, editiones praedecessorum PR, praesertim operis Durandi, enixe desiderabamus. Tandem opera Leroquais et Andrieu ad nos usque venerunt, quasi dona Domini amplissima. Vide Mohlberg apud Ephe. lit., 1934, pg. 336.

(6) Recentiores antistites maximi, ab Urbano VIII ad Pium XI, ne verbum quidem mutatum in Pontificali voluere. Benedictus XIII, volens manus impositionem in ritu confirmationis adjungere, rubricam ad hoc in appendice addidit. Rituale tamen plures mutationes passum est, praesertim in editionibus typicis anni 1913 et anni 1925, post-habita codicum scrutatione. Vide notas 167 et 177 tomi III.

(7) Hac de re scripsit Primus Battistini C. M. (✝ 2-III-1936). "Editio vaticana Pontificalis sine cantu ad normam CJC, recentiorumque Apostolicae Sedis decretorum jam accommodata nondum vulgata est, et nescimus quando id fiet". Eph. lit. 1934, pg. 591. P.B., in hodierno jure liturgico peritus, sed in re historico-liturgica haud versatus, paravit editionem Ritualis post codicem, prout jam exposuerat quaestionem apud Ephemerides Liturgicas (1922, pg. 191; ibidem 1936, pg. 98) et postea Pontificale ad normam CJC accommodavit. At hujusmodi accommodationem Pontificia Commissio edere non est passa; nam ignorantia historicae evolutionis sacrae

liturgiae in expositione rituum prout hodie exstant in Ecclesia, errores quam plurimos secumfert; e contra studium historicae evolutionis rituum cum ignorantia juris liturgici, aliquando periculosum est. Relator commissionis fuit Dom Quentin (✝ 1941), qui editionem Martyrologii Romani anni 1922 acerrime impugnavit. Vide *Questions liturgiques et paroissiales,* 1931, pg. 86.

(8) Fas non est religiosis ordinibus partes Romani Pontificalis in suis libris ritualibus edere, nisi prius constet istas, tum quoad textum tum quod rubricas et cantum, adamussim cum editione typica PR concordare. Exstant tamen libri rituales monastici cum notabilibus partibus PR annexis, mutatis tamen rubricis pro libitu editorum, quod ipsi Summi Pontifices facere non audent. Sic in Rituali Monastico Congregationis Beuronensis (ed. 2.ª Beuronae 1931) habes ritus benedictionis abbatis, primae tonsurae et ordinum minorum, nulla de PR facta mentione, et fere omnibus rubricis mutatis; sic ex.gr. in benedictione abbatis praecipitur usus mitrae auriphrygiatae pro assistentibus (pg. 46) contra totam traditionem et regulas liturgicas; in conferendis ordinibus minoribus legis: *si abbas celebraturus est pro ordinibus (minoribus) conferendis, sandalia et omnia paramenta pontificalia induere convenit* (pg. 156), et agitur de missa lecta, nam intra missam pontificalem solemnem ordines minores conferre licet. Vide notam 265 et notas 194, et 222, tomi III.

(9) Juxta MM episcopus manus lavat ante vestitionem cum consecraturus est ecclesias, altaria et campanas, non autem ante ceteros ritus; forsitan quia in illis unctiones facere debet, sequimur tamen PR et LVH.

(10) "Quoniam status Pontificis sacra tractantis pro qualitate rerum variatur, raroque pontificales libri inter se concordant... nos, re cum peritis mature discussa, convenire arbitrati sumus: ut cum Pontifex ordinandum monet, sive caracterem imprimit, aut ordinum insignia sive instrumenta tradit: sedeat infulatus. Cum vero populum alloquitur sive circumstantes hortatur ad simul orandum, tunc sine mitra stans supplex orat. Hunc vero ordinem per totum librum (Pontificale) servari debere censuimus quoniam ratione quadrare visum fuit". Ex epistola Augustini Piccolomini ad Innocentium VIII. Secunda pars tamen immutata fuit, nam cum populum alloquitur pontifex sedet infulatus; cum circumstantes hortatur ad simul orandum (*Oremus, fratres carissimi* vel similia) stat infulatus. Aliis verbis, episcopus mitram deponit solummodo quando ad Deum supplex orat. Mitrae retentio flexis genibus ad litanias exceptio est regulae generalis, forsan ex eo quod, magna ex parte, invocationes ad sanctos diriguntur et quia in processionibus mitra ad litanias non deponitur, ratio quaedam paritatis. Praeterea episcopus stans manus diaconis, presbyteris vel episcopis seu abbatibus imponit; tamen cetera sacramenta, ex privilegio ordinis episcopalis, sedens ministrat.

(11) Minime decet pontificem in solemnibus functionibus parvum pontificale in manibus gestare, loco voluminis in folio vel saltem in 4.°, quod a ministro tenetur. Pro commoditate in functionibus obeundis magis commendatur editio Pustet in septem volumina in folio, ita ut ad altare pontifex habeat tantum ritum diei et ita minus fatigatur libriger. Ibi etiam in musicis notis ea sola ponuntur quae ab episcopo cani debent.

(12) Canonicos teneri fungi officio sacrorum ministrorum vel assistentium throni quoties episcopus loci ordinarius solemniter celebrat ad functiones PR obeundas in sua ecclesia, omnium una est sententia; et etiam in ecclesiis civitatis episcopalis et suburbii, dummodo, judicio episcopi, servitium ecclesiae cathedralis non patiatur detrimentum. CJC 412 § 1.

Pro functionibus PR. in quibus sacri ministri non inserviunt, sed tantum capellani, hi etiam canonici sunto, sub iisdem conditionibus supra enumeratis; dicit enim CJC (ibidem)... *Missam celebranti aut alia pontificalia exercenti,* proinde ceteras functiones PR quae fiunt ritu pontificali includit, id est, cum mitra et baculo, vel saltem cum mitra, licet ministri non adhibeantur.

Functionibus pontificalibus extra civitatem episcopalem duo canonici episcopo inservire poterunt ex vi § 2 canonis 412. Sed laudabiliter inservient canonici quando adhiberi poterunt, vel praesentes aderunt, etiam extra civitatem episcopalem, pro functionibus pontificalibus; ritibus non pontificalibus inservient familiares episcopi. Quae omnia declarationibus S. C. Concilii diei 9 Februari 1924 confirmantur. AAS 1925, pg. 245.

(13) Nonnulli putant pueros qui functionibus liturgicis inserviunt regulis liturgicis non obstringi, sed falsa propositio, nam pueri loca clericorum sumunt, functiones clericorum proprias exercent, per fictionem juris clerici sunt, leges liturgicas proinde servare debent. Curabunt caeremoniarum magistri ut illi qui junctim inservire debent, ut ministri de mitra et baculo, vel de libro et scotula, vel acolythi, ejusdem altitudinis sint; praeterea necesse est ut pueri tempestive circa functiones exercendas edoceantur.

(14) Juxta CE (I, 11, 5) minister de baculo illum "manu dextera cottae extremitate cooperta tenebit (id hodie fieri nequit), et minister de mitra non utitur velo si sit pluviali indutus (quia tenet mitram cum pluviali ?). Ibidem n.° 6. Hodie vela serica a ministris de mitra et baculo, cum vel sine pluviali, adhibentur.

(15) Stricte loquendo pontifex pro administratione sacramentorum vel sacramentalium paratus, uti debet semper alba cum cingulo, est enim pars non spernenda pontificalium vestium, et a CE praecipitur adhibenda etiam pro simplici assistentia missae solemni. Aliquando tamen pro ritibus minoribus ab usu albae dispensatur pontifex a rubricis, commoditatis gratia.

(16) Ad quaestionem de stola tantum induenda solvendam, quaedam principia statuenda sunt prout sequitur:

1.° Vestes chorales seu praelatitiae et vestes sacrae sibi invicem opponuntur. Vestes chorales adhibentur in choro, et aliquando etiam in processionibus, quae sunt veluti chori continuatio. Vestes sacrae adhibentur ad altare, et in sacramentorum et sacramentalium administratione, licet quibusdam in casibus adhibere etiam possint in functionibus choralibus, ad instar concelebrationis et ad maiorem solemnitatem.

2.° Stola, cum sit vestis sacra, directe super vestes chorales uti non licet, sicut nec pluviali vel aliis sacris vestibus.

3.° Rochetum non est vestis sacra, sed pars habitus praelatitii, et praecise propter hoc Congregatio sacris ritibus tuendis praeposita iterum iterumque usum rocheti, tum ad altare tum in administratione sacramentorum et sacramentalium prohibuit, praecipiens usum superpellicei, edixit enim "rochetum non esse vestem sacram adhibendam in administratione sacramentorum". D 2993, V; etiam D 2622 cum suo suffragio, pg. 228; D 2680 cum suo suffragio, pg. 317; DD 3556; 3784; et plurima alia.

4.° Usus rocheti totaliter discooperti, prohibetur; est enim habitus choralis per dimidium.

5.° In Romana Curia archiepiscopi et episcopi, ac ipsi patres cardinales frequenter induere debent superpelliceum super rochetum; ita fit ab episcopis qui officio capellanorum summi pontificis in celebratione missae lectae funguntur, vel in sacramentorum et sacramentalium administratione; ab archiepiscopis vel episcopis qui Feria Quinta Maiore sacram communionem de manu Papae recipiunt; a cardinalibus episcopis suburbicariis etiam sacris vestibus paratis. Antiquitus talis erat usus receptus pro omnibus praelatis, etiam episcopali vel cardinalitia dignitate fulgentibus, nam sub sacris vestibus vel alba vel superpelliceum erat adhibendum. CR vol. I, pg. 151.

6.° Difficile intelligitur qua ratione usus rocheti canonicis et praelatis in sacramentorum et sacramentalium administratione interdicatur, et, eadem permanente ratione cum ab episcopis induitur, ipsis a PR in iisdem adjunctis permittatur.

7.° Rubricae PR nec semper idem dicunt. Rubrica generalis (ante consecrationem calicis et patenae) dicit "cum stola circa collum"; rubrica ubi de confirmatione non loquitur de stola super rochetum, sicut nec rubricae 2*ae.* partis PR; rubrica appendicis (de confirmatione) facit pontificem induere amictum et stolam sine mozeta; sed aliis locis rubricae jubent pontificem stolam super rochetum assumere. Rubricae PR tamen nullibi praecipiunt usam mozetae cum sacramenta vel sacramentalia sunt administranda. LVH *Les Fonctions Pontificales,* ed. Stercky, vol. 2.°, pg. 316, nota corrigenda.

Concludendum est episcopum in sacramentorum vel sacramentalium administratione non posse uti stola super habitum choralem (cappam, manteletum vel mozetam), sed nec super rochetum cum non sit vestis sacra, in sacris proinde non adhibendum. Regula quam sequuntur episcopi, qui munere capellanorum papae funguntur, vel cardinales suburbicarii, ad omnes extendenda esset, ne fieret tam gravis contradictio inter rubricas et decreta, quasi rochetum naturam suam mutet quando ab episcopis adhibetur.

(17) Nonnulli credunt se posse uti stola super mozeta in administratione sacramentorum et sacramentalium ex eo quod summus pontifex id facit; sed argumentum non concludit, nam papa utitur stola (antiquitus frequentius, hodie rarius) super mozeta tamquam privilegium papale et signum amplissimae suae jurisdictionis in tota Ecclesia, etiam extra sacras functiones, vel quando assistentiam praebet; summus pontifex tamen non utitur mozeta in sacramentorum et sacramentalium administratione sed vestibus pontificalibus; praeterea privilegium apostolicum non est ad totum ordinem episcopalem extendendum.

(18) PR facit episcopos regulares uti superpelliceo, nam juxta pervetustum usum, episcopi et cardinales ordinibus regularibus abscripti, ab usu rocheti abstinebant. Recentioribus temporibus episcopi regulares fere omnes a Sancta Sede usum rocheti

impetrabant, quod quidem privilegium Benedictus XV, motu proprio, ad omnes extendit episcopos regulares. AAS 1920, pg. 149. D 4360.

(19) Usus mitrae ab episcopo non parato, seu sine pluviali vel casula, nobis semper visus est quasi contra sensum communem, nam mitra est corona ceterarum vestium ordinis pontificalis, quas proinde supponit. CJC in quibusdam casibus usum administrandi sacramenta et sacramentalia sine mitra (CJC 783 § 2 et 1008) approbavit, et principium potest ad alia extendi. Verum est rubricam generalem (ante consecrationem patenae et calicis) dicere *quandocumque enim episcopalia agit, episcopalibus, non sacerdotalibus, debet esse paramentis ornatus,* quod sine dubio etiam ad mitram se refert, sed addit : *Pontifex... mitram tenere poterit ubi convenit;* proinde mitra pro ritibus minoribus non praescribitur, et solum convenit adhibere quando episcopus sacris est indutus vestibus, nam verba haec e Pontificali Durandi transcripta fuerunt, qui de pluviali, mitra et baculo loquebatur. Andrieu PR tome III, pg. 458. Id etiam confirmatur maxima auctoritate Benedicti XIV, qui, loquens de usu mitrae in synodis a canonicis qui ejus gaudent privilegio, dicit : *Mitram gestare poterunt... modo tamen aliis sacris... vestibus adsint induti ; incongruum quippe esset, sine aliis sacris indumentis, mitram deferre.* De Synodo, lib. III, cap. XI, n.° 12. Lex certe ad omnes qui mitram adhibent extendenda.

(20) Quamquam juxta CE mitra auriphrygiata esse potest *aliquibus margaritis composita, vel ex serico albo, auro intermisto,* tamen juxta usum romanum decet ut mitra auriphrygiata sit ex tela aurea simplici non undulata, sine laminis et margaritis et sine circulo et titulo, quae mitrae pretiosae reservantur. Quod tamen dicendum est quando plures episcopi parati conveniunt, uniformitatis gratia. CE I, 17, 1.

(21) Juxta CE (I, 17, 3) in benedictionibus seu consecrationibus adhibenda est mitra auriphrygiata, et ita docent auctores generatim. Sed CE hoc loco a PR discrepat ; nam PR quater tantum loquitur de mitra aurea, videlicet in consecratione episcopi vel abbatis benedictione et in appendice pro postremis baptismi ritibus et in matrimonio celebrando. PR ter de mitra pretiosa loquitur, videlicet, in oleorum consecratione, in synodo habenda et in receptionibus. Aliis locis, praesertim in tota secunda parte, PR praecipit usum mitrae simplicis, quae, juxta definitionem CE (l.c.) est mitra alba. Ita suo tempore docebat Durandus. Andrieu tome III, pg. 462. Mitra auriphrygiata, ut ex ipso vocabulo eruitur, nunquam ab antiquis liturgistis simplex vocabatur. Guéranger eam *festivalem mitram* nuncupat. In notis ad PR Catalani, tom. III, pg. 467.

(22) Mitra adhibenda ab episcopis vel praelatis qui ritibus assistunt, est mitra alba, color mitrarum proprius. Earum diversitas determinatur non solum a gradu festivitatis, sed etiam a dignitate personae ; si minister principalis utatur mitra auriphrygiata, auxiliares vel coadjutores simplici uti debent, cum sint inferioris dignitatis ratione officii. Ita occurrit in abbatum benedictione et episcoporum consecratione.

(23) Cum in capellis papalibus cardinales utuntur mitra e serico albo speciali et episcopi mitra e tela linea ut appareat differentia hierarchica, putant quidam episcopos non posse uti mitra e serico albo, sed debere uti linea quandocumque mitra

alba praecipitur adhibenda ; sed perperam, nam juxta CE (I, 17, 1), *tertia mitra ex simplici serico damasceno vel alio (serico), aut etiam linea sit confecta ;* praeterea usus universalis concedit episcopis usum mitrae e serico damasceno ad normam CE extra capellam papalem. Proinde uti contra CE et usum receptum habenda est 2.ª pars responsionis SRC D 4354, I, 5, quae prohibet usum mitrae sericae episcopis. Certe intentio non fuit Sacrae Congregationis CE et usum receptum mutare. Lapsus potius tribuendus est illis qui regulam de mitra linea adhibenda in capellis papalibus, ubicumque servari debere putaverunt. Ita etiam censet Favrin *Praxis solemnium functionum episcoporum,* ed. 2, pg. 115.

(24) Juxta CE (I, 17, 5) *Episcopus utitur baculo... ubi consecrationes aut ordinationes, vel benedictiones personales facere, ipsi apostolica auctoritate conceditur;* tamen ut episcopus extraneus seu titularis benedicat, consecret, ordinet, indultum apostolicum, si adest loci ordinarius, nec requiritur nec est petendum, etiamsi loci ordinarius non sit episcopus. Nam loci ordinarius permittere potest exercitium pontificalium, quod mitram et baculum postulat. CJC 337 § 3. Benedictiones personales de quibus loquitur textus sunt illae 1ae. partis PR, videlicet abbatis, abbatissae et virginum, sed usus receptus concedit baculum pro aliis functionibus ordinarii propriis, uti confirmatio.

(25) Usus stolae super mozeta cum mitra in capite et baculo in manu, tum intra tum extra administrationem sacramentorum seu sacramentalium, juxta principia romanae liturgiae approbari nequit, est enim singularis fusio habitus choralis et sacrarum vestium. Talis consuetudo non approbatur, nec traditione ecclesiae Galliae, nam sic vestiti nunquam visi fuerunt Bossuet vel Franciscus Salesius. Praeterea talis confusio sacrorum vestium cum habito praelatitio reprobavit SRC. D 4855, I, 4.

SECTIO I

DE CONFIRMATIONE

SECTIO I

DE CONFIRMATIONE

TITULUS I

PROLEGOMENA

CAPUT I

DE MINISTRO, DE TEMPORE ET DE LOCO CONFIRMATIONIS

44 MINISTER ordinarius confirmationis (in ecclesia latina) est solus episcopus (CJC 782 § 1), qui in sua dioecesi hoc sacramentum etiam extraneis legitime ministrat, nisi obstet expressa proprii eorum ordinarii prohibitio. CJC 783 § 1. In aliena dioecesi indiget licentia ordinarii loci saltem retionabiliter praesumpta, nisi agatur de propriis subditis quibus confirmationem privatim conferat. CJC 783 § 2.

Minister extraordinarius confirmationis est presbyter, cui, jure communi, vel peculiari Sedis Apostolicae indulto, ea facultas concessa sit. CJC 782 § 2.

Presbyteri, qui vi indulti apostolici confirmare possunt, stare debent conditionibus rescripto appositis; praeterea invalide confirmarent fideles alterius ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit. CJC 782 § 4.

Hac facultate ipso jure gaudent, praeter SRE cardinales, abbates vel praelati nullius, vicarii vel praefecti apostolici, qui tamen ea valide uti nequeunt nisi intra fines sui territorii et durante munere. CJC 782 § 3.

Apostolici administratores ex ordine sacerdotali nequeunt confirmare sine speciali indulto.

Indultum sacerdotibus qui locorum ordinarii non sint, ut sacramentum confirmationis administrent, una America meridionali excepta, rarius in dies conceditur. Quod cum conceditur sequentibus restringitur condi-

tionibus: 1) Presbyteri sint, quantum fieri poterit, in aliqua ecclesiastica dignitate constituti, vel munere vicarii foranei fungantur. 2) Non sint simplices sacerdotes illis in locis commorantes, ubi sacramentum administrandum erit. AAS. 1935, pg. 13 et 14.

45 TEMPUS. Confirmatio quovis tempore conferri potest, maxime autem decet illud administrare in hebdomade Pentecostes. CJC 790. Non expedit fideles confirmare in Triduo maiore vel tempore officiorum poenitentialium seu defunctorum.

46 LOCUS proprius Sacramenti Confirmationis est ecclesia vel oratorium saltem semipublicum, praesertim si agatur de solemniore vel de generali confirmatione. Tamen ex causa justa et rationabili, ad arbitrium ministri, potest hoc sacramentum in quolibet alio loco decenti conferri. CJC 791. Si vero agatur de confirmatione plurimorum, judex de proprietate loci est ordinarius et non episcopus extraneus.

Licet ex justa causa confirmare in oratoriis domesticis in quibus generatim missa tantum permittitur, ex eo quod licet in quocumque loco decenti id facere. CJC 1195 § 1.

Exoptare licet ut, saltem in maioribus cathedralibus, prope baptisterium vel ubi commodius, aedificetur, juxta veterem Ecclesiae usum, locus, qui *consignatorium* nuncupatur, sacramento confirmationis reservatus. Ibi figuris illustretur doctrina Ecclesiae de missione Spiritus Sancti in anima christiani, omniaque disponantur pro confirmatione rite administranda. Certe ibidem fieri nequibunt confirmationes multorum, melius tamen Sacramentum administratur quando pauci confirmantur.

CAPUT II

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS

47 Aquis baptismi non ablutus valide confirmari nequit: praeterea, ut quis licite et fructuose confirmetur, sit in statu gratiae constitutus, et, si usu rationis polleat, sufficienter instructus (CJC 786), scilicet, pro suo captu, de natura, dignitate, effectibus ac dispositionibus, ad digne sacramentum hujusmodi recipiendum. Inst. SCS II, 7.

Quanquam hoc sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere; imo parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant. CJC 787.

Juxta veterem Ecclesiae usum confirmandi deberent esse jejuni, idque optandum propterea ut in praesenti etiam servetur. Inst. SCS II, 7 (26).

48 AETAS. Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia latina differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire, ob justas et graves causas, videatur. CJC 788.

Gravis causa fere semper adest in locis ubi difficillima est praesentia episcopi, et timetur utrum pueri possint postea confirmari necne. Inst. SCS. AAS 1935, pg. 16.

Licet canon 788 praeceptive, et non directive tantum, exsequendus sit (AAS 1931, pg. 353), tamen SCS proposito dubio "An consuetudo antiquissima in Hispania et alicubi vigens (America Meridionali) ministrandi sacramentum confirmationis infantibus ante usum rationis, servari possit," respondit die 27 Februarii 1932: *Affirmative*, et ad mentem. "Mens est ut, ubi sacramenti confirmationis administratio differri potest ad septimum circiter aetatis annum quin obstent graves et justae causae, ad normam canonis 788, contrariam consuetudinem inducentes, fideles sedulo edocendi sunt de lege communi Ecclesiae latinae, praemissa sacrae confirmationis administrationi illa catechesis instructione, quae tantum juvat ad animos puerorum excolendos et in doctrina catholica solidandos, prout experientia docet". AAS 1932, pg. 271.

Aliis verbis, voluntas est Ecclesiae ut consuetudo, licet legitima, confirmandi pueros ante usum rationis, paulatim locum cedat communi legi de septimo vel circiter aetatis anno (27).

49 PRIMA COMMUNIO. Declaravit eadem Sacra Congregatio "opportunum esse et conformius naturae et effectibus sacramenti confirmationis, pueros ad sacram mensam prima vice non accedere nisi post receptum confirmationis sacramentum, quod est veluti complementum baptismatis, et in quo datur plenitudo Spiritus Sancti. Sum. Thol. Pars III, p. 72, art. 2. Non tamen iidem censendi sunt prohiberi quominus ad eandem mensam prius admittantur, si ad annos discretionis pervenerint,

quamvis confirmationis sacramentum antea accipere non potuerunt". AAS. 1932, pg. 271.

Reprobatur proinde consuetudo administrandi sacramentum confirmationis post primam communionem, quasi confirmatio esset complementum eucharistiae, cum sit potius praeparatio. Ait enim Leo XIII: "...sic confirmati adolescentuli ad capienda praecepta molliores fiunt, suscipiendaeque postmodum Eucharistiae aptiores". Epistola *Abrogata* ad Episc. Massili. Acta, vol. 17, pg. 205.

CAPUT III

DE PATRINIS ADHIBENDIS

50 Ex vetustissimo Ecclesiae more, sicut in baptismo, ita etiam in confirmatione, adhibendus est patrinus, si haberi potest. CJC 793.

Patrinus unum tantum confirmandum, aut duos, praesentet, nisi aliud justa de causa ministro videatur. Unus quoque pro singulis confirmandis sit patrinus. CJC 794 §§ 1 et 2.

Potest ex justa causa patrinus unus pro pluribus confirmandis constitui, v.g. sex vel septem, non tamen unus pro multis vel pro omnibus. S.C. Concilii 12-VII-1823.

Praxis de uno tantum adhibendo patrino, vel matrina, pro omnibus confirmandis certo contra jus est, nisi habeatur indultum apostolicum, quod rarius conceditur. SO 18 Junii 1884.

51 *Ut quis valide* sit patrinus oportet:

1 — Sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus, et intentionem habeat id munus gerendi.

2 — Nulli haereticae aut schismaticae sectae sit adscriptus, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia juris, aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus.

3 — Non sit pater, mater, conjux confirmandi.

4 — A confirmando ejusve parentibus vel tutoribus vel, hi si desint aut renuant, a ministro vel a parocho sit designatus.

5 — Confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel procuratorem physice tangat. CJC 795. (28)

52 *Ad liceitatem* munus patrini requiritur:

1 — Sit alius a patrino baptismi, nisi rationabilis causa, judicio ministri, aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime confirmatio conferatur.

2 — Sit ejusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur.

3 — Decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud justa de causa ministro videatur.

4 — Fidei rudimenta noverit.

5 — Non sit propter notorium delictum excommunicatus, vel exclusus ab actibus legitimis, vel infamis infamia juris, licet sententia minime intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti.

6 — In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat, et expressa habeatur venia superioris saltem localis.

7 — In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa ordinarii proprii licentia. CJC 796.

Unde superior religiosus permissum dare potest tantum si urgeat necessitas; ordinarius loci vero permissum dare potest clericis etiamsi non urgeat necessitas; in uno et alio casu expressum sit oportet, nec sufficit permissum praesumptum.

53 Optandum ut ex vetusto Ecclesiae more patrini ubique adhibeantur, qui confirmatos suos cognoscant, nam "confirmatum inter et patrinum cognatio spiritualis oritur, ex qua patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi ejusque christianam educationem curandi". CJC 797. Impedimentum matrimoniale tamen non amplius habetur. CJC 1079.

Juxta Concilium Plenarium Quebecense I, n.° 468, "deputari possunt duo procuratores, quocumque modo a patrinis acceptati, mas et femina, vices gerentes patrinorum et matrinarum singulis confirmandis assignatorum". Sed magis juxta sensum Ecclesiae agunt patrini qui per seipsos confirmandos praesentant.

Episcopus confirmans qui munere patrini fungitur, id per procuratorem suum facere debet. D 3305, III.

Jus hodiernum Ecclesiae circa sacramentum confirmationis administrandum, tum ab episcopo tum a simplici sacerdote, compendiose invenitur in instructione SCS, die festo Pentecostes 1934 data. AAS 1935, pg. 11 ss.

CAPUT IV

DE SERVANDIS ANTE ET POST CONFIRMATIONEM

54 Populus tempestive moneatur, juxta locorum consuetudinem, de confirmatione proxime habenda.

Parochi, vel illi ad quos pertinet, fideles de dignitate sacramenti confirmationis et de requisitis ad illud valide et fructuose recipiendum opportune instruent, juxta Catechismum tridentinum, pars II, cap. III.

Ne fiat confusio tempore functionis, et praesertim ne indigni, non parati, jam confirmati, ad sacramentum accedant, oportet ut omnes confirmandi sibi comparent schedulam proprii vel loci parochi, cum nomine confirmandi caeremoniario in actu administrationis tradendam.

Schedulae numerentur, ad normam libri confirmandorum paroeciae, et post confirmationem conferantur.

In libro confirmandorum paroeciae, duplici exemplari conficiendo (CJC 470 § 3), adnotari debet (praeter nomina confirmati, parentum, patrini, ministrorum) dies, locus confirmationis, et ecclesia baptismi cum aetate confirmati, ut facile observari possit canon 470 § 2, de confirmatione in libro baptizatorum adnotanda. CJC 798.

Si proprius confirmati parochus praesens non fuit, de conlata confirmatione minister (episcopus) vel per se ipsum, vel per alium, quam primum eundem certiorem faciat, ut annotari possit.

Praeter nomen baptismi, licebit episcopo aliud nomen dare confirmando, praesertim si nomen in baptismo conlatum non sit christianum. D 2404. VII. Nomen tempestive dari debet parocho ut apponatur schedulae.

TITULUS II

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS SOLEMNITER CONFERENDO UNI VEL PLURIBUS

CAPUT I

CLERUS INSERVIENS ET REGULAE SERVANDAE

55 ADERUNT

Pontifex administrans.
Capellani assistentes duo.
Caeremoniarius.
Ministri quatuor pro mitra, baculo, libro et scotula.
Clerici ad abacum duo.
Crucifer, si confirmat metropolita.

EPISCOPUS in publica et solemni administratione sacramenti confirmationis utetur pluviali, mitra, et baculo, etiamsi non sit loci ordinarius.

CAPELLANI DUO induent superpelliceum, etiamsi sint canonici in sua dioecesi seu praelati, et, si confirmatio fiat publice a loci ordinario in ecclesia cathedrali, canonici sunto. D 2471, IX.

› Si candelae sint offerendae aderit clericus alter vel sacrista cum canistro ad illas recipiendas.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

COLOR : albus

56 ALTARE ornabitur pallio (29) et sex accendentur cerei, vel saltem quatuor. Si ibidem aderit Sacramentum et multi sint confirmandi, ad aliud altare removendum erit.

SUPER ALTARI PRO EPISCOPO: Pluviale cum stola; amictus; formale si praesul sit loci ordinarius; quae velo cooperiuntur; mitra simplex ad latus evangelii; baculus pastoralis ad latus epistolae appositus.

SUPER ABACO alba tobalea cooperto:

Ritus confirmationis in folio seu in 4.°.
Scotula cum candela.
Vasculum sancti christimatis in lance.
Gossipium in lance.
Vas ad gossipium reponendum post usum.
Vela duo pro mitra et baculo.
Gremiale lineum.
Urceus cum aqua et pelvi.
Citreum in lance.
Manutergium in lance.

IN MEDIO ANTE GRADUS ALTARIS: Faldistorium sua veste coopertum, cum pulvinari.

AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI: Genuflexorium paratum in usum episcopi.

IN SACRARIO:

Superpellicea pro inservientibus.
Vas aquae lustralis cum aspersorio.

❯ Si celebrans sit metropolita, parabitur, a latere evangelii, crux ejus, et basis pro ea.

❯ Si mos est candelas episcopo offerri, aderit canistrum ad illas reponendas.

❯ Si multi sint confirmandi, faldistorium locari poterit in plano, prope introitum presbyterii, super parvo strato unius palmi ad maiorem commoditatem.

❯ Si numerus confirmandorum sit ingens, statuentur scamna oblonga hinc inde a janua ecclesiae ad introitum presbyterii, et spatium inter scamna in medio ecclesiae relinquetur liberum.

❯ Expedit uti vasculo sancti chrismatis a vasculo olei puerorum sejuncto, et non illud quod generatim inservit baptismo (cum duobus oleis in eadem lance), ne oriatur confusio, nam usus olei catechumenorum vel infirmorum secum fert nullitatem sacramenti. Vide vol. III, n.° *5*, 4; *8*, 2, I.

CAPUT III

RITUS CONFIRMATIONIS

ART. I — PRAEPARATIO ET INVOCATIO

57 **Adventus episcopi**

1 — Accensis candelis altaris, caeremoniarius cum rectore ecclesiae et cum 1mo acolytho, vasculum aquae benedictae ferente, exspectabit episcopum ad januam ecclesiae si per eam intret.

Ministri insignium paulo ante adventum episcopi ad abacum se sistunt.

Pontifex, habitu praelatitio proprio indutus, cum ad januam ecclesiae pervenerit, accepto hyssopo a rectore, se ipsum tantum aspergit; deinde, cum caeremoniario et rectore ecclesiae retro post eum, ad altare ssmi. Sacramenti adit, ubi aliquantulum orat; pergit dein ad altare functionis, ubi, cum pervenerit, flexis genibus ante faldistorium, iterum orat; deinde surgit et sedet in faldistorio ante gradus altaris (30).

Recedit rector, et capellani, facta genuflexione cruci altaris et reverentia episcopo, loca sua hinc inde a lateribus ejus sumunt.

❯ Si episcopus sit loci ordinarius, accepto hyssopo cum osculis a rectore, seipsum aspergit, deinde adstantes, et reddit aspersorium. Si sit in ecclesia sua, recipietur a duobus canonicis assistentibus. D 2471, IX.

❯ Si episcopus sit metropolita, crucem suam ante se habebit cum ecclesiam intrat et ab ea recedit; tempore confirmationis crucifer crucem in sua basi declinabit.

1.ª lotio manuum

2 — Pontifex crucem pectoralem et mozetam vel manteletum deponit, adjuvante familiari vel caeremoniario, et accipit biretum.

Clerici de abaco, vel familiares episcopi si aderint, ante pontificem se sistunt cum urceo et pelvi et cum manutergio in lance (flexis genibus si sit loci ordinarius) et pontifex manus lavat, 1mo. capellano manutergium ministrante, et, ea finita, recedunt ministri lotionis (31).

Vestitio episcopi. 3 — Caeremoniarius vestes sacras episcopi clericis ministrantibus distribuit, videlicet duobus acolythis et ministris de libro et scotula, et vela humeris ministrorum de mitra et baculo imponit, qui insignia sua accipiunt.

Clerici ante pontificem accedunt, qui, deposito bireto, a 1.° capellano, adjuvante 2.°, sacras vestes accipit, caudam habitus talaris non explicans, deinde a 1.° capellano induitur mitra, et sinistra accipit baculum.

Caeremoniarius ordinabit confirmandos in corona vel in lineis ante pontificem, cum suis patrinis vel matrinis, masculos ad dexteram et feminas ad sinistram, et, si necesse sit, facit claudere januam ecclesiae vel saltem attentus erit ne confirmentur illi qui extensioni manuum non adfuerunt. CJC 789. Si multi sint confirmandi, suis remanent locis.

Allocutio 4 — Pontifex, si voluerit, brevi sermone confirmandos alloquitur, naturam et effectus confirmationis explanans.

Invocatio et extensio manuum 5 — Finita allocutione, vel si habita non fuit, confirmandis ante pontificem ordinatis, omnes, junctis manibus ante pectus, flectunt genua cum patrinis vel matrinis (32).

Ministri de libro et scotula ante episcopum se sistunt, et capellanus 1us. mitram aufert, et assurgit praeses.

Pontifex, semper ad confirmandos versus, junctis manibus cantat recto tono *Spiritus Sanctus,* etc. Deinde, signans se manu dextera a fronte ad pectus, canit *V. Adjutorium nostrum,* et alios qui sequuntur.

Pontifex, extensis manibus versus confirmandos (33), canit recto tono 1mam partem orationis *Omnipotens... qui regenerare,* inflexa voce ad finem. Deinde eodem tono, inflexa semper voce ad finem (fa-re) canit tres versus qui sequuntur, cantoribus vel clericis respondentibus *Amen*. Postea recto tono cantat ultimam partem ejusdem orationis *Adimple eos* usque ad finem. Dum pontifex canit orationem capellani oras pluvialis ejus tenebunt.

❯ Oratio *Omnipotens... qui regenerare,* cum interpositis responsionibus, recitatur clara et intelligibili voce sine cantu, si sine cantu fiat confirmatio.

Finita oratione invocatoria, surgunt confirmandi et patrini, et sedet pontifex, qui a 1.° capellano induitur mitra et accipit gremiale, quod faldistorio aptabitur, deinde accipit baculum.

Ministri de libro et scotula stabunt ad latus epistolae, facie ad latus evangelii versa, et qui de mitra et baculo ad latus evangelii, facie ad latus epistolae versa, vel, si multi sint confirmandi, ad abacum recedunt.

❯ Si unus tantum sit confirmandus, versus *Spiritus Sanctus* et oratio invocativa dicuntur singulari numero, quod etiam in oratione finali et benedictione servabitur.

ART. II — CONFIRMATIO

A — SEDENS AD FALDISTORIUM

58 Locus proprius pro faldistorio dum episcopus confirmat, si ad altare non aderit Sacramentum, est in medio suppedaneo altaris, sed hoc tantum possibile est quando pauci confirmantur; tunc faldistorium ad suppedaneum portabitur in fine vestitionis episcopi.

Si ad altare aderit ssmum. Sacramentum, vel si multi sint confirmandi, faldistorium locabitur in plano presbyterii ubi convenientius, juxta ecclesiae dispositiones, ibique se vestit episcopus et fit confirmatio, et est casus hic expositus et communior.

Acolythus 1us. se sistit a dextris 1mi. capellani paulo ante eum, cum vasculo sancti chrismatis, et acolythus 2us. a sinistris 2di. capellani paulo ante eum, cum bombaceo in lance, super qua aderit etiam vas ad reponendum bombaceum post usum.

Confirmandi omnes surgunt, et, unus post alium, primo pueri et homines, deinde puellae et mulieres, ante pontificem se sistunt.

Patrinus schedulam caeremoniario tradit, qui nomen vel nomina confirmandi (baptismatis seu confirmationis tantum) pontifici declinat in forma nominativa seu vocativa.

Patrinus 1mi. confirmandi (sine chirothecis), facta genuflexione, eum pontifici praesentat stans retro post eum a latere sinistro ejus, apponens manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi genuflexi (34).

Pontifex, intincto pollice dextero in sancto chrismate, et imposita manu dextera super caput confirmandi (35), facit crucem unam cum pollice super frontem electi dicens, praemisso nomine ejus :

N. Signo te signo cru ✠ *cis* et adjungit :

Et confirmo te chrismate salutis.

Deinde, amota manu, benedicit ter confirmatum dicens:
In nomine Pa + tris, et Fi + lii, et Spiritus + Sancti.
Capellani submissa voce respondent *Amen.*

Deinde pontifex leviter eum in maxilla sinistra caedit dextera sua dicens *Pax tecum,* quae omnia clara sed submissa voce dicit.

Confirmatus annulum pontificis osculatur, surgit, et, facta cum suo patrino genuflexione cruci et episcopo simul, recedit passum unum versus dexteram suam ante capellanum 2um., qui unctionem abstergit gossipio (36), et ad locum suum redit, ubi exspectat stans. Accedit alius, et sic deinceps usque ad ultimum, et pro singulis fit similiter. Diagramma I.

❯ Si candelae sint offerendae, proceditur ut infra in fine n.º 59 (37).

B — AMBULANS PER ECCLESIAM

59 Si multitudo confirmandorum id expostulet, pontifex per ecclesiam ambulans sacramentum ministrat. In quo casu disponentur scamma oblonga utrimque per ecclesiam, ut in capitulo II (n.º 57) dictum fuit, et mares ponentur a latere dextero, feminae a latere sinistro ecclesiae.

Pontifex se vestit ad faldistorium ante gradus altaris seu prope introitum presbyterii, ubi omnia fiunt ut pro confirmatione ad faldistorium (n.º 57), sed non apponitur gremiale super genua ejus.

Confirmandi genua flectunt suis locis cum confirmantur, patrinis vel matrinis a sinistris eorum retro stantibus, qui, dum fit unctio, manum dexteram super humerum dexterum sui confirmandi apponunt.

Finita oratione *Adimple eos,* pontifex, accepta mitra et baculo, assurgit, et, medius inter suos capellanos, oras pluvialis tenentes, pergit ante primum confirmandum prope januam ecclesiae a latere dextero. Ante pontificem ibunt clerici de abaco cum sancto chrismate et bombaceo in lance, quos sequitur caeremoniarum magister.

Cum episcopus ante 1mum. confirmandum pervenerit, clericus cum chrismate se sistit a dextris 1mi. capellani, et clericus cum bombaceo ad sinistram 2di. capellani. Caeremoniarius, accepta schedula confirmandi, nomen ejus pontifici declinat, qui statim eum confirmat, ut in n.º 58 habetur. Capellanus 2us. unctionem abstergit; deinde proceditur ad 2um confirmandum, et sic deinceps usque ad ultimum, et pro singulis fit similiter.

Ad latus sinistrum pontifex procedit ab altari ad januam, seu versus dexteram suam ambulans.

❯ Si confirmat metropolita, crucifer se sistit versus dexteram ejus dum pontifex per ecclesiam ambulat confirmans, vel, si locus sit exiguus, ad altare consistit.

❯ Si pontifex non vult cum baculo confirmare, potest illum ministro proprio tradere, qui retro post ipsum se sistit tempore confirmationis.

❯ Si candelae sint offerendae, unusquisque confirmatus, accepta alapa, candelam suam pontifici tradit cum osculo manus ejus tantum; pontifex candelam dat 1.º capellano, qui eam, sine osculis accipiens, in canistrum a sacrista seu a clerico portatum reponit.

Omnibus confirmatis, pontifex, accepto baculo, si eum dimiserit, ordine quo venit, ad faldistorium redit et sedet.

60 ART. III — RITUS FINALES

2.ª lotio manuum

1 — Pontifex baculum ministro tradit, et, si stans confirmavit, accipit gremiale album.

Clerici de abaco, chrismate et bombaceo depositis, et acceptis urceo cum pelvi et manutergio in lance, vel familiares episcopi si aderint, ante episcopum se sistunt pro lotione manuum.

Capellanus 2us. in promptu habebit medullam panis vel citrum pro frictione manus episcopi ante lotionem; deinde, capellano 1.º manutergium ministrante, pontifex tergit manus.

Dum pontifex manus lavat, schola cantabit antiphonam *Confirma hoc, Deus,* cum *Gloria Patri* et repetitione antiphonae in fine. Ad *Gloria Patri* omnes caput inclinant, excepto pontifice cum suis capellanis et ministris lotionis, cum intenti sint lotioni.

Ministri lotionis recedunt et capellani gremiale lineum solvunt et auferunt.

❯ Si functio fiat sine cantu, antiphona recitatur a capellanis pontificis post manuum lotionem, et ad *Gloria Patri* omnes caput inclinant; vel, si aderint alii clerici non inservientes lotioni, recitent ipsi antiphonam dum pontifex manus lavat.

Oratio finalis

2 — Ministri de libro et scotula se sistunt retro post faldistorium tergo altari obverso. Pontifex, deposita mitra, assurgit, et, versus sinistram suam, ad altare se vertit.

Confirmati genua flectunt, et episcopus canit versum *Ostende nobis* cum aliis qui sequuntur, et adjungit recto tono orationem *Deus, qui apostolis tuis,* ad confirmationem complendam.

❯ Si confirmatio fiat in suppedaneo, capellani librum sustinebunt pro cantu huius orationis, et minister de candela se sistit a dextris 1mi. capellani.

Benedictio finalis

3 — Dicta oratione, episcopus recto tono canit introductionem ad benedictionem *Ecce sic benedicetur* et ad dexteram suam se vertit. Capellanus lus mitram ei imponit et baculum tradit. (38)

Ministri de libro et scotula locum sumunt ante pontificem qui, ad confirmatos versus, canit recto tono benedictionem finalem dicens *Bene + dicat vos,* dextera confirmatos benedicens. Deinde sedet, ministri de libro et scotula recedunt et confirmati assurgunt.

❯ Si confirmet metropolita, crucifer pro hac benedictione non se sistit ante eum.

Confirmati una simul clara voce recitant *Credo, Pater Noster* et *Ave Maria,* nisi dispensentur ab episcopo.

Deinde pontifex, si velit, alloquetur confirmatos, et in fine dextera silentio eos benedicit quasi illos dimittens, et ipsi, facta cum suis patrinis genuflexione episcopo simul et cruci, recedunt.

❯ Si confirmatio fiat sine cantu, pontifex clara voce recitat orationem finalem cum suis versibus et benedictionem.

Caeremoniarum magister et ostiarii attenti erunt ne confirmati discedant antequam finalem benedictionem accipiant. CJC 789.

❯ Si confirmatio facta fuit in suppedaneo, post benedictionem, vel post exhortationem si habita fuit, surgit pontifex, et in planum descendit, ubi clerici de abaco faldistorium reponunt.

Depositio vestium et discessus

4 — Pontifex, sedens ad faldistorium, sacras vestes deponit et accipit chorales; deinde flectit genua super pulvinar a caeremoniario ante faldistorium positum, omnibus genuflectentibus, et, facta oratione, surgit et discedit, ordine quo venit.

TITULUS III

DE RITIBUS ALIQUANDO ADHIBENDIS

CAPUT I

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS PRIVATIM CONFERENDO

61 Solemnitas confirmationis non desumitur e numero tantum confirmandorum, sed etiam ex ejus publicitate. Confirmatio generalis vel multorum fieri solemniter debet, ut, ipsa solemnitate ritus, dignitas sacramenti fidelibus appareat. Confirmatio etiam unius si publice fiat, fieri debet solemniter, nam eadem adest ratio; sed privata administratio confirmationis in oratorio episcopi vel in alio oratorio publico vel semipublico, uni vel pluribus, laudabiliter fit solemniter ut in titulo II habetur; potest tamen episcopus, justa interveniente causa, privatim confirmare sine solemnitate, ut inferius habetur.

62 ANTE MISSAM PRIVATAM — Pontifex ante suam missam privatam (quae non sit defunctorum) confirmare volens, se parat ad missam more solito usque ad casulam inclusive. Deinde ad suppedaneum altaris ascendit et in faldistorium, ibi positum, sedet.

Confirmandi flectunt genua in planum ante gradus altaris, et pontifex, capellanis librum ante eum tenentibus, vel adstantibus ministris de libro et scotula, recitat orationes quae confirmationem praecedunt.

Deinde sedet, acceptis mitra et baculo, et fideles more solito confirmat.

Postea pontifex, deposito baculo, lavat manus; capellani, finita lotione, recitant antiphonam *Confirma hoc Deus.*

Deposita mitra, surgit pontifex, et, ad altare versus, dicit orationem finalem cum suis versibus, in cujus fine adjungit introductionem ad bene-

dictionem *Ecce sic benedicetur;* deinde, ad dexteram se vertens, accipit mitram et baculam, et, versus ad confirmatos, illis benedicit.

Sedet pontifex et a confirmatis dicuntur *Credo, Pater Noster,* et *Ave Maria,* in cujus fine illis benedicens ad loca sua dimittit.

Pontifex in planum descendit, et, amoto faldistorio, incipit missam de more, intra quam confirmati laudabiliter Sacra Eucharistia reficientur.

63 POST MISSAM PRIVATAM. Si confirmatio fiat post missam privatam (non tamen pro defunctis), finito ultimo evangelio, faldistorium in suppedaneo altaris ponitur, ibi sedet pontifex et manipulum deponit. Proceditur ad confirmationem ut ante missam.

Finita confirmatione, amovetur faldistorium, et pontifex in planum descendit, ubi, more solito, stans sacras deponit vestes.

64 SINE MISSA. Pontifex privatim in suo sacello vel alibi confirmare volens, habeat stolam circa collum et assistentiam duorum capellanorum, qui librum ante eum tenent, sanctum chrisma et lotionem ministrant.

Pontifex non utitur baculo, sed uti poterit mitra cum facit unctionem et dat finalem benedictionem. Vide notas 16 et 19.

Ad altare accendentur candelae duae vel quatuor.

65 IN ALIENA DIOECESI pontifex subditos suos privatim confirmare volens, id facit ut supra, ante vel post suam missam privatam vel sine missa, sed ab usu mitrae et baculi abstinebit. CJC 783 § 2.

CAPUT II

DE CONFIRMATIONE A PRAELATIS INFERIORIBUS CONFERENDA

66 Abbas vel praelatus nullius, vicarii vel praefecti apostolici, intra limites sui territorii, vel, de speciali permissu Sanctae Sedis, abbas de regimine vel apostolicus administrator, intra ecclesiam suam vel suum territorium, confirmationis sacramentum administraturi, id facient solemniter, si solemniter fieri debet, vel expediat, ut in titulo II exponitur. Qui omnes, tum abbates benedicti, tum ceteri locorum ordinarii, quibus a jure privilegia protonotariorum de numero conceduntur, utentur faldistorio et mitra

auriphrygiata, excluso tamen baculo, nisi sint abbates benedicti in suo territorio.

Protonotarii ad instar, de speciali indulto apostolico, confirmationem solemniter administrantes, habitu praelatitio induti, procedunt ut in titulo II, sed sedent ad scabellum loco faldistorii; et utentur mitra alba serica simplici (39).

Protonotarii omnes mitram adhibent tantum in confirmatione solemniter conferenda cum pluviali, et non cum eam privatim administrant, quia mitra ratione solemnitatis conceditur; praeterea privatim confirmantes stabunt semper. Vide prolegomena, n.° *39* ss.

Simplex sacerdos, ex apostolico indulto confirmans, agat more sacerdotali, ut in appendice ad RR habetur, et stans confirmat. Collectanea SCFP tom. I, n.° 502, 23-IV-1774; n.° 503, 4-V-1774.

NOTAE AD SECTIONEM I

(26) Verba PR *Confirmandi deberent esse jejuni* partem regulae maiorum tradunt, secundum quam non solum confirmandi, sed etiam confirmans jejuni esse deberent. Hodie hoc tantum fit, et laudabiliter, quando confirmatio confertur ab episcopo immediate ante missam suam et confirmatus intra missam sacram communionem accipit. Nostris diebus generatim fideles e dissitis locis in magno numero confirmantur tempore visitationis paroeciae, et fere impossibile erit jejunium ministri vel confirmandorum exigere. Prudenter proinde codex de jejunio servando ante confirmationem tacet, sed de eo loquitur novissima instructio SCS. ASS 1935, pg. 11.

(27) Juxta Galtier, Sancta Sedes positive non condemnavit consuetudinem in Belgio aliisque locis exsistentem, procrastinandi confirmationem usque ad decimum vel decimum secundum aetatis annum, quod tamen certe secundum Ecclesiae vota non est. Apud *Nouvelle Revue Théologique, Louvain,* 1933, pg. 675.

(28) Consuetudo invitandi ad munus patrini obeundum personam absentem, quae officium suum implicite vel explicite accepit, et adhibendi aliam ad eam in actu (baptismatis vel) confirmationis repraesentandam, quae non sit expressa delegatione patrini munita ut munus procuratoris exercere possit, reprobanda est.

1.° Quia indubitanter constare debet patrinum in facie Ecclesiae proprium munus suscepisse, quod per dictam consuetudinem manet incertum et aequivocum;

2.° Quia patrinus suum munus suscipere debet cum plena notitia et conscientia inde exorientis obligationis, ad mentem canonis 769, quo excludi videtur praefata consuetudo, quippe quae patrini officium ad quemdam inanem ritum redigit;

3.° Quia ex tali recepto more facultas fere demetur parocho conditiones explorandi, quae a canonibus 765 et 766 requiruntur, ut quis valide et licite munus suscipiat. SCS instructio diei 25 Nov. 1925, licet de patrinis baptismatis agat, valet etiam pro patrinis confirmationis juxta canonem 795, n. 5.°, et canonem 797, nam inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis oritur, quae nullo modo incerta et aequivoca esse potest. AAS 1926, pg. 43.

(29) Color in administratione confirmationis utendus est albus; sed confirmatio est ritus per accidens occurrens, et vestes altaris a missa et officio determinantur; proinde dicimus altare ornari debere antependio coloris temporis seu officii, quod servari debet in casu quo confirmatio ministretur in hebdomade Pentecostes. Non prohibetur tamen mutatio coloris officii pro confirmatione tantum, praesertim si solemnius conferenda est et independenter a missa; si vero confirmatio fiat ad altare minus, color erit semper albus.

(30) Juxta MM (vol. 4, pg. 26) deberet pontifex, facta oratione super pulvinari, ad altare ascendere, ibique manus lavare et indumenta accipere. Sed suppedaneum altaris non est locus vestitioni proprius, nec pro solemnioribus functionibus ad faldistorium; proinde facimus initium functionis in plano. Nec expedit thronum adhibere pro vestitione, etiamsi episcopus sit in propria ecclesia, quia functio haec non fit ad thronum sed ad faldistorium.

(31) Juxta PR h.l. pontifex debet manus lavare antequam incipiat ritum confirmationis; sed juxta regulam generalem (CE passim) pontifex manus lavat antequam sacras capiat vestes, quod revera rationabilius est. Sequimur MM, LVH et regulam generalem.

(32) In aliquibus locis mos est ut episcopus, sacris vestibus indutus, antequam ritum confimationis incipiat, flexis genibus intonet hymnum *Veni, Creator*. Cantata prima stropha, surgit pontifex et cum eo omnes. Cum incipit inungere frontes confirmandorum, a schola, interposita mora, cantantur ceterae strophae, quae repetuntur, si necesse sit, prima et ultima exceptis, ne sine cantu prosequatur functio. Doxologia cantatur dum ultimi confirmantur. Liceret, consulto quidem, totum hymnum cantare ante 1*am*. orationem confirmationis.

(33) A nonnullis auctoribus, et ab ipso CJC, prima extensio manuum vocatur impositio (canon 789); sed nonnisi improprie et extensive modo ritus ille manuum impositio vocari potest, cum sit tantum extensio manuum, sicut a PR vocatur. In hac extensione manuum nulla datur positiva determinatio materiae vel subjecti, cum manus eodem modo super omnes praesentes extenduntur. Error fortasse invectus fuit ex eo quod confirmatio fieri debet per impositionem manus, et auctores quidam non putabant sufficere impositionem quae unctionem concomitatur. Ipse Catalanus dicit *ad hanc manuum impositionem, sive extensionem, per orationem pontificis invocatum accipi Spiritum Sanctum, omnium una est Patrum sententia.* De confirmandis § XIII. Hodie tamen communis est sententia contraria, seu sacramentum traditur unctione cum chrismate et impositione manus, quae eodem momento fit. Si quis tardius advenerit et manuum extensioni non adstaret, ritus omissus deberet quam citissime suppleri, sed confirmatio non esset iteranda, nec sub conditione. SO 17-IV-1872; 22-III-1892.

(34) Rubrica PR *Adulti ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui* antiquissima est, et ipse Carolus Borromeus ita fieri debere edixit. AEM vol. II, col. 547 et 1292. Sed rubrica incommoda nonnulla praesefert, et contradicit sequenti rubricae quae facit confirmandos flexis genibus praesentari; rubrica de pede super pedem ponendo fideles stantes confirmari supponit. Usus multis ab hinc annis obsolevit et appositio manus dexterae patrini super humerum dexterum confirmandi, uti legitima declarata fuit. D 2404, VI.

(35) Rubrica appendicis PR a Benedicto XIII introducta, et rubrica novae editionis RR jubent episcopum manum dexteram capiti confirmandi apponere dum eum confirmat, ut clarius appareat ritus impositionis manus, qui, juxta omnium sententiam, de essentia sacramenti est, licet stricte loquendo sufficiat impositio quae fit cum unctione. Vide Ephemerides liturgicas, 1897, pg. 646. Unctio in forma crucis, secundum communiorem sententiam, essentialis est ad ipsum valorum sacramenti, secus irrita deveniret formula *Signo te signo crucis.*

(36) Usus ligandi frontem confirmati linea vitta, licet pervetustus, teste Catalano (PR h.l.), passim suo tempore non servabatur. Hodie consuetudo contraria, videlicet de fronte statim bombaceo abstergenda, fere ubique invaluit.

(37) In nonnullis locis viget consuetudo offerendi aliquid episcopo tempore confirmationis. In Italia ab unoquoque confirmato solet offerri episcopo candela. In expositione nostra confirmati candelas suas pontifici tradunt, est enim donum pontifici factum, quod significationem perdit si candelae directe sacristae seu clerico traduntur ut docet MM. In Brasilia et alibi mos est offerre episcopo parvam pecuniam cum a parocho traditur schedula.

(38) Pro benedictione finali facimus episcopum baculum et mitram assumere, sunt enim correlativa, et baculus adhiberi debere legitur in appendice PR. Quod quidem confirmatur duabus rationibus a LVH datis: 1.ª Episcopus semper benedicit cooperto capito; 2.ª Benedictio haec omnino similis est illi quae habetur in fine ordinationis presbyteri, pro qua usus mitrae et baculi praecipitur. *Les Fonctions Pontificales,* ed. 3.ª vol. 2, pg. 297. *Eph. Lit.* 1897, pg. 358 et 648.

(39) Verum est in motu proprio Pii X non concedi protonotariis ad instar usum mitrae quando confirmant, sed quia hoc non supponitur; sed conceditur usus mitrae pro functionibus minoris momenti uti benedictione cum Venerabili vel processione (n. 48); proinde dicimus protonotarium *debere uti* mitra quando, de indulto apostolico, sacramentum confirmationis, qui ritus proprius est pontificalis, solemniter administrat. Quod quidem confirmatur recentissima instructione SCS 1, 2, opportune citanda:"...non semel accidit ut... Sancta Sedes quodammodo compellatur etiam ad simplicem sacerdotem deputandum, tamquam sacramenti confirmationis extraordinarium ministrum... Hisce tamen casibus, admodum singularibus, semper fuit Ecclesiae mens et sedula cura, ut hic veluti suffectus ordinario confirmationis administer, quatenus fieri posset, in aliqua esset ecclesiastica dignitate constitutus, atque in proprio territorio dioecesis, ita ut v.g., usu pontificalium frueretur, ceterisque honorificis gauderet privilegiis atque insignibus, quae competere solent protonotariis apostolicis". AAS 1935, pg. 13. Unde verba apostolicis indultis apposita *in aliqua ecclesiastica dignitate constituti,* in primis intelligenda sunt de protonotariis apostolicis supranumerariis vel ad instar.

SECTIO II

DE ORDINIBUS CONFERENDIS

SECTIO II

DE ORDINIBUS CONFERENDIS.

TITULUS I

PROLEGOMENA

CAPUT I

DE MINISTRO ORDINATIONUM

67 1 — Minister ordinarius omnium ordinum est episcopus consecratus. CJC 951.

2 — Minister extraordinarius pro tonsura et ordinibus minoribus est :

A — S.R.E. cardinalis, ubique terrarum, dummodo promovendus habeat dimissorias proprii ordinarii litteras. CJC 240, § 1, n. 22.

B — Abbas vel praelatus nullius, vicarius et praefectus apostolicus, sed in proprio territorio et durante munere, tum propriis subditis, tum aliis qui litteras dimissorias exhibent. Nequeunt tamen ordinare proprios subditos extra proprium territorium, nam ordinatio esset invalida. CJC 957, § 2.

C — Abbas de regimine rite benedictus, pro suis subditis tantum, qui saltem professionem simplicem seu ad triennium emiserint. CJC 964, n. 1.

3 — Vicarii capitulares, quibus aequiparantur a jure apostolici administratores, nequeunt tonsuram et ordines minores conferre, nisi habeant apostolicum indultum, quod petentibus nonnunquam conceditur. CJC 951.

4 — Promotio ordinati a Summo Pontifice, ipsi reservatur. CJC 952. Juxta antiquum privilegium, a Benedictio XIV confirmato in bulla *Ad honorandam* § 6, competit cardinali archipresbytero Basilicae Vaticanae ordinatio, per se vel per alium, cleri Basilicae.

5 — Minister celebrationis missae et ordinationis unus esto, nec infirmitas vel necessitas aliud expostulare potest. CJC 1003; DD 1071; 1150; 2772.

6 — Quoad liceitatem ordinationum quae fiunt a ministro ordinario, seu quoad *titulum competentiae* in ordinandos, requiritur ut sit episcopus proprius ordinandorum, vel ut ordinandi habeant litteras dimissorias proprii ordinarii. Quisnam sit episcopus proprius et quomodo dandae sint litterae dimissoriae extraneis episcopis vide apud canonistas: ante codicem praesertim: Many, *de ordinatione*, pg. 83, § 3; Gasparri, *de ordinatione*, vol. 2.°, pg. 69, § 3; post codicem: Wernz-Vidal, *Jus canonicum*, tom. IV, 1; Cappello, *De sacra ordinatione*, pg. 292.

CAPUT II

DE SUBJECTO ORDINATIONUM

68 Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus. CJC 968.

Ut quis licite ordinari possit requiritur a jure:

1. Legitima filiatio. CJC 984, n. 1.
2. Physica integritas corporis et mentis. CJC 984, n. 2 et 3.
3. Non sit irregularis ex alio defectu vel ex delicto. CJC 984 et 985.
4. Aetas canonica. CJC 974, § 1, n. 3.
5. Sacra confirmatio. CJC 974, § 1, n. 1.
6. Mores ordini recipiendo congruentes. CJC 974, § 1, n. 2.
7. Debita scientia, de qua fiunt pericula. CJC 996, § 6.
8. Libera voluntas, jurejurando firmanda, recipiendi ordines, non enim possunt cogi clerici ad illos recipiendos. CJC 793, § 2.
9. Ordinum inferiorum susceptio. CJC 974, § 1, n. 5.
10. Interstitiorum observatio. CJC 974, § 1, n. 6.

11. Titulus canonicus sustentationis pro ordinibus maioribus. CJC 974, § 1, n. 7.
12. Propositum ascendendi ad presbyteratum. CJC 973, § 1.
13. Necessitas Ecclesiae, vel saltem utilitas. CJC 969. "Nullus debeat ordinari qui... non sit utilis aut necessarius" (Conc. Trid. sess. XXIII, cap. XVI), ne sacramentum in detrimentum vertatur animarum.
14. Vocatio ab episcopo, pro qua fieri debent scrutationes juxta canones 998, 999, 1000, et instructionem S.C. de Sacramentis diei 27 Decembris 1930. AAS 1931, pg. 120 ss.

Instructio haec ad religiosos sodales extensa fuit, cum quibusdam tamen modificationibus. AAS 1932, pg. 74 ss. Utramque invenies apud Wernz-Vidal, *Jus canonicum*, IV, 1, allegata II et III, et apud alios canonistas, et eorum studium sedulo commendatur illis qui debent clericos praesentare vel ordinare. Authenticum commentarium instructionum edidit Cardinalis Dominicus Jorio *Sacerdos alter Christus*, Romae 1933. Versionem anglicanam tradit Bouscaren *Canon Law Digest*, vol. I, pg. 463 at 473.

Expleta ordinatione, singulis ordinatis detur authenticum ordinationis receptae testimonium; ordinatio adnotetur in speciali libro curiae episcopalis, et in registro baptismi promoti ad subdiaconatum; quae omnia fieri debent ad normam juris. CJC 1010; 1011.

Fusius de subjecto ordinationis et de praerequisitis invenies apud canonistas.

CAPUT III

DE TEMPORE ORDINATIONUM.

69 Prima tonsura qualibet die et hora conferri potest; ordines minores singulis diebus dominicis et festis duplicibus, minoribus vel maioribus, mane tamen (CJC 1006, § 4); non autem in semiduplicibus, simplicibus vel feriis per annum (40).

Non prohibetur episcopus primam tonsuram et ordines minores conferre in sabbatis ordinum, tum una cum ordinatione generali ut in rubricis PR habetur, tum privatim; talis enim est praxis Urbis. Vide caput X huius tituli. Eph. lit. 1933, pg. 291.

Ordinationes in sacris celebrentur intra missarum solemnia sabbatis quatuor temporum, sabbato ante dominicam passionis et Sabbato Sancto. CJC 1006, § 2 (41).

Gravi tamen interveniente causa, episcopus potest ordinationes habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto, etiamsi solemnitas externa, ex indulto, celebretur in dominico anteriori vel sequente. D 3890, I, 3. CJC 1006, § 3. Excluduntur festa per CJC in universa Ecclesia suppressa. AAS 1936, pg. 210 (42).

Excipe tamen Dominicam in ramis palmarum et festum purificationis B.M.V. quando cadit in dominica, in quibus ordinatio solemnis componi nequit cum ritibus diei; et dies dominicos qui veniunt immediate post sabbata ordinum; vel dies festivos de praecepto servandos qui veniunt immediate ante sabbata ordinum, cum nulla videtur adesse causa gravis antecipandi vel posponendi ordinationes per diem unum.

Judex de gravitate causae est ipse episcopus. Gravis causa est necessitas ordinandi cum sabbatum ordinum non occurrit. Cum ordinationes fieri soleant initio cursus seminarii post spiritualia exercitia communitatis, vel initio secundi semestri, nec semper concurrit tempus seminarii cum sabbatis ordinum.

Jure reprobantur consuetudines statutae legi contrariae; proinde reprobatur ordinatio extra tempora sine causa gravi, et praesertim reprobatur consuetudo ordinandi in sabbatis vel feriis per annum (43), aut in festis quae non sint duplices de praecepto servandae. CJC 1006, § 5.

Leges canonicae de temporibus servandae sunt cum episcopus latini ritus ordinat, ex apostolico indulto, clericum ritus orientalis aut contrarie. CJC 1006, § 5.

Lex de tempore se refert ad ordinationes tum solemnes, tum privatas, sed non ad casus de iteranda seu supplenda ordinatione, quae fieri debet secrete. CJC 1007.

Quoad ordinationes in Sabbato Sancto vide titulum VI, n. *187*, ss.

CAPUT IV

DE LOCO ORDINATIONUM ET DE ASSISTENTIA CLERI

70 Episcopus extra proprium territorium sine ordinarii loci licentia nequit ordines conferre in quorum collatione pontificalia exercentur. CJC 337, §§ 1 et 2, et 1008.

Non prohibetur tamen episcopus extra proprium territorium primam tonsuram et ordines minores dare suis subditis privatim sine mitra, cum non sit pontificalia exercere, sicut de confirmatione dictum est. CJC 783, § 2 et 1008.

Cardinales possunt ordinationes habere ubique, etiam Romae, suorum subditorum, seu aliorum pro quorum ordinatione habent litteras dimissorias, praemonito ordinario loci si ordinatio in ecclesia cathedrali sit celebranda et servatis servandis; nam cum cardinales possunt ubique pontificalia exercere, possunt etiam ordinare. CJC 1008 et 239 § 1, n. 15.

Ordinationes generales in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ecclesiae canonicis, publice celebrentur; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior quantum fieri possit ecclesia adeatur. CJC 1009, § 1.

Sunt enim solemnia verba concilii Tridentini, a codice transcripta. Omnino vult Ecclesia ut ordinationes fiant quam solemnissime; proinde, si episcopus sit in sua civitate episcopali, fiant in Cathedrali, si in alia civitate, eligatur dignior ecclesia loci.

In dioecesibus in quibus paucissimi sacerdotes ordinantur, pro illis ordinatio etiam unius sacerdotis aequivalet ordinationi generali, et fieri debet in ecclesia cathedrali, servatis legibus generalibus; nam praeter solemnitatem vult etiam Ecclesia aedificationem et instructionem fidelium ad alias vocationes excitandas et enutriendas, quod etiam ordinatione unius consequitur.

Non prohibetur episcopus, justa suadente causa, ordinationes particulares habere in aliis etiam ecclesiis, itemque in oratorio semipublico domus episcopalis, seminarii, aut religiosae domus. CJC 1009, § 2.

Tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in oratoriis privatis. CJC 1009, § 3.

Ordinationes particulares habentur in oppositione ad ordinationes generales, sic v.g. ordinatio clericorum talis religionis fieri potest in oratorio illius religionis; sed certe contra legem agit episcopus qui facit solum ordinationes particulares in diversis ecclesiis seu oratoriis suae dioecesis, posthabita cathedrali, quae cum sit ecclesia propria episcopi, et mater ecclesiarum dioecesis, in ea non solum decet et convenit, sed etiam expedit ordinationes habere, et clericos solemniter ad publicum ecclesiae servitium deputare.

Tenentur canonici omnes ordinationibus generalibus solemnibus in cathedrali interesse, dummodo intimentur a cursoribus seu alio statuto modo. CJC 1009, § 1.

Canonici ab episcopo ad ordinationes extra cathedralem invitati adire tenentur numero sufficienti sed tantum in civitate episcopali cum suis suburbiis, D 1760, II, III; CJC 412, § 1. In alio dioecesis loco, aderit, legitime convocatus, clerus loci. CJC 1009, § 1.

CAPUT V

DE CLERICO FACIENDO

71 Juxta Tridentinum ad clericum initiandum sufficiebat cognitio rudimentorum doctrinae catholicae, legere et scribere; post codicem nemo, sive saecularis sive religiosus, ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum. CJC 976, § 1.

Calvus potest admitti ad tonsuram clericalem, quae in casu super perrucha conferenda est, quae, per fictionem et ad effectum juris, ab Ecclesia uti capilli proprii clerici habetur. D 2919.

Non licet primam tonsuram conferre una cum ostiariatu. CJC 978, § 3.

Initiandi, duobus saltem mensibus ante ordinationem, ad superiorem seminarii supplicem libellum mittere debent, manu sua exaratum, tonsuram petentes. Quae quidem petitio repetenda erit pro singulis ordinibus usque ad presbyteratum. Instructio SCS § 2, n. 1. AAS 1931, pg. 120.

Qui ad primam tonsuram promovendus est, spiritualibus exercitiis per tres saltem integros dies vacet. CJC 1001, § 1.

Jejunium pridie initiationem laudabiliter fit, sed a jure non praecipitur, nec pro ordinibus minoribus vel maioribus, quando ordinationes fiunt extra tempora.

CAPUT VI

DE MINORIBUS ORDINIBUS CONFERENDIS

72 Post codicem non amplius licet plus quam duos ordines minores eodem die conferre. CJC 1001, § 1.

Interstitia inter primam tonsuram et ostiariatum, vel inter singulos ordines minores, prudenti episcopi judicio committuntur. CJC 978, § 2.

Ad ordines minores promovendi vacare debent exercitiis spiritualibus per tres saltem integros dies. CJC 1001, § 1.

Quoad studia facta pro ordinibus minoribus tacent canones; sufficit proinde initium cursus theologici, judicio episcopi.

Quilibet promovendus, sive saecularis sive religiosus, debet praevium ac diligens examen subire circa ipsos ordines suscipiendos. CJC 996, § 1.

CAPUT VII

DE SUBDIACONATU

73 Subdiaconatus ne conferatur ante annum vigesimum primum completum. CJC 975.

Non licet subdiaconatum conferre neque cum acolythatu neque cum diaconatu una simul, et reprobatur contraria consuetudo. CJC 976, § 2.

Subdiaconatus ne conferatur nisi exeunte tertio cursus theologici anno. CJC 976, § 2.

Regularibus tamen solent dari indulta ordinandi in subdiaconos clericos solemniter professos exeunte primo vel secundo anno cursus theologici, dummodo compleverint vigesimum primum annum, sicut ante codicem fere ubique fiebat etiam apud saeculares.

Promovendi ad subdiaconatum vacare debent spiritualibus exercitiis per sex integros dies. CJC 1001, § 1.

Ad subdiaconatum vocati obligationes cum susceptione ordinis impositas calleant, praesertim de castitate perpetuo servanda, de divino officio bene recitando, de officio subdiaconi in missa solemni et frequentioribus functionibus exercendis; sciant enim se in Dei servitio perpetuo mancipari.

Promovendi ad ordinem subdiaconatus emittere debent professionem fidei coram loci ordinario ejusve delegato (CJC 1406, § 1, 7) juxta formulam quae habetur in initio CJC Insuper addenda est professio fidei contra modernistarum doctrinas. *Sacrorum antistitum* Pii Papae X. AAS 1910, pg. 669. SO 22 Martii 1918, AAS 1918, pg. 136.

Praeterea promovendi ad subdiaconatum, praeter petitionem chirographo suo exaratam ordinationem petentem, emittere debent coram suo

ordinario, ejusve delegato, qui solet esse superior seminarii, jusjurandum fidelitatis Pii Papae XI propria manu subscribendum. Instructio SCS. § 3, n. 1. AAS 1931, pg. 120. Formulae jurisjurandi haberi solent typis impressae.

CAPUT VIII

DE DIACONATU

74 Diaconatus ne conferatur ante annum vigesimum secundum completum, et nisi incepto quarto anno cursus theologici in scholis ad id institutis. CJC 975, 976, §§ 2 et 3.

Interstitia inter subdiaconatum et diaconatum tribus saltem mensibus constent, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae, judicio episcopi, aliud exposcat. CJC 978, § 2.

Regulares post codicem solent instrui privilegio conferendi diaconatum incepto tertio anno cursus theologici.

Pro exercitiis spiritualibus sex integri dies requiruntur, sed ordinarius potest eos ad tres reducere pro illis qui intra semestre ad plures ordines maiores promovendi sunt. CJC 1001, § 1.

Promovendi periculum subeant de ordine recipiendo et de officio diaconi in sacris functionibus exercendo.

Insuper emittent jusjurandum fidelitatis Pii Papae XI, sicut ante subdiaconatum.

CAPUT IX

DE PRESBYTERATU

75 Presbyteratus ante vigesinum quartum aetatis annum completum ne conferatur. CJC 975.

Solet tamen interdum Sedes Apostolica a lege aetatis aliquem eximere ad annum et, sed rarius, ad annum cum dimidio; quae quidem facultas dari potest a nuntiis seu delegatis apostolicis.

Presbyteratus conferri nequit nisi post medietatem quarti anni cursus theologici. CJC 976, § 2. Solent tamen regulares ex apostolico indulto promoveri jam ab initio quarti anni theologiae.

Pro interstitiis tres menses a jure requiruntur, judicio episcopi aliquando ad bonum Ecclesiae reducendi. CJC 978 § 2.

Debent ordinandi per sex integros dies exercitiis spiritualibus vacare, exceptis illis qui ante sex menses diaconatum receperunt, pro quibus sufficiunt tres dies integri. CJC 1001, § 1 (44).

Ordinandi bene sciant ordinem recipiendum et caeremonias tum missae lectae, tum solemnis, aliarumque functionum sacerdotalium, nam si ante ordinationem sacris ritibus non se applicent, post ordinationem minime illis studebunt.

Praeterea emittent jusjurandum fidelitatis Pii Papae XI, sicut ante subdiaconatum.

Presbyteri debent anniversarium suae ordinationis quotannis speciali modo commemorare, praesertim in celebratione missae, in qua post orationes diei adjungent orationem pro seipso sacerdote (oratio diversa n. 20) juxta rubricas MR, add. et var. VI, 3.

Promovendis ad presbyteratum, praesertim tempore spiritualium exercitiorum, enixe commendatur studium litterarum Pii Papae XI, *Ad catholici sacerdotii fastigium.* AAS, 1936, pg. 1.

CAPUT X

DE ESSENTIA PRESBYTERATUS

76 Vide tit. VII, n. *200* ss.

Quaestio de essentia sacramenti ordinis, seu de materia et forma, quae apud theologos et canonistas agitatur, practice aliquando importat in iteratione sacramenti; proinde maximi est momenti pro caeremoniarum magistris et episcopis clericos ordinaturis.

Sacramentum traditur impositione manus episcopi cum verbis quae ritum comitantur. Instrumentorum traditio cum verbis *accipe potestatem* et alia similia ponuntur ab Ecclesia ad susceptum ordinem clarius explanandum ad instar materiae et formae seu solemnis *celebret.* Quod quidem probatur praesertim verbis inspiratis, quae ita clara sunt ut interpretatione minime indigeant. Sic Paulus *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum.* 2.ª Tim. I, 6, 7. *Manus cito nemini imposueris.* 1.ª Tim. V, 22; etiam Act. Apost. VI, 5; VIII, 15 : XIII, 2 et 3. Verba Sacrae Scripturae ita semper intellexit Ecclesia,

et *nunquam* permisit ordinationes sine manuum impositione. Et si interrogentur patres Ecclesiae usque ad saeculum octavum vel nonum, responsio erit unanimis, de conlatione etenim sacramenti per manuum impositionem non disputabatur.

76-A EXCURSUS. Inde a secunda medietate saeculi decimi, hic et illic privata episcoporum auctoritate, et serius etiam Romae, introducta fuit consuetudo tradendi instrumenta, sed in Latina Ecclesia tantum. Ad rem Leroquais : "...la porrection du calice et de la patène dans l'ordination sacerdotale n'est pas attestée avant la seconde moitié du X*ème* siècle. Ni l'ancien Rit romain, ni le Rit gallican, ni les sacramentaires, ni les pontificaux manuscrits du IX*ème* et du début du X*ème* siècle n'y font allusion. Le premier qui la mentionne est le pontifical de Worms, de la seconde moitié où de la fin du X*ème* siècle. Encore faut-il ajouter qu'au X*ème* siècle son témoignage demeure isolé". Tome I, pg. LXXXI.

Scholastici, qui voluerunt quaestiones omnes regulis logicis solvere, posthabita codicum scrutatione et usu maiorum, cum in ritu impositionis manuum non invenissent verba quibus dicatur *esto sacerdos* vel *accipe potestatem sacerdotalem,* et talia verba invenissent cum traditione calicis et patenae, se invenisse dixerunt materiam et formam ordinationis sacerdotalis clarissime expressam. Sed, posita materia et forma, non convenerunt circa statum materiae; quidem dixerunt sufficere traditionem calicis vacui et patenae vacuae; alii dixerunt tradi debere calicem cum vino et patenam cum hostia; alii distinxerunt inter calicem formalem et materialem et dixerunt non sufficere materialem, sed calicem oportere esse consecratum; cum vero essent antiquitus calices et patenae ex vitro, quaerebatur utrum deberent esse ex metallo; quaesitum quoque fuit utrum traditio calicis sine pede sufficeret; alii quaesierunt utrum vinum deberet esse aqua mixtum ad valorem ordinationis; alii dixerunt tum impositionem manuum, tum traditionem instrumentorum, vel etiam verba *accipe spiritum sanctum* esse essentialia, seu post manuum impositionem quis fieret sacerdos *in fieri,* et, tradito calice, *in facto esse,* seu per partes ponentes sacramentum. Alii volentes traditionem instrumentorum in Liturgia Bysantina invenire dixerunt ritum applicationis frontis super altare esse traditionem instrumentorum, et alia absurda.

Sed sufficiat scire Ecclesiam nullam habere potestatem circa essentialia sacramentorum, uti declaravit Tridentinum (S. XXI, c. II). Quid

materia et forma ordinationis essentialius? Praeterea juxta oppositam sententiam impossibile esset ex scripturis probare institutionem sacerdotii. Doctrina quae tenet manuum impositionem esse unicam partem essentialem ordinationis, nostris diebus, si excipias quosdam theologos ex ordine praedicatorum, evasit communis. Sic enim sentiunt, inter alios, Pesch, Praelectiones dogmaticae vol. 7, pg. 308, qui dicit sententiam non esse probabilem sed moraliter certam; Tixeront, L'ordre et les ordinations, 2*em* ed., Paris 1925, pg. 176, Card. Gasparri op. cit., tom. II, pg. 224 ss.; Many, op. cit., pg. 483 ss.; Puniet, Le Pontifical, Paris 1930, 1er. vol., pg. 219.

Lectores remittimus pro fusiore explanatione ad eruditam expositionem Guilhelmi Cardinalis Van Rossum *De essentia sacramenti ordinis,* qua optime de Ecclesia meruit: ex ea enim patet de duobus unum: vel manuum impositio est essentia ordinationis, vel Ecclesia mutavit pro latinis essentiam hujus sacramenti et divisa est Ecclesia in essentialibus. Concludimus cum Cardinali Van Rossum *in hac sola manus impositione et oratione signum sacramentale ordinis, a Christo institutum et apostolica auctoritate traditum, certissime inveniri.* Ed. 1.ª pg. ultima. Vide etiam pulchram expositionem Many, de sacra ordinatione pg. 483; et praesertim Galtier, Imposition des Mains, apud Dic. de Théol. Cat. Tome 7, col. 1408-1425. Etiam Coppens, L'imposition des mains et les rites connexes, Paris 1925.

Praeterea ordinatio per manus impositionem etiam monumentorum voce probatur. Vide ordinationem primorum diaconorum: *aquarelle* Titi Ridolfi secundi dimidii saeculi X, Togale Kilissé in Cappadocia. Apud Jerphanion, *La Voix des Monuments,* 2ème série, Paris 1938, *planche* XLVIII.

Locuti sumus de essentia presbyteratus, quia de essentia consecrationis episcopalis doctrina communis est fere unanimis, seu ponunt omnes consecrationem in manuum impositione; nam theologi non invenerunt in ritu consecrationis episcopalis traditionem alicujus instrumenti cum verbis constitutivis: *Accipe potestatem episcopalem* vel similia.

De essentia ordinationis diaconalis fere nihil dicendum, nam si essentia esset in traditione libri evangelii ut dixerunt nonnulli, fatendum ordinationes omnes diaconorum per octo saecula in Ecclesia fuisse invalidas, cum fierent sola manuum impositione. *La remise de l'évangéliaire au nouveau diacre n'apparaît pas avant la seconde moitié du Xème siècle.*

Leroquais tome I, pg. LXIII. Praeterea quae dicta sunt de essentia presbyteratus applicari etiam debent tum diaconatui tum episcopatui cum agatur de uno eodemque sacramento, quod non potest habere diversas materias, declaravit enim Tridentinum septem *tantum* esse Ecclesiae sacramenta. Sess. VII, De Sacramentis in genere, canon 1us.

CAPUT XI

DE RITU MISSAE ORDINATIONUM

77 MISSA SIT SOLEMNIS. Decet ordinationes celebrare solemniter, seu cum cantu et sacris ministris, ordinatio est enim ritus natura sua solemnis. In CJC legitur "Ordinationes in sacris celebrentur intra missarum solemnia". CJC 1006, § 2. In jure liturgico missa solemnis seu missarum solemnia sunt ea quae fiunt cum cantu et sacris ministris, in oppositione ad missam lectam.

Praeterea PR semper supponit functionem solemnem cum cantu, et per totum ritum ordinationum tradit regulas servandas in missa solemni; ter tantum dicit quid faciendum erit si missa sit lecta, et sunt rubricae recentiores. Propterea SRC interrogata de ordinatione generali lecta ad altare laterale, respondit ordinationem fieri debere ad altare majus et *cum cantu.* D 2011, III. Romae in Basilica lateranensi ordinationes generales fiunt semper cum cantu seu solemniter, et ab illa debent aliae cathedrales exemplum sumere.

Determinationes juris liturgici circa ordinationes generales sese referunt potius ad ordines maiores conferendos, qui omnino conferri debent solemniter; pro prima tonsura, et ordinibus minoribus missa pontificalis non requiritur, nisi una cum ordinibus maioribus conferantur. Proinde episcopus qui velit, brevitatis et commoditatis gratia, uno die tonsuram et ordines minores privatim conferre, et in solemni ordinatione generali tantum ordines maiores dare, ageret ad tramitem juris; tamen promotio tum ad ordines minores tum ad maiores in sabbatis quatuor temporum omnino laudatur: propterea enim septem habentur lectiones.

78 ORDO MISSAE. Si ordinatio fiat in sabbatis quatuor temporum vel in sabbato *Sitientes,* missa ordinationum tum solemnis tum lecta erit semper de sabbato, reprobata contraria consuetudine (D 2473, II), etiam si occurrat vigilia vel festum novem lectionum, licet I vel II

classis. Rub. MR add. et vari. I, 2, 5. Sub unica conclusione cum oratione missae additur oratio pro collatione sacrorum ordinum; deinde addantur orationes de tempore, omissis commemorationibus. Non est tamen omittenda commemoratio festi simplicis aut simplificati de quo non legitur alia missa.

Si occurrit vigilia, 2.ª oratio erit de ea et legitur ejus evangelium in fine. Rub. MR, add. et vari. IX, 2, contra antiquiorem D 3638, I.

Si occurrit festum novem lectionum de eo legitur missa extra chorum sine commemoratione feriae, sed cum aliis commemorationibus forte occurrentibus.

Si in ecclesia non habeatur alia missa cantata seu conventualis etiam lecta, in missa ordinationum fit commemoratio de officio currenti etiam duplici I aut II classis, cum aliis orationibus forte occurrentibus. Rub. MR, add. et vari. I, 5. Distinctio proinde facienda in D 3642, III. Vide Ep. lit. 1936, pg. 78.

Oratio missae in sabbatis quatuor temporum cui addenda est oratio pro ordinandis sub unica conclusione est *Deus qui tribus pueris,* et non ea quae cum oratione officii concordat. D 3592.

Si ordinatio fit extra tempora, seu in dominicis vel festis de praecepto ex causa gravi, missa dicitur de dominica vel festo cum orationibus seu commemorationibus et omnia alia prout jacent in calendario, adjecta oratione pro collatione ordinum sub unica conclusione cum oratione diei.

Si ordinatio fit temporibus propriis, missa dicitur post nonam; extra tempora vero, in dominicis seu festis de praecepto, missa dicitur post tertiam.

In sabbatis temporum, cum septem ordines sunt conferendi, septem habentur lectiones legendae; post unamquamque lectionem unus confertur ordo, presbyteratus vero ante septimam lectionem, quod evangelium est, confertur.

TITULUS II

DE SOLEMNI ORDINATIONE GENERALI AB ORDINARIO CELEBRATA IN SABBATIS ORDINUM

CAPUT I

CLERUS INSERVIENS ET REGULAE SERVANDAE

ART. I — CLERUS ORDINATIONIS

79 ADERUNT :

Episcopus celebrans.
Sacri ministri.
Diaconi assistentes ad thronum.
Presbyter assistens, qui erit archidiaconus.
Caeremoniarum magistri duo vel tres.
Crucifer, si celebrans sit metropolita.

Ministri insignium quatuor :
pro mitra, baculo, libro et scotula.

Ministri ad abacum quatuor :
ceroferarii duo ; thuriferarius ;
unus pro gremiali et ampullis.

Familiares episcopi tres :
secretarius qui erit etiam notarius ;
caudatarius ;
cubicularius.

Pro elevatione Sacramenti :
clerici quatuor pro intorticiis.
Sacrista cum habitu talari et superpelliceo.

Numerus ministrorum allatus sufficit; experientia enim didicimus eorum multiplicationem sine necessitate potius obstruere quam adjuvare caeremoniarum ordinem.

CE supponit ministros duos pro gremiali et ampullis, sed sufficit unus, uti docent auctores fere omnes cum Bauldry.

Octo ministri, insignium videlicet et abaci, vestitioni episcopi inservient juxta CE I, 11, 2.

Ritus servandus in sabbato sancto invenies in titulo VI, n. *187* ss.

ART. II — REGULAE SERVANDAE

80 In jure, ordinatio generalis ea est quae a loci ordinario, vel ab alio episcopo ab eo deputato, solemniter seu cum cantu peragitur in ecclesia cathedrali in sabbatis ordinum. Generalitas non desumitur proinde e numero ordinandorum de facto, nam ordinantur quotquot ordinandi sunt; et si in aliqua dioecesi unus tantum promovendus ad ordinem majorem habeatur, pro eo ordinatio evadit generalis: canonici vel clerus interesse tenentur, missa erit de sabbato, et omnia fiunt ut in hoc titulo habetur.

Si nullus habeatur promovendus ad aliquem ordinem, transitur ad sequentem, et si unus tantum ordinandus sit in aliquo ordine, omnia fiunt in singulari.

81 **EPISCOPUS ORDINANS.**

Mitra

1 — Episcopus utitur mitra simplici (e tela aurea) toto tempore ordinationum, deponenda: quando canit orationes ad Deum cum suis versibus; ad 1um versum hymni *Veni, Creator;* ad praefationes duas; pro intonatione responsorii *Jam non dicam vos servos*.

Si ordinatio fit in colore violaceo mitra simplex tantum adhibebitur; si vero ordinatio fit cum vestibus albis vel rubeis, seu in Sabbato Sancto vel Pentecostes, episcopus adhibebit mitram pretiosam ad missam more solito et ad offertorium.

Baculus

2 — Celebrans utitur baculo, etiamsi non sit loci ordinarius, et eum in manu sinistra habebit: dum pergit de throno ad altare et vicissim; ad litanias dum benedicit electos; ad benedictionem presbyterorum in fine inde ab exhortatione *Quia res* etc.; dum imponit paenitentiam; et ad missam solito more; tempore ordinationum non utitur baculo.

Intonationes.

3 — Episcopus intonat tantum hymnum *Veni, Creator* et responsorium *Jam non dicam* in ordinatione sacerdotum.

Cantus

4 — Episcopus cantat in tono feriali:

Praefationes duas pro diaconis et presbyteris.

Recto tono seu simplici:

Orationes seu collectas omnes cum suis versibus;

Invocationes omnes et invitationes ad orationes cum suis versibus;

Benedictionem presbyterorum in fine ordinationis.

Tono proprio:

Benedictiones tres electorum ad litanias.

Ea omnia quae in missa more solito cani debent.

Nequit episcopus se eximere a cantu omnium orationum et invocationum seu invitationum, quas stans dicit, officium est enim solemne et totum cum cantu.

Recitationes clara voce

5 — Episcopus recitat clara voce:

Admonitiones omnes ad ordinandos et exhortationes ad populum;

Formulas traditionum instrumentorum et indumentorum et consecrationis manuum.

Interrogationem *Scis illos dignos esse?* cum *Deo gratias* ante ordinationem diaconorum et presbyterorum.

Formulas *Accipe Spiritum Sanctum* etc., in ordinatione diaconi et presbyteri;

Misereatur et *Indulgentiam* post *Confiteor* pro communione;

Corpus Domini etc. dum Sacramentum tradit ordinatis.

Interrogationem *Promittis mihi* etc., et *Pax Domini sit semper tecum* pro neo-presbyteris.

Positio manuum 6 — Episcopus habebit manus junctas ante pectus dum canit orationes et invocationes ordinationis cum suis versibus.

Episcopus manum dexteram extensam versus diaconos habebit pro ultima parte praefationis eorum; et versus presbyteros ab impositione manuum usque ad invocationem *Oremus, fratres carissimi* etc. inclusive.

Episcopus manus extensas ante pectus habebit tantum ad cantum duarum praefationum, usque ad conclusionem exclusive.

Quomodo se vertit 7 — Episcopus quando apud faldistorium se vertere debet ad altare, id facit super sinistram suam, et super dexteram suam, quando ad ordinandos se vertit, sicut pro *Dominus vobiscum* ad missam. Sed inverso ordine si altare locetur ad introitum presbyterii ita ut episcopus sedens terga vertat ad populum. CE I, 19, 4.

Abstensiones 8 — Episcopus non genuflectit cum diaconus canit *Flectamus genua*, nec recitat partes scholae.

Responsiones 9 — *Amen* et aliae responsiones post unctionem manuum presbyterorum, post vestitiones vel traditionem instrumentorum dicuntur ab ordinandis. Responsiones in cantu fiunt a schola.

82 ARCHIDIACONUS erit etiam presbyter assistens sicut in oleorum consecratione, ne oriatur confusio (45).

Si archidiaconus abest, 1mus canonicus ex ordine presbyterorum vel alia dignitas si aderit, fungitur officio presbyteri assistentis et archidiaconi.

Ubi non exstant capitula canonicorum nec archidiaconi, dignior de clero fungitur officio presbyteri assistentis et archidiaconi insimul.

Presbyter assistens nudato capite officium suum exsequatur ad altare, etiamsi gaudeat usu mitrae. D 1416; 2624, XVIII.

Tempore ordinationum, nisi aliter notetur, presbyter assistens ad locum suum in choro recedit; vel ad scamnum si non aderit chorus.

Archidiaconus meminerit secum ferre Pontificale parvum, in officio suo obeundo necessarium.

83 SACRI MINISTRI inserviunt ordinationi, cum sit officium ad altare et non ad thronum. Stabunt detecto capite dum episcopus sedens legit exhortationes et facit ordinationes.

Si sint protonotarii et gaudeant collegialiter usu mitrae, tempore quo fiunt ordinationes stabunt ad latus episcopi sine mitra, ratione ministrationis. D 2624, XVIII.

Diaconus ministrans mitram imponit et aufert ad altare, sicut etiam gremiale, juxta regulam pro functionibus ad altare.

84 DIACONI ASSISTENTES inservient tantum tempore missae ad thronum; dum fiunt ordinationes se sistent ad loca sua in choro.

Si non adest canonicorum capitulum, tempore ordinationum sedere poterunt ad scamna seu scabella ministrorum, a latere epistolae, ita tamen ut non obstruant caeremonias.

Deficientibus diaconis assistentibus, sacri ministri supplebunt pro ipsis ad thronum. CE II, 27, 14. D 3114, III.

85 CAEREMONIARUM MAGISTRI. Primus omnia dirigit, sed intentus erit praesertim circa personam episcopi. Secundus curam habebit de ordinandis et de ministris. Si ordinandi sint multi convenit tertium adhibere qui cum secundo ordinandos dirigat. Caeremoniarii ordinandorum erit eos efformare in circulo, sive in lineis si sint multi, ante episcopum cum ab archidiacono vocantur et ad loca sua iterum ducere.

86 MINISTRI INSIGNIUM. Qui de mitra et baculo, tempore ordinationum se sistent hinc inde in plano: mitra a dextris episcopi et baculus a sinistris. Quoties pontifex induere vel deponere debet mitram, minister de mitra se confert in suppedaneum ad dexteram diaconi, cui tradit vel a quo accipit mitram.

Ministri de libro et scotula (regulariter liber a sinistris et scotula a dextris libri), se sistent semper versus sinistram episcopi, ne impediant ordinationes, et stabunt cum ministrant, ad instar legilis, nisi locus aliud exigat.

87 MINISTRI ABACI. Acolythi ceroferarii inservient etiam manuum lotioni episcopi, nisi ad hoc adhibeantur familiares ejus, quorum munus est.

Minister de gremiali curam habebit etiam de chirothecis et de annulo episcopi, ac de spinulis sacri Pallii, si eo utatur. Se sistit in suppedaneo a dextris diaconi quoties opus est, cui tradit vel a quo accipit gremiale.

88 **NOTARIUS** erit secretarius episcopi indutus cappa, vel eo deficiente, 1mus. caeremoniarum magister. Notarius pausatim legat nomina promovendorum, exspectans toties quoties responsionem vocati *Adsum;* nec dicit *reverendus, dominus,* vel titulos nobilitatis, si habeantur, sed nomina tantum.

89 ORDO IN VOCATIONE SERVANDUS

PRO PRIMA TONSURA :

Primo vocantur regulares, qui vota solemnia emiserunt, deinde religiosi professi votorum simplicium, ultimo saeculares (46).

PRO ORDINIBUS MINORIBUS ET MAIORIBUS :

Primo vocantur clerici saeculares, deinde religiosi.

Nullus datur ordo praecedentiae inter saeculares vel religiosos ejusdem familiae; melius erit servare ordinem alphabeticum, vel aetatis uniuscujusque.

Inter regulares ordo erit sequens :

1 — Canonici regulares.
2 — Clerici regulares.
3 — Monachi.
4 — Fratres mendicantes.
5 — Clerici congregationum votorum simplicium.

Inter diversos ordines canonicorum, clericorum, monachorum et fratrum, praecedentia sumitur a fundatione et eadem est ac in processionibus. (Ordinem praecedentiae tradit Card. Gasparri, De ordinatione, n. 1011).

90 **ORDINANDI** ad ordines maiores sacram communionem intra missam recipere tenentur. CJC 1005. Ad primam tonsuram et ad ordines minores promoti, juxta receptum usum, laudabiliter cum aliis intra missam sacra eucharistia reficientur.

Tonsurandi et ordinandi omnes candelam dimidiae librae gestabunt, episcopo postea offerendam. Si ordinandorum numerus est valde magnus, omnes candelam ferunt, sed tantum primus uniuscujusque ordinis ipsam episcopo offert. D 2883, IV.

Neo-presbyteri concelebrant cum pontifice, et possunt proinde ad suam intentionem missam offerre. Cf. de la Taille, Mysterium Fidei, elucidatio XXVIII, appendix D *De concelebrantium sacerdotum stipendiis.*

Si unus tantum vel duo sint ordinandi, cum ascendere debent ad suppedaneum non genuflectunt, si jam erant genuflexi, sed assurgunt et statim ascendunt; et cum descendunt, si debeant nixi adstare genibus, statim sic se sistunt coram episcopo, nulla facta prius genuflexione.

91 **CHORUS** tempore missae sequitur regulas missae pontificalis. Genua flectit ad orationes missae et ad postcommuniones, et a *Sanctus* usque ad *Pax Domini* inclusive, excepto sabbato Pentecostes. Dum fiunt ordinationes, sedet, surgit, genuflectit, prout facit episcopus; sed genuflectit ad *Flectamus genua;* non assurgit vero cum ipse surgit tempore litaniarum electos benedicturus; in quibusdam casibus stat chorus, licet sedeat episcopus, ut pro cantu totius hymni *Veni, Creator,* responsorii *Jam non dicam,* et in quibusdam aliis locis ut infra dicetur.

Extra tempus suarum ordinationum, ordinandi faciunt partem chori.

› In ecclesiis cathedralibus, ubi non exstant canonicorum capitula, decet ut digniores de clero, qui ordinationi ab ordinario celebratae intersunt, et manus neo-presbyteris imponere debent, inde ab initio functionis assumant amictum et planetam coloris missae super superpelliceum sine stola, vel super rochetum si sint praelati, et ita induti loca sua sumant in choro, capituli ad instar, ad maiorem solemnitatem. PR ubi de impositione manuum.

92 **PULSATOR ORGANI** a pulsando abstinebit toto tempore ordinationis et concelebrationis, etiam in sabbato Pentecostes, nisi comitaturus erit cantum.

› Vide in initio huius tomi regulas generales in functionibus PR servandas, prolegomena, cap. IV.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

COLOR : violaceus — rubeus sabbato Pentecostes (47).

93 I — IN SACRARIO

PRO SACRIS MINISTRIS :

Amictus duo; albae duae cum cingulis; stola diaconalis una; dalmaticae duae, si eo die adhibeantur; bireta duo.

PRO DIACONIS ASSISTENTIBUS :

Planetae plicatae, vel dalmaticae cum amictibus.

PRO SUBDIACONO CRUCIFERO (si celebret metropolita) :

Amictus; alba; cingulum; planeta plicata vel tunica. Crux hastata.

PRO MINISTRIS INSIGNIUM :

Superpellicea quatuor; pluvialia quatuor si eis utantur; vela serica duo.

PRO TONSURANDIS ET ORDINANDIS IN MINORIBUS :

Superpellicea (48-49).

PRO SUBDIACONIS ORDINANDIS :

Amictus; albae; cingula; tunicae (50); manipuli.

PRO DIACONIS ORDINANDIS :

Amictus; albae; cingula; dalmaticae; manipuli; stolae diaconales.

PRO PRESBYTERIS ORDINANDIS :

Amictus; albae (51); cingula; manipuli; stolae; planetae (52), plicatae in parte posteriori; mappulae lineae pro manibus aptandis, super longitudine plicatae.

PRO OMNIBUS TONSURANDIS ET ORDINANDIS :

Candelae dimidiae librae.

PRO CLERO UNIVERSO :

Superpellicea et libri parvuli cum ritu ordinationis.

PRO THURIFERARIO :

Thuribulum cum navicula.
Vasculum aquae benedictae cum hyssopo.

PRO ELEVATIONE SACRAMENTI :

Funalia quatuor.

94 II — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI

Genuflexorium tapeto coopertum, cum pulvinaribus.
Sex cerei accensi, cum ibi pergit episcopus ante et post functionem.

95 III — IN PRESBYTERIO

AD ALTARE :

Septem candelabra cum cruce tantum; albae tobaleae tres; pallium sericum coloris missae.

Tapeta super gradibus altaris, et in presbyterio propter prostrationem ordinandorum.

SUPER ALTARI PRO EPISCOPO :

Planeta; chirothecae in lance; dalmatica et tunica; stola; alba cum cingulo; amictus; quae omnia gremiali concolori officio cooperiuntur. A latere evangelii mitra simplex; in sabbato Pentecostes vero ponetur a latere epistolae, et mitra pretiosa a latere evangelii. Baculus pastoralis aderit a cornu evangelii.

Si celebret metropolita :

Sacrum pallium coopertum serico velo coloris diei, in lance a latere evangelii altaris et spinulae tres in altera lance.

ANTE ALTARE :

Faldistorium sua veste coopertum cum pulvino.

SUPER ABACO MISSAE (53), a latere epistolae, alba tobalea contecto :

Candelabra duo cum cereis pro ceroferariis;
Calix et patena, cum palla, binis hostiis et binis purificatoriis.
Velum subdiaconi, super calice explicatum.
Velum calicis.
Bursa cum corporali.
Pyxis cum hostiis pro ordinandis, tot quot erunt communicandi.
Tobalea alba oblonga, sustinenda hinc inde ante communicandos.
Ampullae vini et aquae in pelvicula.
Patera praegustationis.
Urceus cum pelvi.
Manutergia in lance.
Campanula.
Caligae et sandalia in lance, velo cooperta.
Canon pontificalis.

Breviarium chorale.
Missale.
Epistolae et Evangelia cum manipulo Episcopi.
Scotula cum candela.
Tabellae *Confiteor* et indulgentiarum.

SUPER ABACO ORDINATIONIS a latere epistolae, alba tobalea contecto, ab alio sejuncto, vel ubi commodius :

AD USUM EPISCOPI :

Ritus ordinationis in folio.
Forfices in lance.
Oleum catechumenorum in lance.
Citreum vel medulla panis in lance et gossypium.
Gremiale lineum.

PRO NOTARIO :

Elenchus ordinandorum, juxta ordinem praecedentiae et facta mentione tituli sustentationis subdiaconorum curiae instrumento confectus.

PRO PRESBYTERIS MANUS IMPOSITURIS :

Stolae, nisi utuntur planetis.

PRO OSTIARIIS :

Claves duae in lance (54).
Tintinnabulum.

PRO ACOLYTHIS :

Ceroferarium cum cereo exstincto (55).
Ampullae vacuae vini et aquae cum suo catino.

PRO SUBDIACONIS :

Calix cum patena, sine elementis.
Ampullae cum vino et aqua ac manutergium in lance.

PRO LECTORIBUS, EXORCISTIS, SUBDIACONIS AC DIACONIS :

Epistolae et Evangelia.

PRO PRESBYTERIS :

Calix cum vino aqua mixto, et patena cum hostia.

SUPER MENSA ALIA extra ambitum oculorum :

Pelves cum aqua, citrea et manutergia, ad usum presbyterorum post manuum unctionem.

Canistrum ad recipiendas candelas.

SUPER SCAMNO :

Planetae plicatae duae, et stola latior, excepto sabbato Pentecostes; manipuli duo.

PRO ORDINANDIS IN CHORO :

Scamna oblonga.

PRO PRESBYTERIS post offertorium :

Scamna oblonga seu genuflexoria lignea (56), vel scabella, cum missalibus, signaculis positis foliis legendis, tot quot ordinandi erunt.

THRONUS EPISCOPI suis instructus vestibus, cum tribus scabellis et pulvino.

LEGILE nudum pro lectionibus, cooperiendum pro cantu evangelii.

A LATERE EVANGELII (si celebret metropolita) :

Basis pro infigenda cruce.

PRO CANONICIS suis in locis in choro :

Pluvialia pro dignitatibus et presbytero assistente; casulae, casulae plicatae, vel dalmaticae pro aliis; amictus pro omnibus.

❯ Si non aderit canonicorum capitulum, parentur casulae pro sacerdotibus manus impositurís, qui eas, inde ab initio missae, induant super superpelliceum, capituli ad instar.

PRO PROSTRATIONE ORDINANDORUM :

Pulvini violacei vel virides lanei, non tamen praelatitii, tot quot ordinandi in maioribus, si solent adhiberi.

❯ In sabbatis quatuor temporum et in sabbato *Sitientes*, sacri ministri, diaconi assistentes, crucifer, et canonici in choro, qui aliis diebus utuntur dalmaticis, habebunt planetas in parte anteriori plicatas; sabbato Pentecostes vero omnes utuntur dalmaticis.

96 MODUS VESTIENDI ORDINANDOS. Promovendi ad ordines maiores induunt amictum, albam et cingulum.

Subdiaconandi amictum induunt super caput modo monachorum et circa collum firmant, et, firmata alba cum cingulo, eum super albam de-

ponunt, postea ab episcopo super caput eorum imponendum; tunicam ac manipulum super brachium sinistrum pronunt.

Diaconandi manipulum aptant brachio sinistro et accipiunt dalmaticam et stolam diaconalem super brachium idem.

Presbyterandi habeant manipulum brachio sinistro firmatum, et stolam ab humero sinistro pendentem, et subter brachium dexterum aptatam, ita tamen ut possit facile amoveri; casulam, in parte posteriori replicatam, super brachium sinistrum, ac mappulam lineam unctionis cingulo aptatam.

Ordinandi in minores superpelliceum tantum induunt quod initiandi super brachium sinistrum plicatum portant.

Omnes se praesentant cum tonsura et habitu talari sed sine biretis; tonsurandi tamen tonsuram aperient finita ordinatione tantum.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

97 ART. I — PRAEPARATIO ET INITIUM MISSAE

Adventus episcopi

1 — Post sextam, dato signo a magistro caeremoniarum, et accensis candelis altaris, canonici et clerus ecclesiae ibunt ad consociandum episcopum ad januam ecclesiae, vel ubi recipi solet. Aderit acolythus thuriferarius cum vasculo aquae benedictae, et, si celebrans sit metropolita, crucifer cum *crocea* seu cappa adstabit. Ad introitum episcopi sonentur sacra aera turris, sed silent organa, excepto sabbato Pentecostes.

Episcopus cum suis familiaribus pergit ad ecclesiam, cappa magna indutus, vel eam induit ad januam, et recipitur more solito; deinde, facta brevi oratione ad altare ssmi. Sacramenti, ibit ad altare maius, et ante faldistorium genuflexus aliquantulum orabit, dum omnes loca sua sumunt; canonici qui fungi debent munere assistentium diaconorum flectunt genua paulo retro post episcopum, sed presbyter assistens ad locum suum in choro accedit.

Subdiaconus missae in albis (in sabbato Pentecostes etiam cum tunica), cum bireto, se sistit ad scamnum ante adventum pontificis.

Cantus nonae et praeparatio episcopi

2 — Episcopus ascendit ad thronum cum diaconis assistentibus, et sedet paulisper, cooperto capite.

› Si preces feriales non sint dicendae, sacristae seu acolythi faldistorium e medio choro amovebunt.

Episcopus, nudato capite, surgit, et, dictis *Pater noster* et *Ave Maria* secreto, statim intonat versum *Deus, in adjutorium* in tono feriali, signans se more solito.

Chorus cantum horae nonae de officio diei currentis prosequitur.

Cantores duo intonant hymnum *Rerum Deus,* et, post intonationem antiphonae ab illo cui competit, incipiunt psalmos nonae.

Ad doxologiam hymni omnes caput profunde inclinant, et incepto psalmo, sedet episcopus et chorus.

Psalmi canentur ita ut absolvantur cum episcopus recitaverit praeparationem ad missam et orationes indumentorum.

Ministri se praesentant cum canone et candela et episcopus, cooperto capite, alternate cum assistentibus, qui stabunt, facit praeparationem submissa voce, adjungens orationes vestitionis sueto more.

› Non assurgit chorus cum episcopus surgit ad orationes praeparationis, nam intentus est recitationi psalmorum.

› Cum incipitur cantus psalmorum, caeremoniarius ordinandorum signum dat ordinandis ut sacris vestibus se induant in aula propria.

Incepta praeparatione, episcopus induitur caligis et sandaliis a suo cubiculario, vel familiare; pro qua subdiaconus missae, a quatuor clericis de abaco concomitatus, portat ad thronum, ad altitudinem oculorum, caligas et sandalia in lance, velo cooperta; fit haec vestitio de more; qua finita discedit subdiaconus cum acolythis et cubiculario.

Postquam episcopus orationes praeparationis recitavit, discedunt ministri de libro et scotula.

Vocati a 2.° magistro caeremoniarum, canonici duo qui substituere debent assistentes, diaconus ministraturus et presbyter assistens, de choro descendunt et se sistunt in medio ante altare, ubi, facta cruci reverentia, procedunt: diaconus ad sacrarium (post reverentiam episcopo) et tres assistentes ad thronum.

Diaconi assistentes de throno descendunt et, una simul cum aliis, reverentur episcopum.

Presbyter assistens et canonici duo ad thronum accedunt, et diaconi assistentes, facta reverentia cruci, ad sacrarium se conferunt (57).

In sacrario diaconus missae accipit amictum, albam cum cingulo, et stolam, et assistentes planetas plicatas super amictibus; in sabbato Pentecostes vero omnes induunt dalmaticas.

Finitis psalmis, chorus antiphonam repetit et surgit pontifex, operto capite, et cum eo chorus.

Incepta repetitione antiphonae, subdiaconus missae, accepto libro a caeremoniario 2.º, cum solitis reverentiis, ipse librum sustinens, cantat capitulum nonae in loco ubi cani solet epistola, et, iteratis reverentiis, ad locum suum revertitur.

A cantoribus cantetur responsorium et versus.

Si preces feriales non dicantur, ministri de libro et scotula se sistunt ad thronum; libriger breviarium tradit presbytero assistenti et episcopus cantat collectam officii cum V. *Dominus vobiscum* ante et post (58).

Presbyter assistens librum tradit ministro, et discedunt ministri de libro et scotula.

Cantores in tono feriali cantant V. *Benedicamus Domino*, et, responso a choro *Deo gratias*, absolvitur hora nona, nec aliud adjungitur.

❯ Si dicendae sint *preces feriales*, episcopus, versus finem responsorii, cum suis assistentibus de throno descendit, caudatario caudam cappae sustinente, et genuflectit ad faldistorium, omnibus genuflectentibus.

Ministri de libro et scotula se sistunt facie ad episcopum, coram faldistorio, et presbyter assistens a dextris 1mi. canonici assistentis.

Episcopus cantat *Kyrie, eleison, Pater noster*, et versus; dicto *Domine, exaudi*, assurgit solus cum presbytero assistente, cui libriger breviarium tradit, et cantat orationem officii in tono feriali, cum *Dominus vobiscum* ante et post, assistente librum sustinente. Dicto *Dominus vobiscum*, assistens librum tradit librigero, qui recedit cum candeligero.

Genuflectit iterum episcopus cum presbytero assistente, et cantores in tono feriali cantant *Benedicamus Domino*. Responso *Deo gratias* a choro, assurgit pontifex cum suis assistentibus, et ad thronum revertitur ordine quo venit; et removebitur faldistorium e medio choro.

1.ª lotio manuum episcopi

3 — Diaconi assistentes et diaconus ministrans, suis vestibus propriis induti, pergunt in presbyterio; diaconus ministrans se sistit ad scamnum cum solitis reverentiis prope subdiaconum; diaconi assistentes post reverentiam ad crucem, una simul cum duobus canonicis qui de throno descendunt reverentur episcopum: substituti ad chorum revertuntur, et diaconi assistentes ad thronum ascendunt.

Episcopus, adjuvante cubiculario suo, deponit cappam, caudam habitus talaris expedit, sedet iterum et accipit biretum.

Ministri lotionis se praesentant ante episcopum, qui more solito manus lavat, presbytero assistente mantile ministrante.

Presbyter et diaconi assistentes, postquam episcopus lavit manus, a throno discedunt, cum debitis reverentiis, et loca sua sumunt in choro, et sacri ministri, facta cum assistentibus reverentia, ascendunt ad thronum.

Vestitio episcopi et chori

4 — 2*us* caeremoniarius vestes episcopi clericis distribuit; deinde diaconus, adjuvante subdiacono, induet episcopum sacris vestibus more solito.

Cum episcopus sacris induitur vestibus, canonici de choro et presbyter assistens deponunt vestes chorales et accipiunt vestes ordinis sui.

❯ Si celebrat metropolita crucifer vestes sacras induit in sacrario, ubi etiam ministri insignium induuntur pluvialibus, et ad loca sua revertuntur.

❯ Si celebrans gaudet usu sacri pallii, ultimus canonicus subdiaconus, vel alius subdiaconus cum casula plicata vel tunica, a ministro de gremiali concomitatus, qui tres spinulas in lance portat, accepto sacro pallio ab altari, illud ad episcopum fert cum quo induitur a sacris ministris, modo descriptio in CE II, 8, 20. Vide n. *166*, 4.

Episcopus induitur mitra a diacono, qui deinde cum subdiacono de throno descendit, et presbyter assistens et diaconi throni ad illum accedunt, una simul omnes reverentiam ad episcopum facientes. Presbyter assistens annulum digito episcopi adaptabit.

Sacri ministri pergunt ad scamnum, ubi accipiunt manipulos et planetas plicatas, in sabbato Pentecostes tantum manipulos; subdiacono traditur evangelistarium cum manipulo episcopi.

Introitus ordinandorum

5 — Ordinandi omnes, incipientes a dignioribus, cum candelis ardentibus in manu dextra (59), et vestibus ordinis recipiendi in brachio sinistro (60), sine biretis, concomitante 2.° caeremoniario, presbyterium bini ingrediuntur cum solitis genuflexionibus altari et episcopo, et ad loca sua in choro accedunt.

Caeremoniariorum erit loca ordinandorum in presbyterio determinare juxta gradum recipiendum; neo-presbyteri vero locentur prope altare ad maiorem commoditatem ritus.

Cum ad loca sua pervenerint, ordinandi candelas exstinguunt, sed manu dextera retinent.

Accessus episcopi ad altare

6 — Sacri ministri procedunt ad sinistram partem throni. Episcopus, accepto baculo, procedit ad altare medius inter presbyterum assistentem a dextris et diaconum a sinisris; subdiaconus it ad sinistram diaconi; diaconi assistentes paulo retro post episcopum; sequuntur clerici insignium et caudatarius, caudam vestis talaris ejus attollens. Chorus et ordinandi genuflectunt dum transit episcopus benedicens.

Coram altari, reddito baculo ministro et deposita mitra, pontifex profunde cruci se inclinat, ceteri omnes se inclinant vel genuflectunt prout juris est, ordine quo venerunt.

Initium Missae

7 — Missa incipitur ut in Caeremoniali habetur pro missa pontificali, nulla facta mutatione, et prosequitur, ad altare et ad thronum more solito usque ad *Kyrie, eleison* inclusive, sabbato *Sitientes*, vero, usque ad introitum inclusive.

› Advertant caeremoniarii ut canon pontificalis tempore ordinationum reponatur ad abacum neque remaneat apertus super altari, excepto tempore missae ad altare.

98 ART. II — DE CLERICIS INITIANDIS

Iter epicopi ad altare

1 — Acolythi faldistorium ponunt in medio suppedaneo priusquam episcopus ad altare accedat.

Finito cantu *Kyrie*, vel in sabbato *Sitientes* completo cantu introitus, episcopus cum mitra et baculo accedit ad altare medius inter diaconos assistentes, et praeeunte presbytero assistente. Caudatarius, caudam habitus talaris episcopi sustinens, et ministri insignium episcopum sequuntur.

Cum episcopus ante altare pervenerit, diaconi assistentes recedunt retro post eum, sacri ministri se sistunt ad latera ejus, presbyter assistens a dextris diaconi, et omnes simul reverentur crucem altaris; deinde diaconi assistentes ad scammum vel ad loca sua in choro se conferunt.

Episcopus ascendit cum suis ministris ad suppedaneum, qui loca sua mutant, sedet ad ordinandos versus et baculum dimittit (61). Presbyter assistens, sine reverentia, transit ad cornu evangelii, et se sistit in inferiori gradu.

Minister de libro, deposito missali, sumit pontificale, quod faciet toties quoties episcopus de throno ad altare accedit.

Vocatio et admonitio generalis.

2 — Archidiaconus dicit *Accedant omnes qui ordinandi sunt;* et omnes, cum candelis exstinctis in manibus, accedunt versus altare passum unum vel plures, prout locus exigat, et flectunt genua.

› Si numerus ordinandorum sit magnus, archidiaconus dicit *Audiant omnes qui ordinandi sunt,* et ordinandi suis locis remanent, ibique flectunt genua.

Tunc archidiaconus legit admonitionem *Excellentissimus* * *ac reverendissimus in Christo Pater,* vel si ordinarius sit cardinalis *Eminentissimus et reverendissimus in Christo Pater* ut in initio PR habetur, ad quam sedebit chorus.

› Admonitio legitur semper in nomine illius qui jurisdictionem seu potestatem excommunicandi in loco habet, quicumque sit celebrans.

Lecto mandato, ordinandi omnes, ad signum caeremoniarii sui, assurgunt, et passum unum vel plures retro dant ad loca sua.

Vocatio clericandorum.

3 — Archidiaconus dicit clara voce *Accedant qui promovendi sunt ad primam clericalem tonsuram* (D. 2682, II), qui assurgunt cum superpelliceo in brachio sinistro, et candela exstincta in manu dextra, et accedunt duos passus versus altare.

Tunc notarius, stans in infimo gradu a latere epistolae, legit nomina promovendorum, et quilibet cum vocatur respondet *Adsum;* accedit

---

* S.C. Caeremonialis 31 Dec. 1930, ASS 1931, pg. 22. Vide Eph. lit., 1939, pg. 116. Rationes nostras alibi explanabimus.

ante gradus altaris, facit genuflexionem una simul ad crucem et ad episcopum, et locum suum sumit ante episcopum. Genua flectunt omnes simul postquam venerit ultimus vocatus. Diagramma II.

Finita vocatione, notarius ad locum suum recedit, et presbyter assistens, facta cruci et episcopo reverentia, ad chorum redit, vel si maluerit ad scamnum.

Invitatio ad orandum

4 — Ministri de libro et scotula se praesentant parum ad sinistram episcopi, qui assurgit cum mitra, et canit versum *Sit nomen Domini* et *Adjutorium nostrum,* quibus chorus respondet; deinde canit recto tono invitationem *Oremus, fratres carissimi,* et ea finita sedet; ministri de libro et scotula recedunt.

Tonsura

5 — Minister de gremiali cum lance se praesentat ante episcopum qui, adjuvantibus sacris ministris, chirothecas et annulum deponit, sed annulum resumit, et recedit minister.

Diaconus gremiale linteum ponit super gremium episcopi et, adjuvante subdiacono, faldistorio aptat.

Acolythus 1us cum forficibus in lance se praesentat a dextris diaconi.

Cum Pontifex incipit deponere chirothecas, caeremoniarius ordinandorum accipit candelas tonsurandorum, qui assurgunt, et se sistunt unus post alium. 1mus tonsurandus, facta genuflexione in planum, ascendit et genua flectit in suppedaneum.

Episcopus, acceptis forficibus a diacono, capillos 1mi. clerici tondet in quinque locis, videlicet: in fronte, in occipitio, super auriculam dexteram, deinde super sinistram, et ultimo in summitate capitis. Dum episcopus tondet capillos, initiandus dicit submissa voce 1 — *Dominus pars,* 2 — *hereditatis meae,* 3 — *et calicis mei,* 4 — *tu es qui restitues,* 5 — *hereditatem meam mihi* — quae quidem verba ipse episcopus suggerit tonsurando, juxta acceptum morem, prout facit quinque caesuras. D 2682, III. Vide n. 180, 3.

Dum fit tonsura clericorum, acolythus 1us. cum lance se sistit in gradu altaris, quo commodius fieri poterit, ad capillos in lance recipiendos.

Clericus assurgit, se vertit versus sinistram suam; descendit in planum, genuflectionem facit simul cum 2.°, et ad locum suum revertitur,

ubi exspectat stans; 2us., facta genuflexione cum 1.°, ascendit ad suppedaneum, et flectit genua et sic fit usque ad ultimum.

Cum episcopus incipit tonsuram 1mi. clerici cantores cantant antiphonam *Tu es, Domine* cum ps. 15 *Conserva me, Domine,* sine *Gloria.* Cantus finire debet cum episcopus totonderit capillos ultimi clerici; proinde cantores repetunt antiphonam post singulos versus psalmi si necesse sit, et moram facient inter versus, si numerus clericorum id exigat; et in fine repetunt antiphonam.

Omnibus tonsis, clericus cum lance se praesentat a dextris diaconi, qui accipit forfices et in lance deponit, et recedit acolythus.

Diaconus gremiale a gremio episcopi aufert et tradit clerico de gremiali.

Oratio ad tonsuram complendam

6 — Ministri de libro et candela se praesentant, et episcopus, mitra deposita, surgit et canit orationem *Praesta quaesumus* super tonsuratos ante eum genuflexos; iterum sedet pontifex et induitur mitra, et recedunt ministri de libro et scotula.

2.ª lotio manuum

7 — Familiares seu acolythi se praesentant coram episcopo pro manuum lotione, et presbyter assistens, ad altare reversus, praesentat mantile.

Cum ab altari discesserint ministri de lotione, clericus de gremiali cum chirothecis in lance se praesentat, et eas induit denuo episcopus, adjuvantibus sacris ministris. Presbyter assistens, imposito annulo digito episcopi, ad locum suum revertitur.

Cantores, statim ac dicta fuerit oratio praecedens, cantabunt antiphonam *Hi accipient,* adjecto ps. 23 *Domini est terra,* cum *Gloria Patri* et repetitione antiphonae in fine. Ad *Gloria Patri* omnes caput profunde inclinant, praeter episcopum cum suis assistentibus cum intenti sunt lotioni manuum.

Vestitio

8 — Finita lotione manuum et repetita antiphona, ministri de libro et scotula se praesentant; surgit episcopus, detecto capite, et versus ad altare dicit *Oremus,* sacri ministri, suis locis remanentibus sed ad altare versis, cantant *Flectamus genua* et *Levate* (62); se vertit iterum episcopus cum ministris ad neo-clericos et canit orationem *Adesto, Domine* praeparatoriam ad vestitionem, dextera

illos benedicens, deinde sedet et accipit mitram, et recedunt ministri de libro et scotula.

Clerici superpellicea explicata in duobus manibus accipiunt, in quo adjuvantur a caeremoniario suo et se sistunt alius post alium; deinde ascendunt ad episcopum eodem modo et ordine ac pro tonsura, qui eos superpelliceo induit, adjuvantibus caeremoniariis, dicens singulis *Induat te Dominus,* et ad loca sua revertuntur ordine servato post tonsuram et exspectant stantes.

Oratio ad initiationem complendam

9 — Omnibus superpelliceis indutis, neo-clerici genua flectunt; ministri de libro et scotula se praesentant, et episcopus, dimissa mitra, surgit et canit orationem finalem *Omnipotens... propitiare,* ad tonsuram simul et vestitionem complendam.

Allocutio

10 — Sedet episcopus, accipit mitram, et dicit clara voce monitionem *Filii carissimi;* qua finita recedunt ministri de libro et scotula; et qui de libro, deposito pontificali, sumit missale, quod facit in fine omnium ordinum.

Dimissio.

11 — Archidiaconus, ad altare ad hoc reversus (non ascendens ad suppedaneum) dicit *Ad loca vestra.*

Neo-clerici surgunt, unico genu reverentur episcopum et crucem et, sine candelis, ad loca sua in choro revertuntur.

99 ART. III — CONTINUATIO MISSAE

Iter episcopi ad thronum

1 — Clericis ad loca sua reversis, episcopus, accepto baculo, medius inter suos ministros, descendit in planum ante altare et facit cruci reverentiam. Sacri ministri, post reverentiam, ad scamnum revertuntur; diaconi assistentes, qui prompte erunt retro post episcopum, facta simul cum illo reverentia, ipsi se adjungunt; pontifex medius inter diaconos assistentes ad thronum revertitur cum presbytero assistente ante eum; ministri insignium episcopum sequuntur cum caudatario, caudam habitus talaris ejus sustinente.

Cantus 1.mae collectae

2 — Episcopus, ad thronum reversus, sedet et dimittit baculum et mitram. Ministri de libro et candela se sistunt coram episcopo et presbyter assistens librum sumit. Episcopus surgit et canit *Oremus;* diaconus assistens 1us *Flectamus genua* et diaconus assistens 2us *Levate;* episcopus cantat 1mam collectam; deinde sedet, et diaconus ei imponit mitram et gremiale dum assistens librum tradit ministro.

› In sabbato Pentecostes *Flectamus genua* hic et ubique *in missa* omittitur.

› Dum canitur collecta, caeremoniarius 2us legile nudum in medio choro ponit cum epistolario.

Cantus 1.mae lectionis

3 — Clericus qui cantare debet 1am lectionem, superpelliceo indutus, etiamsi gaudeat privilegio cappae, factis reverentiis ad crucem et ad episcopum, se sistit ad legile, et ad signum caeremoniarii incipit cantum.

Episcopus 1am lectionem summissa voce legit, quae dum legit stabunt assistentes utrimque. Finita lectione, recedunt ministri de libro et scotula et sedent assistentes.

Cantor, finita lectione et facta genuflexione ad crucem, vadit ad thronum, et, postquam genuflexerit ad episcopum, ascendit ad deosculandam manum, et, iteratis reverentiis, ad locum suum revertitur.

› Legile amovebitur e medio choro ne ordinationem impediat.

› Si sit sabbatum *Sitientes* nulla datur oratio nec lectio hoc loco legenda, et episcopus ad thronum reversus, sedet, et depostia mitra et baculo, assurgit, recitat *Kyrie, eleison* cum suis assistentibus et exspectat sedens cum mitra, donec a schola seu a choro cantetur.

100 ART. IV — ORDINATIO OSTIARIORUM

Iter episcopi ad altare

1 — Pontifex, dimisso gremiali et accepto baculo, assurgit et ad altare cum suis assistentibus se confert, ordine quo prius (II, 1.) et sedet ad faldistorium, ubi dimittit baculum et iterum assumit gremiale (63).

Appellatio

2 — Archidiaconus in suppedaneo a dextris diaconi dicit *Accedant qui ordinandi sunt ad officium ostiariorum,* qui omnes, cum candelis exstinctis in manu dextera, procedunt duos passus versus altare.

Notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet *Adsum;* deinde pergit in medio ante episcopum, facit genuflexionem simplicem, et ad locum suum, juxta ordinem caeremoniarii, se confert. Cum ultimus locum suum sumpserit, omnes genua flectunt et recedit notarius.

Exhortatio

3 — Ministri de libro et scotula se praesentant a sinistra episcopi, qui sedens admonet ordinandos dicens *Suscepturi, filii carissimi* etc. Finita monitione, caeremoniarii candelas de manu ordinandorum accipiunt, et seorsim reponunt.

Traditio clavium

4 — Acolythus his dat diacono claves duas, quas episcopo tradit (64).

Ordinandi omnes surgunt et lineas duas efformant; duo primi, facta genuflexione, ascendunt ad altare et genua flectunt in suppedaneo; alius post alium manu dextera tangunt claves, sinistra pectori apposita, dum episcopus dicit *Sic agite* etc.; deinde surgunt, qui a sinistris ad sinistram se vertit et qui a dextris ad dexteram, et, facta in planum genuflexione, ad loca sua revertuntur, et ascendunt alii duo.

❯ Cum duo primi assurgunt, proximi duo genua flectunt in planum et ascendunt, et cum duo primi genuflectunt in planum, alii duo simul cum ipsis genuflectunt ad altare ascensuri, et sic deinceps usque ad ultimos; si fuerint numero impari, tres ultimi simul accedunt; quae quidem regula ab ordinibus subsequentibus observabitur.

Dum traduntur claves, ministri de libro et scotula se sistent a sinistra pontificis, et, finita traditione recedunt.

Exercitium ordinis

5 — Ordinati bini, facta genuflexione ad episcopum et ad altare simul, duce archidiacono, procedunt ad ostium ecclesiae, ubi archidiaconus, et non alius (D 1583, IV), facit singulos ostium claudere et aperire, ac deinde signum pulsare.

❯ Sufficit januam claudere et aperire, nec necesse est clavi obserare (D 2682, V); qualiscumque janua ecclesiae ad id usui esse potest; sufficit etiam campanulam portatilem sonare, vel campanulam januae sacrarii, et quidem unam tantum. D. 3315, II, III, IV.

Benedictio

6 — Omnes ad loca sua ante pontificem revertuntur, facientes bini genuflexionem quum adveniunt; quibus genua flectentibus, ministri de libro et scotula se praesentant, surgit pontifex cum mitra, gremiali deposito, et cantat invocationem *Deum Patrem omnipotentem,* dextera ostiarios benedicens.

Sedet pontifex, deponit mitram, surgit, et, conversus ad altare, canit *Oremus;* ministri sacri ad altare conversi, in suo loco permanentes, subjungunt *Flectamus genua* et *Levate.* Episcopus cum suis ministris ad ordinandos genuflexos se vertit iterum et canit orationem *Domine sancte,* denuo eos benedicens, et sedet, accepta mitra, et recedunt ministri de libro et scotula.

Dimissio

7 — Archidiaconus ante altare dicit *Ad loca vestra* et ordinati genuflectentes, ad loca sua recedunt.

❯ In sabbato *Sitientes* immediate proceditur ad ordinationem lectorum, exorcistarum et acolythorum.

101 ART. V — CONTINUATIO MISSAE

Episcopus accipit baculum et descendit in planum cum suis ministris. Diaconi assistentes et ministri insignium cum caudatario se sistunt suis locis retro post episcopum, omnes simul faciunt genuflexionem seu reverentiam ad crucem; episcopus cum suis assistentibus et ministris ad thronum se confert, ordine quo venit, ibique sedet et accipit gremiale; sacri ministri vero ibunt ad scamnum.

Chorus cantat graduale 1um, in sabbato Pentecostes 1um *Alleluia* cum suo versu, quod submissa voce legitur ab episcopo, qui deinde, uti prius, canit 2am collectam, presbytero assistente librum sustinente. Cantabitur lectio 2.ª, quae legitur ab episcopo, et omnia fiunt ut in art. III habetur, n. *99.*

102 ART. VI — ORDINATIO LECTORUM

Iter episcopi ad altare

1 — Finita 2.ª lectione, episcopus, deposito gremiali et accepto baculo, ibit denuo ad altare ordine quo prius, n. *98,* 1.

Appellatio

2 — Postquam sederit episcopus, dimisso baculo et accepto gremiali, archidiaconus in suppedaneo dicit *Accedant qui ordinandi sunt ad officium lectorum,* qui omnes duos passus dabunt versus altare.

Notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet *Adsum,* et pergit, cum candela exstincta in manu, in medio ante episcopum, et, facta

genuflexione, ad locum suum se confert. Finita appellatione, presbyter assistens et notarius recedunt ad loca sua, et ordinandi flectunt genua.

› Si duo primi ordines minores conferuntur eodem die iisdem clericis, notarius secundo dicit tantum *Iidem*, et omnes bini ad altare accedunt, genuflectunt, et ad loca sua se conferunt. Quod servabitur pro acolythis, qui eodem die ordinantur exorcistae.

› Si ordinatio fit in sabbato *Sitientes* et duo ordines minores eodem die recipiuntur, ostiarii, dicto ab archidiacono *Ad loca vestra*, recedunt duos passus, et accipiunt candelas, cum quibus iterum coram episcopo se sistunt, et vocati ab archidiacono, accedunt ubi erant prius. Sic faciunt etiam exorcistae qui debent immediate recipere acolythatum.

Exhortatio 3 — Ministri de libro et candela se praesentant, et episcopus admonet ordinandos dicens *Electi, filii carissimi* etc.

Finita exhortatione, caeremoniarii candelas ordinandorum accipiunt, et seorsim reponunt.

Traditio libri 4 — Caeremoniarius 1us epistolarium ponit super genua episcopi, qui illud manibus tenet (65). Ordinandi assurgunt, et se sistunt in duobus ordinibus; duo primi, facta genuflexione, ascendunt ad altare et genua flectunt in suppedaneo.

Ordinandi manu dextra, sinistra pectori apposita, tangunt librum, dum episcopus dicit *Accipite et estote* etc.; deinde descendunt, et ascendunt alii duo, usque ad ultimos, servato modo tradito pro ostiariis, n. *100*, 4.

Benedictio 5 — Omnibus ordinatis, neo-lectores genuflectunt; pontifex, deposito gremiali, surgit cum mitra et canit super illos invocationem *Oremus, fratres carissimi*, dextera illos benedicens. Deinde sedet, deponit mitram, vertit se ad altare cum suis ministris et cantat *Oremus;* ministri subjungunt *Flectamus genua* et *Levate;* et episcopus, versus ad ordinatos, canit benedictionem *Domine sancte* etc., dextera iterum eos benedicens; deinde sedet et accipit mitram, et ministri de libro et scotula discedunt.

Dimissio 6 — Archidiaconus, tempestive a 2.° caeremoniario admonitus et ante altare reversus, dimittit lectores dicens *Ad loca vestra*. Ordinati genuflectunt ad crucem et ad episcopum, et ad loca sua in choro se conferunt.

103 ART. VII — CONTINUATIO MISSAE

Pontifex, accepto baculo, assurgit et, cum suis assistentibus et ministris, ad thronum revertitur, eodem ordine ac prius.

A choro cantatur graduale 2um, in sabbato Pentecostes 2um *Alleluia* cum suo versu, quod legitur submissa voce ab episcopo, qui deinde canit 3am collectam; lectio 3.ª cantabitur ab uno e lectoribus nuper ordinatis, et ab episcopo legetur submissa voce; cetera omnia fiunt ut post initiationem clericorum, n. *99*.

104 ART. VIII — ORDINATIO EXORCISTARUM

Omnia fiunt adamussim ut in ordinatione lectorum, n. *102*. Archidiaconus dicit *Accedant qui ordinandi sunt ad officium exorcistarum.* Exhortatio, traditio instrumenti, invocatio, et benedictio, dicuntur ut in PR pro exorcistis.

105 ART. IX — CONTINUATIO MISSAE

Pontifex, accepto baculo, assurgit, et cum suis assistentibus et ministris, ad thronum revertitur eodem ordine quo prius.

A choro cantatur graduale 3um, in sabbato Pentecostes 3um *Alleluia* cum suo versu, quod legitur submissa voce ab episcopo; qui deinde canit 4am collectam; lectio 4.ª cantabitur ab uno e lectoribus nuper ordinatis, et ab episcopo legetur submissa voce; cetera omnia fiunt ut post initiationem clericorum, n. *99*.

106 ART. X — ORDINATIO ACOLYTHORUM

Iter episcopi ad altare 1 — Episcopus iterum ibit ad altare, solito more, et postquam sederit, dimittit baculum et accipit gremiale.

Appellatio 2 — Archidiaconus in suppedaneo dicit *Accedant qui ordinandi sunt ad officium acolythorum*, qui omnes accedunt duos passus, sicut fecerunt ostiarii, cum candelis exstinctis in manu dextra.

Notarius singulos nominatim vocat et quilibet respondet *Adsum*, et accedit sicut dictum fuit pro ostiariis, et, finita appellatione, archidiaconus et notarius recedunt.

Instructio

3 — Episcopus ad ordinandos genuflexos habebit instructionem *Suscepturi, filii carissimi* etc., qua finita, caeremoniarius ordinandorum candelas eorum accipit et seorsim reponit.

Traditio ceroferarii et ampullae

4 — Caeremoniarius 1us candelabrum cum candela ponit super genua episcopi, quod sustinebit episcopus ipse.

Ordinandi omnes assurgunt, et bini, facta genuflexione, ad suppedaneum ascendunt, ubi flectunt genua, sicut fecerunt ostiarii.

Episcopus tradit candelabrum cum cereo ordinandis dicens *Accipite ceroferarium* etc. quae cum dicit, ordinandi, unus deinde alius, tota manu dextera ceroferarium circa basim contingant, sinistra pectori apposita, et respondent episcopo *Amen* (66).

Descendunt ordinati et ascendunt alii duo, ordine statuto et sic deinceps, episcopus toties quoties repetens formulam traditionis.

Duo primi se sistunt statim post duos ultimos, et sic alii faciunt propter ritum sequentem.

Finita traditione ceroferarii, caeremoniarius 1*us* illud e manibus episcopi accipit, et tradit urceolos vacuos in lance.

Duo primi acolythi, facta in planum genuflexione, ad suppedaneum accedunt et genua flectunt, ceteri omnes bini eodem tempore genuflectunt, suis locis, et dum duo primi tangunt urceolos: 1mus unum, alter alium, episcopus dicit, altiore quodam voce, omnibus simul *Accipite urceolum* etc. et omnes simul respondent *Amen,* et recedunt ministri de libro et scotula (67-68).

Acolythi omnes assurgunt, duo primi descendunt, et, facta genuflexione in planum cum aliis duobus, ad loca sua recedunt; alii duo ascendunt, tangunt urceolos, pro se quisque manu dextera, sinistra pectori apposita, quos sustinet episcopus, et ad loca sua recedunt sicut primi, et sic deinceps usque ad ultimos. Et cum omnes urceolos tetigerint, caeremoniarius 1us eos accipit, et tradit acolytho 1.° de abaco.

Benedictio

5 — Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum. Ordinati simul flectunt genua et episcopus, deposito gremiali, surgit, et canit invocationem *Deum Patrem omnipotentem* dextra acolythos benedicens.

Episcopus sedet, mitram dimittit, surgit et, versus ad altare, canit *Oremus,* et ministri *Flectamus genua* et *Levate,* ritu descripto pro ostiariis. Dein, versus ad ordinatos, canit collectas tres PR hoc loco, ter acolythos benedicens; sedet iterum et accipit mitram; ministri de libro et scotula recedunt.

Dimissio

6 — Archidiaconus, ante altare reversus, dicit *Ad loca vestra;* ordinati omnes, facta genuflexione, ad loca sua revertuntur solito more.

107 ART. XI — CONTINUATIO MISSAE

Episcopus, accepto baculo, revertitur ad thronum cum suis assistentibus sicut fecit post ceteros ordines.

Cantatur graduale quod venit post 4am lectionem; post *Flectamus genua* et *Levate* episcopus cantat 5am collectam. Lector e noviter ordinatis cantat 5am lectionem quam legit episcopus; cetera omnia fiunt ut post initiatos clericos, n. *99.*

❯ In sabbato *Sitientes* episcopus, praemisso *Dominus vobiscum,* cantat orationem missae sub unica conclusione cum oratione pro ordinandis, adjectis orationibus de tempore, seu commemorationibus, et omissa invitatione ad genuflectendum.

❯ In sabbato Pentecostes loco gradualis cantatur 4um *Alleluia* cum versu *Veni, Sancte Spiritus* ante 5am collectam; chorus versum ne incipiat priusquam episcopus, ad thronum reversus, mitra et pileolo depositis, genua flexerit, omnibus genuflectentibus.

Cetera fiunt de more.

108 ART. XII — ORDINATIO SUBDIACONORUM

Iter episcopi ad altare

1 — Finita 5.ª lectione, in sabbato *Sitientes* post collectas missae et accepta mitra, episcopus, deposito gremiali et assumpto baculo, iterum de throno descendit, et pergit ad altare, medius inter suos assistentes, et sedet in faldistorio, ubi reddit baculum et accipit gremiale.

Vocatio

2 — Archidiaconus in suppedaneo dicit *Accedant qui ordinandi sunt subdiaconi,* qui omnes duos passus versus altare dabunt, cum candelis exstinctis in manu dextra.

Notarius legit nomina promovendorum, adjungens titulum sustentationis, nimirum N. ad titulum beneficii; vel eo deficiente, ad titulum patrimonii aut pensionis. CJC 979, § 1.

Ordinandi respondent singulariter *Adsum*, et, accedentes ante pontificem cui faciunt genuflexionem, consistunt in loco a caeremoniarum magistro designato, ab episcopo tres quatuorve passus, stantes omnes.

❯ Si adsint regulares, notarius dicit N. professus ordinis N. ad titulum paupertatis; vel mensae communis pro alumnis congregationum votorum simplicium.

Admonitio ad passum et passus

3 — Ministri de libro et scotula coram episcopo se sistunt et episcopus exhortatur subdiaconos stantes, verbis *Filii dilectissimi*, qua finita recedunt ministri de libro et scotula.

Finita exhortatione, omnes simul passum unum dant versus episcopum et stant; deinde candelas caeremoniario suo tradunt.

❯ Si omnes ordinandi sint professi votorum solemnium, exhortatio supra cum passu omittitur, et promovendi, facta genuflexione episcopo et cruci prout vocantur, loca sua sumunt a latere evangelii.

Prostratio

4 — Archidiaconus adhuc in suppedaneo vocat ceteros ordinandos dicens *Accedant qui ordinandi sunt diaconi et presbyteri*, qui omnes accedunt simul, cum sacris vestibus super brachio sinistro sed sine candelis (69), et bini genuflectunt una simul ad episcopum et ad crucem.

Presbyterandi locum sumunt in medio presbyterio ante pontificem, cum diaconandis a cornu epistolae et subdiaconandis a cornu evangelii, meliori quo fieri poterit modo, pro prostratione, juxta ordinationem caeremoniarii. D 1665, IV. Archidiaconus ad locum suum in choro redit.

Caeremoniarius ordinandorum facit ordinandos in sacris primo genuflectere utroque genu, *deinde* procumbere penitus pronos super tapeta presbyterii.

❯ Pro prostratione ordinandorum adhibere poterunt pulvinaria lanea parva, subter brachiis et capitibus ab acolythis locanda, si talis vigeat consuetudo.

Diaconus gremiale e genibus episcopi tollit, qui assurgit. Caeremoniarius 1us pulvinar ante faldistorium locat, et super ipsum genua flectit episcopus cum mitra, ceteri omnes ejus exemplum sequentes suis locis; sacri ministri loca sua mutant et genua flectunt a lateribus episcopi. Caeremoniarius pontificale apertum ponit super faldistorium; ministri de libro et scotula remanent ad abacum.

Litaniae.

5 — Cantores duo, flexis genibus in medio presbyterii retro post ordinandos in sacris, cantabunt litanias sine duplicatione, omnibus simul respondentibus. Diagramma III.

❯ Si multi essent ordinandi in sacris, cantores duo genua flecterent a latere epistolae. Si non utuntur libris manualibus, ante eos locabitur scabellum unum cum pontificali pro litaniis. CE. II, 27, 19.

Cantato *Ut omnibus fidelibus defunctis*, ministri de libro et scotula ante faldistorium in plano se sistunt, et caeremoniarius 1us pontificale librigero tradit.

Episcopus, solus cum sacris ministris, assurgit et ad ordinandos se vertit, mutantibus loca sua ministris sacris; ita versus, accepto prius baculo, cantat praeses benedictiones tres super ordinandos, in eodem litaniarum tono, dextra illos benedicens, ut in pontificali habetur. Post tertiam benedictionem ministri de libro et scotula recedunt, et caeremoniarius pontificale super faldistorium iterum ponit. Genua flectit episcopus, reddito baculo, sacri ministri, mutatis locis, genua flectunt ubi prius, et a cantoribus complebitur litaniarum cantus.

Finitis litaniis, recedunt cantores et assurgit episcopus, surgentibus omnibus. Caeremoniarius 1us amovebit pulvinar episcopi et pontificale, et acolythi pulvinaria ordinandorum, si adhibita fuerunt.

Episcopus sedet in faldistorio et accipit gremiale.

Archidiaconus, ad altare reversus, in infimo gradu dicit *Recedant in partem qui ordinandi sunt diaconi et presbyteri*, qui omnes bini ad episcopum et crucem simul genuflectunt et ad loca sua in choro redeunt; archidiaconus vero ad altare remanet.

Exhortatio.

6 — Subdiaconandi locum sumunt ante episcopum in forma coronae, vel in ordinibus si sint multi, sine tamen candelis, et genuflectunt. Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum qui dicit clara voce exhortationem ***Adepturi, filii dilectissimi*** etc., in cujus fine ordinandi respondent *Amen*.

Traditio calicis et patenae

7 — Finita exhortatione, caeremoniarius 1us calicem vacuum cum sua patena episcopo dat et clericus de ampullis, cum ampullis cum vino et aqua, super lancem cum manutergio, transit ad latus evangelii, se sistens a dextris archidiaconi, cui ampullas tradit, et recedit in planum.

Ordinandi omnes surgunt, bini in planum genuflectunt, ad altare ascendunt, et, nixi genibus in suppedaneo, manu dextera, sinistra pectori apposita, pateram calicis circa nodum (non vero patenam) unus post alium tangunt seu apprehendunt, pontifice dicente *Videte cujus ministerium* etc.

Duo primi subdiaconi, postquam calicem tetigerint, assurgunt et, non descendentes, pergunt ad latus evangelii, ante archidiaconum cum ampullis, quas unus post alium manu dextra tangunt, deinde descendunt, et ad loca sua se conferunt, ibique stant; alii omnes faciunt similiter; si vero sint numero impari, ultimi tres insimul ascendunt. Diagramma **IV.**

Caeremoniarius 1us calicem cum patena e manibus episcopi accipit, et tradit 1° acolytho, ad abacum reportandum.

Postquam omnes urceolos tetigerint, archidiaconus, redditis ampullis clerico, ad locum suum in choro se confert et subdiaconi se sistunt nixi genibus.

Benedictio

8 — Episcopus, deposito gremiali, surgit, et cantat super subdiaconos genuflexos invocationem *Oremus Deum ac Dominum* etc., dextera illos benedicens. Denuo sedet, et, deposita mitra, assurgit, se vertit ad altare cum suis ministris, et cantat *Oremus,* ministri vero *Flectamus genua* et *Levate,* et iterum, se vertens ad ordinandos cum sacris ministris, cantat orationem *Domine sancte* etc., dextera electos benedicens.

Vestitio

9 — Episcopus sedet in faldistorio et mitram accipit. Caeremoniarii se sistunt hinc inde in primo gradu altaris, ut episcopum adjuvent in vestitione subdiaconorum (70).

Assurgunt subdiaconi et se sistunt unus post alium, et prout accedunt tunicas et manipulos caeremoniariis dant, qui manipulos tradunt diacono et tunicas explicant.

Primus in ordine, facta genuflexione in planum, ascendit ad altare, et episcopus imponit amictum super caput ejus dicens *Accipe amictum* etc. ter illum benedicens; subdiaconus respondet *Amen,* et statim amictum super scapulas dimittit caeremoniarius 1us. D 2956, II.

Deinde, accipiens manipulum a diacono ministrante, episcopus illum imponit sinistro brachio subdiaconi, postquam ipse illum osculatus sit, dicens *Accipe manipulum* etc., ter illum benedicens; subdiaconus respondet *Amen.*

Deinde caeremoniarii tunicam explicatam episcopo tradunt, sacris ministris manicas vestis tenentibus, qui subdiaconum induit dicens *Tunica jucunditatis* etc., ter illum benedicens; ordinatus respondet *Amen,* surgit, se vertit ad sinistram suam, descendit in planum, et, ad locum suum se confert, ubi exspectat stans (71).

❯ Si unica habeatur tunica, episcopus induit primum in ordine usque ad scapulas et statim exuit, ut ceteris inservire possit, et sic facit usque ad ultimum; ultimus eam totaliter induit et sic epistolam cantat.

❯ In ordinatione monachorum seu fratrum amictus imponitur super caputium, quod amovetur a capite recepta tunica tantum.

Traditio epistolarii

10 — Caeremoniarius 1*us* super genua episcopi ponit epistolarium, qui illud manibus tenet. Ordinati se sistunt in duabus lineis ante episcopum, et bini, facta genuflexione, ad altare ascendentes et ante episcopum genua flectentes, epistolarium tangunt, dicente episcopo *Accipite librum epistolarum* etc., et ter illos benedicens, et ipsi respondent *Amen,* et descendunt in planum, qui a dextris a dextris, qui a sinistris a sinistris, et, facta genuflexione cum aliis duobus, ad loca sua se conferunt; si sint numero impari tres ultimi insimul ascendunt.

Finita traditione epistolarii, ministri de libro et scotula recedunt.

Dimissio

11 — Archidiaconus, ad altare a caeremoniario 2° vocatus, dicit *Ad loca vestra,* et ordinati, facta genuflexione, ad loca sua in choro se conferunt.

109 ART. XIII — CONTINUATIO MISSAE

Iter episcopi ad thronum

1 — Episcopus, assumpto baculo, redit ad thronum cum suis ministris, sicut fecit prius, ubi reddit baculum et accipit gremiale.

Continuatio missae

2 — A choro cantatur canticum Danielis, quod submissa voce legitur ab episcopo.

Finito hymno, surgit episcopus, gremiali et mitra depositis, et, cantato *Dominus vobiscum* et omisso *Flectamus genua,* cantat orationem missae, sub unica conclusione cum alia pro ordinandis; deinde canit ceteras orationes juxta rubricas.

❯ In sabbato *Sitientes,* omisso cantico Danielis, immediate proceditur ad cantum epistolae ut infra.

❯ In sabbato Pentecostes, loco cantici Danielis, cantatur 5um *Alleluia* cum suo versu, quod legitur ab episcopo, quo finito cantatur *Gloria in excelsis.* Deinde, dicto *Pax vobis,* cantat pontifex collectas ut supra.

Epistola

3 — Episcopus, finitis orationibus, sedet, et, acceptis mitra et gremiali, legit submissa voce epistolam, stantibus assistentibus throni, et, finita lectione, recedunt ministri de libro et scotula.

Caeremoniarius 2us, dum canitur ultima oratio, invitabit unum e subdiaconis neo-ordinatis ad cantandam epistolam, tunica indutum, etiamsi illo die non adhibeatur, vel unicum, si unus tantum ordinatus fuit, qui in fine osculatur manum episcopi, ritu usitato. D 3368, V (72).

Dum cantatur epistola ceteri subdiaconi noviter ordinati sedebunt, quoniam chori sunt participes.

❯ Si nullus ordinatus fuit subdiaconus, epistola cantabitur a subdiacono missae.

110 ART. XIV — ORDINATIO DIACONORUM

Iter episcopi ad altare

1 — Finita epistola, episcopus, dimisso gremiali et accepto baculo, ordine quo prius, pergit ad altare et sedet in faldistorio, ubi, dimisso baculo, iterum accipit gremiale.

Vocatio

2 — Archidiaconus in suppedaneo dicit clara voce *Accedant qui ordinandi sunt ad diaconatum,* qui omnes accedunt duos passus versus altare.

Notarius singulos ordinandos vocat, nulla facta mentione de titulo. Singuli respondent *Adsum,* et ante altare pergunt prout nominantur, cum dalmatica et stola super brachium sinistrum et candela exstincta in manu

dextra, et una simul cruci et episcopo conficiunt genuflexionem, et ad loca sua se conferunt, et recedit notarius.

Caeremoniarius ordinandorum disponit eos in semicirculo ante pontificem, vel si sint multi in lineis diversis.

Postulatio

3 — Ordinandi omnes simul genuflectunt; ministri de libro et scotula se sistunt a sinistra episcopi; et archidiaconus dicit clara voce *Excellentissime* ac reverendissime Pater,* vel si celebrat cardinalis *Eminentissime ac reverendissime Pater* etc.

Pontifex interrogat archidiaconum dicens *Scis illos dignos esse?*

Respondet archidiaconus *Quantum humana fragilitas* etc.

Et Pontifex dicit *Deo gratias.*

Consultatio et electio

4 — Episcopus, adhuc sedens cum mitra, dicit clara voce sine cantu formam electionis *Auxiliante Domino* ad clerum et ad populum; qua finita archidiaconus ad locum suum in choro redit.

Exhortatio

5 — Pontifex, facta aliqua mora, legit exhortationem ad electos *Promovendi, filii dilectissimi;* qua finita, ordinandi respondent *Amen* et caeremoniarius candelas eorum recipit, et seorsim reponit.

❯ Si ordinatio subdiaconorum habita non fuit, hoc loco archidiaconus, qui ad altare remansit, dicit *Accedant, qui ordinandi sunt presbyteri,* et omnes accedunt in medio presbyterio, sine candelis, sed cum casulis super brachium sinistrum, et genuflectunt bini episcopo et cruci. Caeremoniarius ordinandorum facit diaconandos se prosternere in cornu evangelii et presbyterandos in cornu epistolae, et recedit archidiaconus. Cantantur litaniae et omnia fiunt ut in n. *108,* 4, 5. Finitis litaniis surgunt omnes, et archidiaconus, ad altare reversus, dicit *Recedant qui ordinandi sunt presbyteri,* qui ad loca sua, facta genuflexione, revertuntur et diaconandi genua flectunt ante episcopum. Archidiaconus redit ad locum suum in choro.

---

* S.C. Caeremonialis 31-XII-30. AAS 1931, pg. 22.

Invitatio ad orandum

6 — Episcopus, adhuc sedens cum mitra, diaconandis flexis genibus ante ipsum permanentibus, clara sed altiore voce sine cantu dicit *Commune votum*, clerum et populum iterum alloquens, et diaconandos dextera benedicens; in fine assistentes respondent *Amen.*

Invocatio cum praefatione

7 — Episcopus, amoto gremiali, surgit, et, versus ad ordinandos, canit recto tono *Oremus, fratres carissimi* usque ad *regnat Deus,* dextera electos benedicens. Deinde sedet, et, deposita mitra, iterum surgit, et, elevans vocem in tono feriali praefationis, extensisque manibus ante pectus, canit praefationem ordinationis usque ad verba... *quae sunt agenda concedere.*

Impositio manus

8 — Facta interruptione cantus praefationis, ordinandi assurgunt, et se sistunt unus post alium. Primus in ordine, facta genuflexione in planum, ad suppedaneum ascendit ibique genuflectit. Episcopus, adhuc stans, sinistra pectori apposita, imponit manum dextram extensam, ipse solus, super caput ordinandi, non deponens chirothecas, submissa clara tamen voce, sine cantu simul dicens *Accipe Spiritum Sanctum* etc. (73). Electus surgit, se vertit ad sinistram suam, descendit in planum, genuflectit cum 3.° qui ascendere debet, et ad locum suum revertitur, ubi exspectat stans; 2us in planum genuflectit cum 1us assurgit, et ascendit; et sic deinceps usque ad ultimum; et singulis episcopus manum dexteram imponit et formulam repetit.

Continuatio praefationis

9 — Diaconis iterum genuflexis suis locis, episcopus prosequitur cantum praefationis usque ad finem, advertens ut habeat manum dextram extensam versus ordinandos, sinistra ad pectus apposita, usque ad finem praefationis, quae quidem extensio manus est maximi momenti. Cum dicit *Per eumdem* etc., submissa voce utetur sine cantu et manus ante pectus junget.

Vestitio

10 — Episcopus sedet in faldistorio et induitur mitra. Caeremoniarii 1us et 2us se sistunt in planum vel in infimum altaris gradum a lateribus episcopi; diaconi omnes surgunt et se sistunt unus post alium; et prout accedunt, stolas et dalmaticas caeremoniariis tradunt, qui stolas dant diacono missae et dalmaticas explicant. 1mus. facta in planum genuflexione, ascendit et genua flectit in suppedaneo; episcopus, accipiens stolam de manu diaconi, illam super humerum sinistrum ejus imponit dicens *Accipe stolam* etc et manu dextra benedicit diaconum, qui respondet *Amen*. Caeremoniarius a dextris ordinati stolam subter brachium dexterum aptat.

Deinde caeremoniarii dalmaticam explicatam episcopo tradunt, sacris ministris manicas vestis tenentibus, et diaconum induit dicens *Induat te Dominus* etc., et respondet diaconus *Amen.*

1mus. diaconus surgit, se vertit ad sinistram suam, in planum descendit et, facta genuflexione cum alio, ad locum suum se confert. Deinde episcopus successive vestit ceteros diaconos, qui eodem ordine procedunt.

℟ Si una tantum habetur dalmatica, serventur quae dicta sunt de subdiaconis, n. *108*, 9.

Traditio evangelistarii

11 — Finita vestitione, caeremoniarius 1us librum evangeliorum super genua episcopi ponit, qui illum manibus tenet. Diaconi se sistunt in duabus lineis; et bini, facta in planum genuflexione, ad altare ascendunt, flectunt genua in suppedaneo, et manu dextra tangunt librum, dicente episcopo *Accipite potestatem* etc. (in plurali), et ipsi respondent *Amen;* qui a dextris, a dextris se vertit, qui a sinistris ad sinistram, in planum descendunt, genuflexionem efficiunt cum aliis duobus, et ad loca sua revertuntur. Si sint numero impari, ultimi tres ascendunt simul. Finita traditione libri, caeremoniarius evangelistarium 1.° acolytho tradit, ad abacum reportandum.

Benedictio

12 — Diaconi omnes genua flectunt simul in suis locis.

Episcopus, deposita mitra et ad altare versus, canit *Oremus;* sacri ministri, etiam ad altare versi, cantant invitationem ad genuflectendum cum responsione. Episcopus, cum suis ministris iterum se vertens ad ordinatos, canit orationem *Exaudi, Domine,* dextera illos benedicens, et adjungit aliam *Domine sancte* ad diaconos benedicendos, qua finita, ministri de libro et scotula recedunt et sedet episcopus, accepta mitra.

Dimissio

13 — Archidiaconus, tempestive ad altare a caeremoniario 2.° vocatus, dicit clara voce *Ad loca vestra,* et omnes, ad altare simul et ad episcopum genuflectentes, recedunt ad loca sua.

111 ART. XV — CONTINUATIO MISSAE

Episcopus, accepto baculo, revertitur ad thronum cum suis assistentibus ubi reddit baculum, et in sabbato Pentecostes accipit gremiale.

A schola cantatur tractus (in sabbato *Sitientes* graduale) usque ad versum exclusive, in sabbato Pentecostes totus tractus et subinde sequentia, sed usque ad ultimum stropham exclusive, quod submissa voce legitur ab episcopo.

℈ Si nullus promovendus aderit ad diaconatum, episcopus legit epistolam finito cantu ejus et statim legit quae sequuntur, ut supra.

112 ART. XVI — ORDINATIO PRESBYTERORUM

Iter episcopi ad altare

1 — Finito cantu, episcopus (deposito gremiali in sabbato Pentecostes) accepto baculo, redit ad altare ordine quo prius et sedet in faldistorio, ubi reddit baculum et assumit gremiale.

Vocatio.

2 — Archidiaconus in suppedaneo vocat electos dicens *Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem presbyteratus,* qui omnes, cum candela exstincta in manu dextra et casula super brachium sinistrum, passum unum ad altare accedunt. Deinde notarius appellat singulos nominatim, omisso titulo ordinationis vel aliis titulis. 1us electus respondet *Adsum,* et pergit ante episcopum cui facit genuflexionem et ad locum ei a caeremoniario datum adit, quod et omnes faciunt prout vocantur.

Caeremoniarius ordinandorum illos in forma coronae, vel sit sint plurimi in ordinibus ante episcopum disponit, quibus dispositis, genua flectunt simul omnes.

Postulatio

3 — Ministri de libro et scotula se sistunt a sinistra pontificis et archidiaconus dicit *Excellentissime ac reverendissime Pater,* si celebrans sit cardinalis *Eminentissime ac reverendissime Pater, postulat sancta mater* etc.

Cui episcopus respondet *Scis illos esse dignos?*

Archidiaconus respondet *Quantum humana fragilitas* etc. Episcopus dicit *Deo gratias,* et discedit archidiaconus.

Consultatio et electio

4 — Episcopus clero et populo electionem novorum cooperatorum annuntiat, dicens elatiore voce sine cantu *Quoniam, fratres carissimi* etc., et in fine pausat aliquantulum.

Exhortatio

5 — Pontifex deinde, submissiore sed clara voce, sermonem suum ad ordinandos convertens, admonet eos dicens *Consecrandi, filii dilectissimi* etc. In fine ordinandi respondent *Amen,* et caeremoniarius eorum, acceptis candelis, eas seorsum deponit; et recedunt ministri de libro et scotula.

℈ Si ordinationes aliorum ordinum maiorum habitae non fuerunt, finita exhortatione, ordinandi se prosternunt in medio presbyterio; episcopus, deposito gremiali, genua flectit in faldistorio, et a duobus cantoribus, flexis genibus in medio choro, cantantur litaniae et omnia fiunt ut in n. *108,* 4, 5, exceptis quae ad subdiaconos et diaconos se referunt.

Impositio manuum

6 — Incepta exhortatione, caeremoniarius 2us invitat presbyterum et diaconos assistentes et canonicos seu presbyteros manus impositurос ad altare, et illos in duobus ordinibus hinc inde disponit, incipiens in plano ante altare a latere evangelii, ita ut presbyterandi sint in medio.

Canonici non accipiunt stolam quia jam sunt parati. Si praeter canonicos paratos, aderint in choro alii sacerdotes, invitari et ipsi poterunt ad manus imponendas, qui omnes induunt stolam (74) coloris missae, super superpelliceum, et locum sumunt post canonicos; si vero sint regulares stolam induent super habitum chorale ordinis proprium.

Si canonicorum capitulum non aderit, sacerdotes praesentes, incipientes a dignioribus, manus imponunt post presbyterum et diaconos assistentes. Minime necesse est ut omnes sacerdotes praesentes manus imponant, praesertim si sint multi (D 2616, VI); duodecim, sex ex una parte, sex ex altera, sufficiunt (75); si pauci sint sacerdotes praesentes, omnes manus imponunt; canonici diaconi vel subdiaconi, sacerdotali ordine aucti, licet induti dalmaticis vel planetis plicatis, partem habebunt in impositione manuum; sacri ministri ab impositione manuum abstinebunt licet sint sacerdotes, eo quod ministrorum funguntur officio, sed nec caeremoniarii qui intenti esse debent officio suo; diaconi assistentes manus imponent cum canonicis de choro juxta ordinem.

Presbyterandi, ad nutum caeremoniarii, assurgunt et bini in ordines ante pontificem consistunt.

Episcopus, deposito gremiali, assurgit cum mitra; ordinandi bini, facta prius in planum genuflexione, ad altare ascendunt, et genua flectunt in ora suppedanei (76).

Episcopus manus extensas imponit singulis capitibus presbyterandorum, eos physice tangens, nihil dicens. Ipsi deinde bini descendunt, qui a dextris, a dextris, et qui a sinistris, ad sinistram se vertentes, et ad loca sua revertuntur. Impositione manuum episcopi expedita, omnes in genibus procumbunt. Diagramma V.

Caeremoniarius ordinandorum ita eos disponat, ut sacerdotes manus impositurí possint facile *ante* eos transire.

Episcopus, postquam manus super omnes imposuerit, stabit, cum sinistra manu ad pectus, dextera versus electos extensa.

Caeremoniarius 1us facit canonicos et sacerdotes ad id deputatos unum post alium, *ante* ordinandos transire et manus junctas et extensas super singulis eorum capitibus imponere physice tangendis. Prius ritum exsequuntur qui a dextris episcopi stant, deinde qui a sinistris, incipientes ab archidiacono.

Singuli sacerdotes, manibus impositis, redeunt ad loca ubi erant, dextera semper versus ordinandos extensa, et cum pervenerint, stabunt, eadem positione, sinistra pectori apposita. Diagramma VI.

❯ Si locus sit exiguus, sacerdotes remanebunt suis locis in choro, et ad altare pergent, unus post alium, ad imponendas manus capitibus ordinandorum, et statim revertentur ad loca sua in choro, extensa semper dextera versus ordinandos.

Manibus impositis, ministri de libro et scotula ad episcopum accedunt et ipse dextera super electos semper extensa, cantat invocationem *Oremus, fratres carissimi* etc., qua finita, et non prius, manus ante pectus jungit et sacerdotes ejus exemplum sequuntur (77). D 2851. Deinde canonici ac sacerdotes ad chorum redeunt, et qui stolam adhibuerunt illam deponunt.

Episcopus sedet, quousque canonici et sacerdotes ad chorum revertantur, deinde deposita mitra, iterum assurgit; se vertit ad altare cum suis ministris, cantat *Oremus;* sacri ministri *Flectamus genua* et *Levate;* deinde pontifex, iterum ad electos se vertens cum suis ministris, junctis manibus, cantat orationem *Exaudi nos,* etc., dextra illos benedicens.

Cum pervenit ad verba *Per omnia saecula,* elevat vocem in tono feriali praefationis, et, manibus ante pectus extensis, praefationem totam modulatur. Cum dicit *Per eundem* manus ante pectus jungit, et, submissa sed clara voce, legit terminationem; ministri de libro et scotula ad sinistram episcopi recedunt.

Vestitio 7 — Finita praefatione, episcopus sedet et cooperitur mitra. Caeremoniarum magistri 1us et 2us se sistunt in plano hinc inde ante episcopum. Ordinati omnes assurgunt, et se sistunt unus post alium. 1mus. tradit casulam caeremoniario 1.°, et, facta genuflexione in planum, ad suppedaneum ascendit, ibique genua flectit. Episcopus, adjuvante caeremoniario, partem stolae quae ab humeris pendet, super humerum dexterum ponit et ante pectus aptat in forma crucis, dicens *Accipe jugum Domini* etc., cui nihil respondet ordinatus.

Deinde, adjuvantibus caeremoniariis, imponit ei casulam, advertens ut pars posterior sit super humeros complicata, dicens *Accipe vestem sacerdotalem* etc. Et ordinatus respondet *Deo gratias,* assurgit, se vertit ad sinistram suam, descendit in planum, et, facta genuflexione, ad locum suum se confert ubi stans exspectat.

Cum 1us assurgit, 2us, facta in planum genuflexione, ad altare ascendit, et pontifex eum vestit prout vestivit 1um et omnes procedunt sicut 1mus., et pro singulis fit similiter.

Benedictio 8 — Finita vestitione, neo-presbyteri genua flectunt in suis locis et episcopus, deposita mitra, assurgit, et cantat orationem *Deus sanctificationum* etc., dextera illos benedicens.

Unctio manuum. 9 — Ministri de libro et scotula recedunt; et caeremoniarius 1us pulvinar in planum ante faldistorium ponit et super faldistorium pontificale; episcopus, vertens se ad altare cum suis ministris, genua flectit, quod et omnes faciunt, et a diacono nudatur pileolo; subinde ipse intonat hymnum *Veni, Creator.* Finita prima stropha, diaconus pileolum pontifici reponit, assurgunt omnes, caeremoniarius aufert pontificale et pulvinar, et pontifex sedet in sede sua, ubi a diacono cooperitur mitra.

Minister de gremiali cum lance, facta in planum genuflexione, genua flectit in ora suppedanei; diaconus aufert annulum et chirothecam dexterae manus episcopi, et subdiaconus chirothecam sinistrae; diaconus iterum ponit annulum digito episcopi, et recedit clericus cum chirothecis.

Diaconus gremiale lineum super genua episcopi locat, et, adjuvante subdiacono, faldistorio aptat.

Clericus 1us de abaco, accepto sancto oleo, se sistit a dextris diaconi, cui illud tradit, et recedit; ministri de libro et scotula se sistunt a sinistris pontificis.

Neo-prebyteri assurgunt et se sistunt unus post alium. 1mus. ordinatus, facta genuflexione in planum, ad suppedaneum ascendit, ubi flectit genua; caeremoniarius a dextris ordinati accipit linteum a cingulo ejus pendens. Presbyter manus suas apertas, ac in parte inferiore bene conjunctas, episcopo praesentat.

Episcopus, diacono vasculum tenente, pollicem dexterum intingit in sancto oleo, et, sinistra sua subter manibus presbyteri posita ad illas firmandas, inungit manus ejus in forma crucis, id est, facit lineam cum sancto oleo a pollice dexterae manus ad indicem sinistrae, dicens *Consecrare;* deinde a pollice sinistrae ad indicem dexterae, dicens *et sanctificare;* subinde inungit totaliter palmas manuum dicens *digneris, Domine, manus istas per istam unctionem;* deinde dicens *et nostram benedictionem* dextera benedicit signo crucis manus electi, et ordinatus respondet *Amen.* Et pontifex dicit *Ut quaecumque benedixerint* etc., ad quae ordinatus iterum respondet *Amen.* Vide notam 14, tomi III.

Episcopus deinde claudit manus presbyteri, id est, jungit palmam cum palma, et caeremoniarius a dextris ordinati manus ejus aptat linteo, qui deinde assurgit, vertit se super sinistram suam, et, facta genuflexione in planum, pergit ad locum suum, ubi stans exspectat (78).

Ascendit 2us presbyter, et sic alii omnes, et episcopus singulos inungit et claudit manus, sicut fecit 1mo.

Unctis manibus omnium presbyterorum, episcopus digitos abstergit gossipio a suo caeremoniario praesentato, et clericus, accepto oleo a diacono, ad abacum revertitur.

Cum episcopus inungit manus electorum, schola prosequitur cantum *Veni, Creator;* advertant tamen cantores ut cantus protrahatur toto tempore unctionis et, si necesse sit, repetantur strophae, excepta prima et ultima.

❯ Chorus stabit toto tempore unctionis manuum presbyterorum.

Finita unctione manuum, a schola cantatur doxologia, et omnes caput profunde versus crucem altaris inclinant, pontifex vero sedens caput inclinat.

Traditio calicis et patenae.

10 — Caeremoniarius 1us episcopo tradit calicem cum vino aqua mixto, una cum patena et hostia. Neo-presbyteri iterum se sistunt unus post alium.

Presbyter 1mus. in ordine, facta genuflexione in planum, ad altare ascendit, et genua flectit in suppedaneo; tangit patenam inter indices et medios digitos, et cuppam calicis cum ceteris digitis, ita ut cuppam calicis et patenam simul tangat, cum pontifex dicit *Accipe potestatem* etc. Ordinatus respondet *Amen,* surgit, se vertit super sinistram suam, descendit in planum, et, facta genuflexione, ad locum suum recedit, ubi exspectat stans.

Cum assurgit 1us, 2us genuflectit et ascendit et deinde alii, et episcopus singulis tradit calicem cum patena, formulam repetens, sicut fecit pro 1mo.

❯ Antequam 1us presbyter ad altare ascendat, caeremoniarius ejus solvit aliquantulum linteum manuum, ita ut convenienter calicem et patenam tangere et recipere possit, manibus in superiore parte disjunctis. Facta traditione, et presbytero in planum reverso, caeremoniarius manus ejus iterum aptat, et ita quoad ceteros.

Postquam omnes calicem tetigerunt, caeremoniarius 1us calicem de manu episcopi accipit et acolytho 1.° tradit ad abacum portandum, et ministri de libro et scotula discedunt.

3.ª lotio manuum episcopi.

11 — Ministri lotionis ad episcopum accedunt, et presbyter assistens vocatus se sistit a dextris episcopi in superiore gradu. Episcopus, deposito annulo, manus fricat cum medulla panis vel citreo, a caeremoniario porrecto et deinde eas lavat, presbytero assistente mantile tradente; quo facto, discedunt ministri lotionis, et sacri ministri gremiale lineum solvunt, quod diaconus caeremoniario 1.° tradit; deinde clericus de gremiali, acceptis chirothecis in lancea, et facta genuflexione in planum, genua flectit in suppedaneo; diaconus imponit chirothecam manus dexterae, dum subdiaconus imponit aliam sinistrae; presbyter assistens dein ponit annulum digito episcopi.

Lotio manuum presbyterorum

12 — Neo-presbyteri genuflectunt ad episcopum simul et ad crucem, et pergunt ad locum paratum ubi lavare debent manus, et eo cum pervenerint, manus fricabunt cum citreo, lavabunt, et abstergent linteo quo manus praecingebantur, vel manutergiis. Lotis et abstersis manibus, omnes simul ad altare revertuntur, cum genuflexione ad altare et ad episcopum, et se sistunt in suis locis in choro.

Cum pontifex ad thronum reversus discesserit, clerici de abaco faldistorium amovebunt, in fine missae tantum adhibendum.

113 ART. XVII — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

Iter episcopi ad thronum et continuatio missae.

1 — Pontifex, accepto baculo, cum suis ministris ad thronum revertitur ordine tradito, ubi reddito baculo et accepto gremiali, legit ultimum versum tractus, vel ultimum versum gradualis in sabbato *Sitientes*, sive ultimam stropham sequentiae in sabbato Pentecostes, quae a schola cantatur, deinde dicit *Munda cor meum* et legit evangelium ut in Caeremoniali habetur.

Evangelium.

2 — Evangelium cantatur ab uno e diaconis noviter ordinatis, vel ab unico, si unus tantum ordinatus fuit, dalmatica induto, etiamsi illo die non adhibeatur, qui, osculatus manum episcopi, et dicto *Munda cor meum*, petit benedictionem; subdiaconus, qui cantavit epistolam, librum sustinebit, et cetera fiunt de more. In fine episcopus osculatur librum; subdiaconus illum reddit caeremoniario, et ambo recedunt ad loca sua; episcopus incensatur a presbytero assistente. Vide notam 72.

❯ Si nullus fuit diaconus ordinatus, evangelium cantabitur a diacono ministrante et subdiaconus missae assistit.

Offertorium

3 — Episcopus, cantato *Dominus vobiscum* et *Oremus*, legit offertorium, pro quo se sistunt coram eo ministri de libro et scotula; deinde sedet accepta mitra, et recedunt ministri de libro et scotula; interim a schola cantatur offertorium.

Libriger missale cum cussino seu legili ponit in cornu evangelii altaris et candeliger scotulam prope missale locat.

❯ Incepto offertorio, vel paulo ante, sacristae parabunt scamna seu genuflexoria cum missalibus, ad usum presbyterorum, in medio presbyterii, procul ab altari, ne pontifici transitus intercludatur, et spatium librum in medio relinquatur pro transitu ordinatorum cum ad altare accedunt ad Eucharistiam recipiendam.

Diaconus ministrans, si utatur casula plicata, illam deponit et induit stolam latiorem, sive planetam super humerum sinistrum convolutam.

❯ In sabbato Pentecostes cantatur *Credo*, et post *Incarnatus est* diaconus de more portat corporale ad altare. Episcopus post lectionem offertorii, induitur mitra pretiosa.

Praesentatio candelarum.

4 — Caeremoniarius ordinandorum, adjuvantibus clericis de abaco, accipiunt eorum candelas, et eas ardentes ordinatis omnibus tradunt; qui, uno ordine dispositi, incipiendo a presbyteris, procedunt ad thronum, facta genuflexione ad crucem cum transeunt ante illam. Clerici duo de abaco se sistunt a dextris throni, 2us cum canistro ad recipiendas candelas.

1us assistens throni, adjuvante 2.°, episcopo imponit gremiale linteum, a ministro traditum.

1us ordinatus, facta genuflexione in planum, ad thronum ascendit, et flexis genibus candelam suam pontifici offert, cum osculo manus pontificis tantum, sinistra pectori apposita. Episcopus, accepta candela, eam 1.° diacono throni tradit, qui eam tradit 1.° clerico de abaco, ut in canistro reponat. Ordinatus assurgit, se vertit ad dexteram vel sinistram suam, juxta loci dispositionem, descendit in planum, genuflectit cum illo qui 3.° loco venit, et ad locum suum discedit, genuflectens ad crucem si transeat ante illam. Cum 1us assurgit, 2us genuflectit et ascendit, et singuli faciunt similiter (79). Diagramma VII.

❯ Si numerus ordinandorum sit magnus, traditio candelarum fieri poterit tantum a 1mo. ordinato uniuscujusque ordinis et a 1mo. clerico initiato, sicut observatur in Basilica Lateranensi, qui alius post alium ad thronum accedunt uti superius dictum est. D. 2883, IV (80).

Neo-presbyteri loca sua occupant ad scamna seu genuflexoria parata in medio presbyterio, et stant ibi. Clerici de abaco ad eum revertuntur, et canistrum cum candelis in sacrario reponitur.

❯ Caeremoniarius ordinandorum, ad finem offertorii candelarum, invitabit sacerdotes superpelliceis indutos (etiamsi gaudeant usu aliae

vestis choralis), qui juxta presbyteros in celebratione missae consistere debent (ubi viget usus), ad scamna, unusquisque a sinistris sacerdotis cui inservire debet, vel si unus inservit duobus, medius inter illos.

4.ª lotio manuum episcopi

5 — Finita traditione candelarum, clericus de gremiali cum lance ad thronum accedit, et episcopus annulum et chirothecas deponit; deinde ministri lotionis accedunt et episcopus lavat manus; finita lotione, iterum assumit annulum, et e genibus ejus amovebitur gremiale linteum.

114 ART. XVIII — CONCELEBRATIO MISSAE

Iter episcopi ad altare

1 — Episcopus, deposito gremiali linteo et accepto baculo, descendit de throno et pergit ad altare, medius inter diaconos assistentes, sequentibus ministris de insignibus et caudatario, praeeunte tamen presbytero assistente.

Cum episcopus transit per chorum, omnes genuflectunt.

Ante medium altaris pontifex, reddito baculo et deposita mitra, cruci profunde se inclinat, ministri genuflectunt vel se inclinant, prout eis competit, et ad altare ascendit cum presbytero assistente et diacono ad dexteram; diaconi assistentes ante altare remanent, et subdiaconus ad abacum se confert.

Regulae pro episcopo

2 — Episcopus celebrat missam sueto more, advertens ut partes, quae secrete dicuntur, dicat aliquantulum altius et morose, ita ut neo-presbyteri possint cum eo una simul omnia proferre, praesertim verba consecratoria.

Regulae pro neo-presbyteris

3 — Neo-presbyteri concelebrationem missae cum pontifice incipiunt a *Suscipe, sancte Pater* (D 2404, I) et prosequuntur flexis genibus (D 2404, II) usque ad ultimum evangelium exclusive, clara sed submissa voce; ipsi se signant cum episcopus se signat; pectus percutiunt cum eo: abstinent tamen ab inclinationibus quas facit episcopus, cum ipsi jam sint genuflexi, et a benedictionibus oblatorum, incensi et aquae, manibus junctis ante pectus semper manentibus (D 2404, III); abstinent etiam a recitatione quae incensationem concomitatur; submissa voce recitabunt partes quas episcopus cantu modulatur. D 2682, XI. diagramma VIII.

Incensatio

4 — Diaconus missae, incensato episcopo, incensat presbyterum et diaconos assistentes, deinde canonicos et praelatos in choro, demum subdiaconum; postea neo-presbyteros qui assurgunt, singulariter duplici ductu, quod si fuerint multi eos incensat per modum unius, ultimo diaconos et subdiaconos paratos per modum unius et reddit thuribulum ministro (81).

Thuriferarius thurificat diaconum missae, deinde neo-clericos et ordinatos in minoribus simul cum aliis de choro, postremo populum. Sacerdotes qui neo-presbyteris assistunt non incensantur, cum sint impediti.

Funalia

5 — Ad *Sanctus* intrabunt clerici quatuor cum funalibus, qui flexis genibus permanebunt quousque ordinati sacra Eucharistia reficiantur, duo a latere evangelii et duo a latere epistolae.

Sanctus et Agnus Dei

6 — Caeremoniarum magistri intenti erunt ne recitatio *Sanctus* et *Agnus Dei* a celebrantibus impediatur a cantu scholae, quod si necesse sit cantentur tantum post recitationem ad altare.

Pax

7 — Episcopus more solito post primam orationem pacem dat ministris throni et altaris; presbyter assistens pacem per chorum distribuit sed non neo-ordinatis.

Cum episcopus incipit pacem dare suis assistentibus, neo-presbyteri assurgunt et caeremoniarius ordinatorum invitat 1mum. presbyterum, 1mum. diaconum, et 1mum. subdiaconum ad altare post ministros missae.

1mus. presbyter, facta Sacramento genuflexione in infimo altaris gradu, ad altare ascendit, illudque osculatur, manibus super ipsum positis quia concelebrat; accipit pacem ab episcopo, cui facit profundam capitis reverentiam ante et post, genuflectit iterum Sacramento, descendit, et dat pacem 2.° presbytero, et hic 3.° et sic deinceps.

1mus. diaconus et 1mus. subdiaconus deinde, eodem modo ac 1mus. presbyter, accipiunt pacem ab episcopo, sed junctis manibus ante pectus dum osculantur altare (82). 1mus diaconus pacem dat 2.° diacono; 1mus

subdiaconus, data pace 2.° subdiacono, eam dat 1mo acolytho; hic eam dat alii ordinato in minoribus, et sic usque ad ultimum.

Episcopus exspectat quousque presbyteri, accepta pace, genua iterum flectant, priusquam recitet 2am et 3am orationem communionis. Recepta pace, sacri ministri ad latus episcopi ascendunt, diaconus a sinistris et subdiaconus a dextris, solito more. Presbyter assistens, finita traditone pacis, remanet in plano a cornu evangelii.

115 ART. XIX — COMMUNIO ORDINATORUM

Communio presbyterorum.

1 — Cum pontifex dicit *Domine, non sum dignus,* acolythi, accepta mappa et facta in medio ante altare genuflexione, se sistunt hinc inde in superiori gradu, alius ad alium versus, mappam extensam tenentes.

Sumpto pretioso Sanguine ab episcopo, subdiaconus calicem cooperit; presbyteri assurgunt, et, bini vel quaterni, ad oram suppedanei ascendunt et flectunt genua.

Diaconus pyxidem discooperit, et episcopus cum suis ministris genuflectit; diaconus accipit pyxidem duabus manibus, et subdiaconus patenam, et, non mutantes loca, se vertunt ad ordinatos, et episcopus statim dat Sacramentum presbyteris nihil dicens sed tantum signum crucis faciens cum hostia; presbyteri de more ante communionem annulum episcopi osculantur. DD 2089, IV; 3721.

Presbyteri, bini vel quaterni, recepta communione, assurgunt, se vertunt, qui a dextris ad dexteram qui a sinistris ad sinistram, in planum descendunt, et ad loca sua se conferunt.

Post communionem presbyterorum episcopus cum suis ministris se vertit iterum ad altare; ministri pyxidem et patenam deponunt, et cum episcopo genuflectunt.

Communio **ceterorum**

2 — Episcopus, facta genuflexione cum suis ministris, ad ordinatos cum illis aliquantulum se vertit.

Diaconi et subdiaconi ordinati et promoti ad ordines minores seu ad tonsuram, si sunt communicaturi, pergunt ante altare bini vel quaterni, et se sistunt flexis genibus.

Diaconus e noviter ordinatis, qui cantavit evangelium, accepta tabella a 2.° caeremoniario, assurgit et se sistit in inferiori gradu altaris a latere epistolae, facie ad cornu evangelii, et, mediocriter inclinatus, nomine omnium, cantat *Confiteor,* quod ab aliis ordinatis *non* recitatur.

Cantato *Confiteor,* episcopus recitat memoriter, clara voce sine cantu, *Misereatur* et *Indulgentiam* (83), dextera absolvens; post *Misereatur,* diaconus qui *Confiteor* cantavit ab inclinatione cessat, et post *Indulgentiam,* facta in planum genuflexione, ad locum suum se confert. Assurgunt ordinati et, bini vel quaterni, ad supremum gradum altaris ascendunt, et genua flectunt in ora suppedanei.

Sacri ministri una cum episcopo genuflexionem conficiunt, diaconus iterum accipit pyxidem, quam ante pontificem sustinet et subdiaconus patenam; cum episcopo se vertunt ad ordinatos; episcopus in medio altari, accepta hostia una, et manu sinistra ad pectus apposita, subdiacono patenam subter hostia sustinente, dicit *Ecce agnus Dei* et cetera de more; deinde diaconis et subdiaconis Eucharistiam tradit dicens singulis cum facit cum hostia signum crucis *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam aeternam,* et singuli respondent *Amen,* osculantur manum episcopi et Sacramentum reverenter accipiunt.

❯ Si nullus ordinatus fuit diaconus, tunc *Confiteor* cantatur a diacono missae; aperta pyxide, et facta genuflexione ab episcopo et ministris, isti loca sua mutant; diaconus mediocriter inclinatus, in superiore gradu altaris a latere epistolae, coram se habens subdiaconum, cantat *Confiteor;* post *Misereatur,* ab inclinatione cessat et iterum vadit ad latus evangelii, subdiaconus ad latus epistolae; episcopus ad altare se vertit, et cum suis ministris genuflectit; cetera fiunt ut supra.

❯ Si promoti ad ordines minores et ad primam tonsuram Eucharistiam accipiant, etiam pro ipsis episcopus adhibet formulam PR *Custodiat te* et omnes respondent *Amen.* Cft. Indicem decretorum SRC, pg. 131, ad vocem *Corpus*.

Ordinati, recepta sacra communione, assurgunt, qui a sinistris se vertunt ad suam sinistram, et qui ad dextris, super dexteram suam, descendunt in planum, et ad loca sua in choro se conferunt ubi genuflexi permanent (84).

Cum omnes Eucharistiam sumpserint, episcopus se vertit ad altare cum suis ministris; diaconus a sinistris episcopi pyxidem super altare ponit, et subdiaconus a dextris ejus patenam deponit.

Clerici duo cum mappula genuflexionem in medio conficiunt, et ad abacum redeunt; clerici cum funalibus assurgunt, et, facta genuflexione simplici, ad sacrarium se conferunt.

❯ Tot hostiae consecrentur quot erunt clerici communicandi nec alii ad communionem admittantur, ita ut nulla supersit hostia.

Ablutiones et 6.ª lotio manuum episcopi

3 — Episcopus, ministrante subdiacono, accipit ablutiones more solito, purificans etiam pyxidem. Diaconus legile vel pulvinar cum canone ad latus epistolae portat et, canone ad abacum portato, pontificale super legile seu pulvinar ponit.

Subdiaconus transit ad latus evangelii cum diaconus pergit ad latus epistolae, calicem et pyxidem abstergit, et calicem coopertum cum corporali in bursa ad abacum reportat, et caeremoniarius 2us pyxidem.

Presbyter assistens ad latus epistolae se confert et episcopus more solito, accepta mitra, lavat manus, assistente mantile praesentante, qui deinde ad chorum recedit cum diaconis de throno.

❯ Diaconus ministrans, si planeta plicata utitur, imposita mitra episcopo, pergit ad scamnum et, deposita planeta super humerum extensa, plicatam iterum assumit.

❯ Si nulli fuerunt presbyteri ordinati, statim transitur ad art. XXI huius capituli et missale ponitur super legile loco pontificalis.

116 ART. XX — RITUS AD ORDINATIONEM PRESBYTERORUM COMPLENDAM

Responsorium

1 — Episcopus, deposita mitra, se vertit ad legile, sacri ministri efformant circulum, et ipse intonat responsorium *Jam non dicam*, quod a schola completur, omisso post septuagesimam *Alleluia*.

❯ Incepto responsorio, clerici de abaco faldistorium in medio suppedaneo locant.

Episcopus ibit ad faldistorium cum suis ministris, et postquam sederit, induitur mitra a diacono. Ad *Gloria Patri* omnes caput profunde inclinant. Presbyteri et chorus stabunt dum canitur responsorium. Minister de libro sumit pontificale e legili et loco ipsius ponit missale.

Credo.

2 — Post *Gloria Patri* neo-presbyteri se sistunt ante pontificem et, cantu finito (85), surgit pontifex cum mitra, dum ipsi, clara sed submissa voce, *memoriter* recitant symbolum fidei, quo finito, sedet episcopus.

Ultima impositio manuum

3 — Ministri de libro et scotula a sinistris episcopi se sistunt et neo-presbyteri unus post alium.

1us, facta in planum genuflexione, ascendit ad oram suppedanei, ubi flectit genua; episcopus sedens manus suas apertas imponit capiti ejus dicens *Accipe Spiritum Sanctum* etc.

Planetae explicatio

4 — Deinde, adjuvante caeremoniario, expedit partem posteriorem planetae ejus, dicens *Stola innocentiae* etc. (86).

Obedientia

5 — Episcopus, tenens manus presbyteri junctas inter suas, eum interrogat *Promittis mihi, et successoribus meis, reverentiam et obedientiam?* Et respondet presbyter *Promitto*.

❯ Si celebrans non sit loci ordinarius, vel si presbyter sit alienae dioecesis, pontifex dicit *Promittis pontifici ordinario tuo, pro tempore exsistenti, reverentiam et obedientiam?* Quae formula adhibebitur, sed mutato verbo *pontifici* pro *praelato*, si presbyter sit regularis observantiae, vel si ejus ordinarius sit praelatus, et pro omnibus utriusque cleri pontifex manus presbyteri tenet inter suas.

Osculum pacis

6 — Episcopus, adhuc tenens manus presbyteri inter suas, approximat faciem suam dexteram ad faciem dexteram presbyteri et amplexans eum, ad instar osculantis (87), dicit *Pax Domini sit semper tecum*, et ille respondet *Amen*.

Descendit deinde ordinatus, et, facta genuflexione in planum, revertitur ad locum suum ante altare, ibique exspectat stans; cum 1us assurgit, 2us genuflectit et ascendit et sic faciunt ceteri, et episcopus singulis imponit manus, explicat planetam, interrogat, et dat amplexum pacis.

Exhortatio

7 — Omnibus ad loca sua reversis, neo-presbyteri flectunt genua et episcopus, accepto baculo, legit instructionem *Quia res* etc.

Finalis benedictio presbyterorum

8 — Surgit pontifex, et, adhuc cum mitra et baculo, dicit recto tono cum cantu *Benedictio Dei* etc., dextera presbyteros genuflexos benedicens, ad qualem benedictionem stabunt ceteri omnes; circumstantes respondent *Amen* et recedunt ministri de libro et scotula.

Sedet episcopus, reddit baculum et deponit mitram.

117 ART. XXI — FINIS MISSAE

Communio

1 — Presbyter assistens vocatus, se sistit ad missale. Episcopus surgit et pergit ad cornu epistolae ubi versus ad altare, legit ex missali, simul cum neo-presbyteris, versiculum communionis, postquan schola eum cantaverit.

❯ Cum episcopus pergit ad cornu epistolae, clerici de abaco amovent faldistorium ne impediat ritus qui sequuntur, et minister de libro canonem apertum ante crucem altaris locat.

Postcommunio

2 — Episcopus cantat *Dominus vobiscum* et postcommunionem cum alia pro ordinatis sub eadem conclusione, adjectis orationibus diei, quae cum ab episcopo cantantur, a neo-presbyteris flexis genibus submissa voce recitantur, et iterat *Dominus vobiscum,* quae omnia fiunt uti moris est.

❯ In sabbato quatuor temporum Quadragesimae, post collectas, diaconus, ad populum versus, canit *Humiliate capita vestra Deo* et episcopus canit benedictionem *Fideles tuos,* quae a neo-presbyteris recitatur. In sabbato *Sitientes* eodem modo proceditur, sed dicitur benedictio *Deus qui sperantibus in te.*

Benedicamus Domino vel Ite Missa est

3 — Diaconus Missae, ipse solus, cantat *Benedicamus Domino,* vel in sabbato Pentecostes *Ite Missa est* de more.

Placeat

4 — Pontifex, una cum neo-presbyteris, recitat orationem *Placeat* et osculatur altare.

Benedictio et indulgentiae

5 — Episcopus, accepta mitra, impertitur solemniter benedictionem pontificalem consueto more, accepto baculo cum dicit *Patris.*

Neo-presbyteri, licet concelebrent, flexis genibus accipiunt benedictionem munientes se signo crucis.

❯ Si celebrans sit metropolita non accipit mitram, et crucifer se sistit coram eo pro benedictione.

Post benedictionem, presbyter assistens publicabit indulgentias, et se sistit in plano a cornu evangelii.

Ultima exhortatio et paenitentia.

6 — Benedictione data, episcopus recedit ad latus epistolae dum acolythi faldistorium ante medium altare reponunt; episcopus sedet, retento baculo et accepta mitra si sit metropolita.

Caeremoniarius ordinandorum jubet ordinatos omnes ante episcopum convenire, circulum efformantes si sint pauci, in ordinibus vero dispositis, si sint multi, digniores primi, qui manibus ante pectus appositis genua flectunt.

Ministri de libro et scotula se sistunt a sinistra episcopi, et pontifex legit exhortationem *Filii dilectissimi* (88); deinde paenitentiam ordinatis imponit, qui respondent *Libenter.* Quoad ordinatos in subdiaconos et diaconos advertat episcopus ut loco *talis diei* dicat *nocturnum feriae occurrentis* vel alius (89-90).

Imposita paenitentia, ordinati omnes surgunt, et bini, facta genuflexione, ad loca sua revertuntur, exceptis presbyteris qui stabunt ubi erant.

Ministri de libro et scotula recedunt, et diaconi assistentes descendunt de choro et se sistunt in plano ante gradus altaris.

❯ Si celebrans sit metropolita, diaconus caput ejus nudabit mitra, deinde, adjuvante subdiacono, amovebit pallium una cum spinulis et super lancem, a cornu evangelii positam, ponet.

Ultimum evangelium

7 — Episcopus, deposita mitra, surgit et ad latus evangelii se confert, ubi dicit cum neo-presbyteris *Dominus vobiscum,* deinde incipit evangelium sancti Joannis, a presbyteris etiam recitandum; et ab acolythis removetur faldistorium.

Episcopus, accepta mitra, pretiosa in sabbato Pentecostes, alias simplici, et baculo, descendit in planum cum suis ministris, et, facta cruci altaris profunda reverentia, ad thronum revertitur, medius inter sacros ministros. Presbyter assistens pergit ante episcopum, diaconi assistentes incedunt paulo retro post ipsum, sequuntur caudatarius et ministri insignium.

Episcopus benedicit clerum dum transit per eum, et omnes, etiam neo-presbyteri, genuflexionem simplicem conficiunt.

Pontifex cum sacris ministris ad thronum ascendit, presbytero et diaconis assistentibus in plano remanentibus, sedet, reddit baculum et a diacono missae exuitur mitra; assurgit, genuflectit dicens *et Verbum caro factum est*, omnibus genuflectentibus, iterum sedet, et a diacono induitur mitra.

Presbyter assistens, officio suo functus, et diaconi assistentes, facta reverentia episcopo, ad loca sua in choro recedunt, ubi sacras deponunt vestes et accipiunt chorales.

℣ Si ultimum evangelium sit proprium, legitur ab episcopo ad altare, et a neo-presbyteris stantibus suis locis, missalia in manibus tenentibus.

Discessus ordinatorum

8 — Caeremoniarius ordinatorum disponit ordinatos omnes in medio choro, duos efformantes ordines, et, dato signo a 1.° caeremoniario, bini genuflexionem facientes ad altare et deinde ad episcopum, qui eos benedicit, junctis manibus ad sacrarium pergunt, a dignioribus ad inferiores, seu incipientes a presbyteris et sacras deponunt vestes.

Dimissio vestium

9 — Sacri ministri ad thronum manipulos deponunt; si utuntur planetis plicatis, postquam episcopus ad thronum pervenerit, recedunt in planum throni ad latus, et planetas ac manipulos simul deponunt et tradunt clericis de abaco.

Ministri insignium pergunt ad sacrarium ubi deponunt pluvialia, et simul cum clericis de abaco se sistunt ante thronum ad sacras vestes episcopi recipiendas.

Clerici vestitionis, unus post alium, ad thronum ascendunt et diaconus, adjuvante subdiacono, exuit episcopum sacris vestibus more solito.

Canonici suis in locis et crucifer in sacrario (si celebrat metropolita) vestes sacras deponunt et chorales assumunt.

Cum episcopus sacras vestes deposuerit, sacri ministri ad scamnum recedunt, et loco eorum accedunt diaconi assistentes, cum suetis reverentiis.

Episcopus accipit cappam a caeremoniario 1mo. vel a familiari suo qui caudam habitus talaris ejus aptat.

Subdiaconus tenens velum in lance, una cum cubiculario vel familiari episcopi, accedit ad thronum, et episcopus, sandaliis et caligis depositis, induitur calceis communibus, quae omnia fiunt de more; quibus finitis, sacri ministri ad sacrarium recedunt.

Gratiarum actio et discessus episcopi

10 — Accedunt ad episcopum ministri de libro et scotula pro gratiarum actione, et faldistorium cum pulvinari ponitur in medio ante altare.

Finita gratiarum actione, episcopus descendit ad faldistorium cum diaconis assistentibus, ubi orat aliquantulum, deinde discedit cum clero ordine quo venit.

℣ Tempore Quadragesimae in choro recitantur vesperae.

TITULUS III

DE SOLEMNI ORDINATIONE GENERALI AD FALDISTORIUM IN SABBATIS ORDINUM

CAPUT I

REGULAE SERVANDAE

118 Archiepiscopus vel episcopus coadjutor, auxiliaris, vel extraneus, de licentia vel mandato ordinarii loci, ordinationem generalem solemniter habens, celebrat ad faldistorium et utitur baculo. Ritus in hoc titulo traditus servabitur etiam a vicariis, praefectis, vel administratoribus apostolicis, ad tempus renunciatis, charactere episcopali ornatis, cum jure communi non gaudeant usu throni. CJC 308 ; 315, § 2, 2.°.

Cardinales archipresbyteri maiorum basilicarum Urbis jure utuntur baculo cum ordinationes habent in suis basilicis (91).

Canonici vel clerus loci tenentur interesse, non secus ac si celebret ordinarius ; missa dicitur de sabbato post nonam, uti pro functione ad thronum ; ordinatio fiet, quantum fieri poterit, in ecclesia cathedrali vel principali loci.

1 — EPISCOPUS utitur habitu praelatitio proprio, exclusa cappa pontificali, nisi sit administrator dioecesis.

Pontifex facit praeparationem ac sacras vestes sumit in sacrario seu secretario, alio ab illo in quo sacras vestes sumunt ordinandi ac ministri.

Si tamen in ecclesia, ubi fit ordinatio, officium divinum non solet recitari, et pontifex uti possit cappa, licebit ei sacras vestes in presbyterio

induere et deponere (D 2010), sed consultius se vestibus induit in sacrario, ibique in fine eas deponit (92).

Episcopus tum ad faldistorium missae tum ad faldistorium ordinationis, se vertit ad altare juxta regulam datam sub n. *81*, 7.

2 — ARCHIDIACONUS erit presbyter assistens; si archidiaconus non adsit, unus e dignioribus cleri fungitur simul officio archidiaconi et presbyteri assistentis; tempore ordinationum recedit ad scabellum in plano a latere evangelii, vel ad 1mum locum chori.

3 — CLERUS ORDINATIONIS idem est ac pro functione ad thronum, exceptis diaconis assistentibus.

4 — CLERICI OMNES profundam capitis reverentiam conficiunt episcopo in faldistorio missae sedenti cum ad eum accedunt vel ab eo recedunt, vel ante eum transeunt, licet de ea in sequenti capitulo non semper fiat mentio. Quando tamen accedunt, vel recedunt ab episcopo sedente in faldistorio ordinationis, cum genuflectere debent cruci, in ea genuflexione includitur reverentia episcopo, non proinde denuo facienda post genuflexionem.

5 — REGULAE GENERALES tituli II (nn. *81* ad *92*), exceptis quae ad thronum se referunt, observari debent cum ordinatio in faldistorio peragitur.

6 — SACERDOTES MANUS IMPOSITURI, saltem tres et non plus quam duodecim, inde ab initio functionis utentur planetis super superpelliceum, vel super rochetum cum amictu, si ejus gaudeant usu; vel capitulum ecclesiae cathedralis sacras vestes assumat non secus ac si functio ad thronum peragatur, propter impositionem manuum presbyteris.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS.

COLOR : violaceus — rubeus sabbato Pentecostes

119 ART. I — IN SACRARIO

Ut in n. *93*, sed omissis vestibus pro diaconis assistentibus, pro crucifero, et pro ministris insignium.

PRO PRESBYTERO ASSISTENTE :

Pluviale et amictus.
Pontificale parvum.

PRO SACERTOTIBUS MANUS IMPOSITURIS :

Planetae.

120 ART. II — IN LOCO VESTITIONIS EPISCOPI

In sacrario, diverso ab illo in quo ordinandi et ministri se sacris vestibus induunt, parentur quae necessaria sunt pro vestitione episcopi, ut sequitur :

SEDES CAMERALIS (in parvo suppedaneo si talis habeatur usus), super tapeto.

SACRAE VESTES EPISCOPI super altari, si aderit, secus super mensa ampla, alba tobalea cooperta, ubi commodius, juxta dispositionem loci, videlicet :

Planeta ; chirothecae in lance ; dalmatica et tunica ; stola ; alba cum cingulo ; amictus ; quae omnia velo cooperiuntur. A latere evangelii mitra simplex ; in sabbato Pentecostes mitra simplex ponitur a latere epistolae, et mitra pretiosa a latere evangelii.
Baculus pastoralis contra mensam.

SUPER MENSA MINORE, alba tobalea cooperta :

Candelabra duo cum candelis pro ceroferariis.
Caligae et sandalia in lance, velo cooperta.
Epistolae et Evangelia cum manipulo episcopi.
Canon pontificalis et scotula.
Manipuli ministrorum, et, extra sabbatum Pentecostes, etiam planetae plicatae.
Urceus cum pelvi et manutergia duo in lance.
Vela serica duo pro mitra et baculo.

121 ART. III — IN PRESBYTERIO

SUPER ALTARI aderunt sex tantum candelabra ; cetera ut pro ordinatione ad thronum.

ANTE ALTARE A CORNU EPISTOLAE :

Faldistorium sua veste coopertum. Laudabiliter ponetur parvum stratum ad altitudinem ultimi gradus altaris, tapeto proprio coopertum, super quo locabitur faldistorium toto tempore functionis.

A LATERE EVANGELLI :

Faldistorium alterum sua veste ornatum, quantum fieri poterit leve, ut commode transportari possit, cum pulvinari ejusdem coloris.

ABACUS MISSAE a latere epistolae, alba tobalea coopertus, super quo parentur :

Calix et patena cum hostia, purificatorio et palla.
Velum subdiaconi super calicem extensum.
Bursa cum corporali, super velo.
Velum parvum calicis plicatum.
Pyxis cum hostiis pro ordinandis, tot quot erunt communicandi.
Tobalea alba pro communione.
Ampullae vini et aquae.
Campanula.
Urceus cum pelvi.
Manutergia in lance.
Missale.
Tabella pro *Confiteor.*
Gremiale.
Stola latior, si color sit violaceus.

ABACUS ORDINATIONIS a latere epistolae, alba tobalea coopertus, super quo parentur omnia quae pro ordinatione ad thronum praescripta sunt.

SUPER MENSA ALIA (extra ambitum oculorum) parentur quae necessaria sunt pro lotione manuum neo-presbyterorum, et canistrum ad recipiendas candelas.

SCAMNUM MINISTRORUM a latere epistolae prope faldistorium.

PRO ORDINANDIS IN CHORO :

Scamna oblonga.

AD USUM NEO-PRESBYTERORUM post offertorium tantum :

Scamna oblonga, vel scabella seu genuflexoria lignea, cum missalibus maioribus, signaculis positis foliis legendis, tot quot erunt ordinandi.

LEGILE NUDUM pro cantu lectionum, cooperiendum pro cantu evangelii.

PRO ORDINANDORUM PROSTRATIONE :

Pulvinaria violacea lanea parvula, tot quot ordinandi in maioribus, si soleant adhiberi.

❯ Modum vestiendi ordinandos habes sub n. *96.*

❯ Si episcopus se vestiat in presbyterio, ibidem parentur omnia de quibus sub n. *120* habentur, excepta sede episcopi, et vestes ejus gremiali cooperientur. Pulvinar ponetur super ultimum gradum altaris pro oratione episcopi cum ad altare advenit.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS.

122 ART. I — PRAEPARATIO ET INITIUM MISSAE

Adventus episcopi

1 — Caeremoniarii 1mi munus erit determinare initium vestitionis episcopi, ita ut finem habeat cum in choro finitur cantus nonae.

Pontifex, cum tempus erit, ibit ad ecclesiam et recipietur a caeremoniario 1.°, qui ei dabit aspersorium tangendum, vel privatim ingredietur et perget ad sacrarium, ubi, facta cruci reverentia, sedet in sede sibi parata.

Praeparatio ad Missam

2 — Presbyter assistens in habitu chorali, facta episcopo reverentia, se sistit a dextris ejus ; ministri de libro et scotula se sistunt ante pontificem, scotula a sinistris, eique reverenter se inclinant.

Episcopus solus secrete recitat psalmos praeparationis, usque ad repetitionem antiphonae inclusive, presbytero assistente folias vertente.

Cum episcopus incipit legere psalmos, cubicularius ejus et 1us acolythus portans sandalia et caligas in lance, se sistunt a dextris episcopi et cubicularius eas imponit pedi dextro ejus, deinde, se sistens a sinistris ejus

cum acolytho et ministro de scotula a dextris, induit pedem sinistrum; quo finito, recedit cum acolytho calceos usuales ferente.

Cum episcopus incipit legere psalmos praeparationis, vel etiam prius, caeremoniarius 2us invitat sacros ministros ad vestes suas induendas, exceptis manipulis et planetis plicatis si adhibeantur, in quo adjuvantur ab acolythis. Caeremoniarius ordinandorum curam habebit ut ordinandi vestes sacras capiant modo tradito in tit. II, n. *96*.

Episcopus, calceatis pedibus et repetita antiphona, assurgit sine bireto ad versiculos et preces recitandas, deinde sedet et legit orationes pro vestitione, quibus expletis, discedunt ministri de libro et scotula.

1.ª lotio manuum episcopi

3 — Caeremoniarius 1us, accepto bireto episcopi, quod suo familiari tradit, exuit pontificem cruce pectorali, manteleto vel mozeta. Episcopus, postquam expedierit caudam habitus talaris, sedet et accipit biretum. Vestes chorales episcopi tradentur cubiculario ejus et crux pectoralis ponitur in lance.

Ministri lotionis coram episcopo se sistunt cum ministro de gremiali cum lance ad recipiendum annulum, qui, presbytero assistente mantile praesentante, de more lavat manus. Finita lotione, discedunt cum solita reverentia ministri et assistens.

Vestitio episcopi

4 — Sacri ministri, facta reverentia episcopo, se sistunt utrimque, diaconus a dextris, et subdiaconus a sinistris ejus.

Caeremoniarius 2us cum episcopus incipit deponere vestes chorales, vel paulo ante, vestes ejus distribuit ministris abaci et insignium.

Accedunt clerici cum sacris vestibus ad episcopum, qui a diacono, auxiliante subdiacono, solito more induitur, usque ad mitram inclusive.

Assistens presbyter, cum discedit ab episcopo, induit amictum et pluviale.

Finita vestitione episcopi, sacri ministri, facta ei reverentia, recedunt et accipiunt manipulos, et extra sabbatum Pentecostes etiam planetas in parte anteriore plicatas.

Presbyter assistens, recedentibus sacris ministris, ad episcopum accedit, et, facta reverentia, ei imponit annulum cum osculis de more, et se sistit a dextris ejus.

Sacri ministri ad episcopum revertuntur, et, facta ei reverentia, se sistunt in ordine a sinistris ejus.

❯ Ordo pro vestitione et lotione manuum traditus servabitur etiam si episcopus in presbyterio induat sacras vestes.

Acolythi accipiunt candelabra et se sistunt ante crucem sacrarii cum thuriferario thuribulum gestante. Minister de libro cum canone et minister de scotula, una cum ministris de mitra et baculo, locum sumunt hinc inde prope episcopum; in sabbato Pentecostes minister de mitra accipit mitram simplicem.

Introitus ordinandorum

5 — Finita in choro recitatione horae nonae, et in sacrario vestitione episcopi, ad nutum caeremoniarii 1mi, ordinandi bini cum candelis accensis in manu dextera, incipientes a dignioribus, praeeunte eorum caeremoniario, facta cruci sacrarii reverentia, ad presbyterium accedunt (93).

Cum intrant, reverentiam praebent choro, qui assurgit, genuflectunt bini ad crucem, ad loca sua se conferunt, ubi candelas accensas in manibus tenebunt.

Iter episcopi ad altare

6 — Pontifex exspectat sedens quousque ordinandi ad chorum pervenerint, deinde assurgit, accepto baculo, et se sistit cum suis ministris ante crucem sacrarii, cui reverenter se inclinat una cum suis ministris; deinde ibit ad altare, quo sequitur ordine:

Thuriferarius cum thuribulo ardente in manu sinistra.
Acolythi cum candelabris.
Minister de gremiali.
Subdiaconus cum evangelistario et manipulo episcopi.
Episcopus, cum presbytero assistente a dextris et diacono a sinistris, paulo ante eum.
Caudatarius, caudam habitus episcopi attollens.
Ministri de mitra et baculo.
Ministri de libro et scotula.
Familiares episcopi.

❯ Si introitus sit processionalis cum cruce et ordinandis, fit benedictio et impositio incensi in sacrario et ordinandi procedunt ordine in n. *97*, 5, tradito.

Ad chorum cum pervenerint, episcopus et ministri eum reverentia honorabunt, episcopus vero minima capitis tantum inclinatione.

Ministri inferiores, post reverentiam choro, quam faciunt una cum episcopo, genuflectunt ad crucem, et se sistunt ad abacum.

Episcopus cum assistente a dextris, diacono a sinistris, et subdiacono a sinistris diaconi, se sistit ante ultimum gradum altaris, ubi, reddito baculo ministro, et amota mitra a diacono, facit cum illis profundam inclinationem cruci; caeremoniarius 2us accipit bireta ministrorum quae super scamna reponit, deinde accepto libro evangeliorum cum manipulo episcopi genua flectit a sinistris subdiaconi.

❯ Sacri ministri et assistens, si non sint canonici in sua dioecesi vel praelati, hic et ubique genuflexionem faciunt cruci altaris.

Ordinandi candelas suas exstinguunt, sed apud se conservant.

❯ Si episcopus vestes suas induat in presbyterio, diaconus, imposita mitra episcopo, se sistit a sinistris ejus, subdiaconus a sinistris diaconi, assistens a dextris episcopi, et fit introitus ordinandorum, qui faciunt bini inclinationem episcopo, post reverentiam ad chorum et genuflexionem ad crucem, et ad loca sua accedunt. Cum omnes ad loca sua pervenerint, episcopus assurgit et, facta reverentia choro, ad altare accedit ut supra.

Initium missae

7 — Missa statim incipitur more consueto ad altare et ad faldistorium usque ad *Kyrie eleison* inclusive, in sabbato *Sitientes* vero usque ad introitum inclusive.

123 ART. II — DE CLERICIS INITIANDIS

Iter episcopi ad altare

1 — Prope finem *Kyrie, eleison* et in sabbato *Sitientes* prope finem introitus, acolythi locant faldistorium alterum in medio suppedaneo et minister de libro sumit pontificale.

Finito cantu *Kyrie,* vel in sabbato *Sitientes* post introitum, episcopus, accepto baculo, accedit ad altare cum assistente a dextris, et sacris ministris a sinistris. Ante primum gradum episcopus reddit baculum, et cum suis ministris facit reverentiam profundam cruci altaris, ad illud ascendit, et sedet in faldistorio. Diaconus se sistit a dextris episcopi, subdiaconus pergit ad sinistram, et assistens presbyter a dextris diaconi versus cornu evangelii ibit.

Vocatio et admonitio generalis

2 — Omnia fiunt ut in n. *98*, 2.

Initiatio clericorum

3 — A vocatione clericorum usque ad eorum dimissionem, proceditur ut in n. *98*. Presbyter assistens, finita vocatione clericandorum, recedit, facta reverentia simul cruci et episcopo, ad 1um locum chori a parte evangelii, vel si chorus non aderit, ad scabellum a latere evangelii.

Regula pro ordinandis

4 — Ordinandi, cum accedunt ante medium altaris vel ad suppedaneum seu ab eo recedunt, genuflexionem cruci conficiunt, in qua includitur reverentia episcopo facienda, et, post ordinationem, sine reverentia ad chorum, ad loca sua redeunt, quod etiam observabitur pro ordinibus sequentibus.

124 ART. III — CONTINUATIO MISSAE

Iter episcopi ad faldistorium missae

1 — Clericis ad loca sua reversis, episcopus, accepto baculo, medius inter suos ministros, surgit et descendit in planum ante altare.

Presbyter assistens se sistit a dextris episcopi, diaconus a sinistris, subdiaconus a sinistris diaconi, et omnes reverentur crucem, et ad faldistorium missae accedunt.

Cantus 1.ae collectae

2 — Episcopus sedet, reddit baculum, et deponit mitram. Ministri de libro et scotula se sistunt coram faldistorio, tergo altari obverso. Episcopus ad altare super sinistram suam se vertit, presbyter assistens se sistit a dextris ejus, sacri ministri unus post alium stant. Episcopus canit *Oremus,* diaconus *Flectamus genua,* et subdiaconus *Levate*, et, presbytero assistente prope librum adstante, canit episcopus 1am collectam.

❯ In sabbato Pentecostes *Flectamus genua* hic et ubique in missa omittitur.

Finita oratione, episcopus se vertit super dexteram suam, sedet, et a diacono induitur mitra et accipit gremiale.

❯ Dum canitur collecta, caeremoniarius 2us vel acolythus legile nudum cum epistolario ponit in medio chori.

Cantus 1.ae lectionis

3 — Clericus, qui cantare debet 1am lectionem, superpelliceo indutus, etiamsi gaudeat usu cappae, factis reverentiis cruci, episcopo et choro, se sistit ad legile, et ad signum caeremoniarii cantat lectionem, manibus super legili positis.

Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum, qui submissa voce legit lectionem 1am, cum diacono a dextris, subdiacono a sinistris et presbytero assistente a sinistris subdiaconi ad librum. Finita lectione, ministri de libro et scotula, facta reverentia, discedunt, et presbyter assistens cum sacris ministris redit ad scamnum et sedet.

Cantor, finito cantu lectionis et iteratis reverentiis, directe ad locum suum in choro redit; si utitur cappa, superpelliceum deponit et cappam iterum induit.

❯ Si ordines minores erunt conferendi, legile amovebitur e medio chori post singulas lectiones ne impediat ordinationem, et, ea finita, reponitur pro lectione sequenti.

❯ In sabbato *Sitientes* nulla datur oratio nec lectio, et episcopus ad faldistorium missae reversus, sedet, dimittit baculum et mitram, iterum assurgit, se vertit ad altare, sacri ministri se sistunt hinc inde, et presbyter assistens a dextris, et cum illis recitat episcopus *Kyrie eleison,* deinde iterum se vertit, sedet et accipit mitram. Sacri ministri et assistens, facta reverentia, ad scamnum recedunt nisi cantus sit brevissimus. Interim a schola cantatur *Kyrie, eleison*.

125 ART. IV — ORDINATIO OSTIARIORUM

Iter episcopi ad altare

1 — Finito cantu 1ae lectionis, et in sabbato *Sitientes* finito cantu *Kyrie, eleison,* assistens et sacri ministri assurgunt et se sistunt ante episcopum, cui faciunt debitam reverentiam.

Diaconus tollit gremiale et se sistit a sinistris episcopi, subdiaconus a sinistris diaconi, presbyter assistens a dextris episcopi stabit.

Episcopus, accepto baculo, assurgit, et cum suis ministris pergit ante primum gradum altaris, ubi facit cum illis profundam reverentiam cruci, et ad suppedaneum ascendit. Ibique, se vertens super dexteram suam, sedet et reddit baculum. Diaconus a dextris episcopi imponit ei gremiale;

subdiaconus ad sinistram episcopi accedit et assistens versus cornu evangelii se sistit.

Ordinatio ostiariorum

2 — Proceditur in omnibus ut in n. *100,* a vocatione ad finem.

❯ In sabbato *Sitientes,* finita ordinatione ostiariorum, immediate proceditur ad ceteros ordines minores conferendos.

126 ART. V — CONTINUATIO MISSAE

Iter episcopi ad faldistorium missae

1 — Itur ad faldistorium missae ordine tradito.

Cantus 1.mi gradualis

2 — Episcopus sedet in faldistorio et reddit baculum; sacri ministri se sistunt a lateribus ejus ut prius et ministri de libro et scotula coram eo, cum presbytero assistente a sinistris prope librum. Praeses legit submissa voce graduale 1um, quod a schola cantatur; in sabbato Pentecostes vero 1um *Alleluia* cum suo versu. Finita lectione, ministri de libro et scotula recedunt, et se sistunt retro post faldistorium, tergo altari obverso.

Cantus 2.ae collectae

3 — Prope finem cantus, diaconus tollit mitram episcopo, qui assurgit, et, ad altare se vertens, canit 2am collectam, ritu servato pro cantu 1ae collectae, n. *124,* 2.

Cantus 2.ae lectionis

4 — Omnia fiunt ut pro cantu 1ae lectionis.

127 ART. VI — ORDINATIO LECTORUM.

Itur ad altare ordine tradito, sed finita 2.a lectione.

Ordinatio fit ut in n. *102* a vocatione ad finem.

128 ART. VII — CONTINUATIO MISSAE

Itur ad faldistorium missae ordine quo prius. A choro cantatur 2um graduale, in sabbato Pentecostes 2um *Alleluia* cum suo versu, quod legitur submissa voce ab episcopo; qui deinde canit 3am collectam. Lectio 3.a cantabitur ab uno e lectoribus modo ordinatis et legitur ab episcopo, et omnia fiunt ut prius.

129 ART. VIII — ORDINATIO EXORCISTARUM

Itur ad altare ut prius, sed finita 3.ª lectione. Ordinatio fit ut in n. *104* a vocatione ad finem.

130 ART. IX — CONTINUATIO MISSAE

Itur ad faldistorium missae et omnia fiunt ut prius, sed cantatur 3um graduale, vel 3um *Alleluia* cum suo versu, quod legitur submissa voce ab episcopo, qui deinde canit 4am collectam; lectio 4.ª cantabitur a lectore vel exorcista neo-ordinato, et legitur ab episcopo, ordine tradito.

131 ART. X —ORDINATIO ACOLYTHORUM.

Itur ad altare ordine tradito, sed finita 4.ª lectione. Ad ordinationem proceditur ut in n. *106* a vocatione ad finem.

132 ART. XI — CONTINUATIO MISSAE

Itur ad faldistorium missae et omnia fiunt ut prius, sed cantatur 4um graduale, vel 4um *Alleluia* cum suo versu, quod legitur ab episcopo, qui deinde canit 5am collectam; lectio 5.ª cantabitur a neo-ordinato et legitur ab episcopo ut de more.

Finita lectione legile amovebitur.

133 ART. XII — ORDINATIO SUBDIACONORUM

Itur ad altare ut prius, sed post lectionem 5am; in sabbato *Sitientes* post collectas missae. Ordinatio fit ut in n. *108* a vocatione ad finem.

134 ART. XIII — CONTINUATIO MISSAE

Iter episcopi ad faldistorium missae

1 — Episcopus, accepto baculo, revertitur ad faldistorium missae cum suis ministris uti prius, ubi sedet, reddit baculum et accipit gremiale.

Continuatio missae

2 — Sacri ministri se sistunt a lateribus episcopi et assistens presbyter a sinistris episcopi paulo ante subdiaconum; ministri de libro et scotula se sistunt coram episcopo qui legit canticum Danielis, quod a schola cantatur. Finita lectione, recedunt ministri de libro et scotula.

Prope finem hymni, diaconus episcopo tollit gremiale et mitram, qui assurgit et canit *Dominus vobiscum,* se vertit deinde ad altare et canit orationem missae sub unica conclusione cum alia pro ordinandis; deinde canit ceteras orationes diei juxta rubricas.

❯ In sabbato *Sitientes,* omisso cantico Danielis, immediate proceditur ad cantum epistolae ut infra.

❯ In sabbato Pentecostes, loco cantici Danielis, cantatur 5um *Alleluia* cum suo versu, quod legitur ab episcopo ordine quo prius, et, dicto *Pax vobis,* episcopus canit collectas ut supra.

Epistola.

3 — Finitis orationibus, episcopus ad ordinandos se vertit, sedet in faldistorio, et accipit mitram et gremiale.

Legile apponitur in loco ubi solet legi epistola.

Diaconus se sistit a dextris episcopi et subdiaconus a sinistris cum presbytero assistente a sua sinistra ad librum. Ministri de libro et scotula, facta reverentia, ad episcopum accedunt qui legit epistolam. Finita lectione, ministri de libro et scotula, facta reverentia, recedunt.

Cum episcopus incipit legere epistolam, caeremoniarius 2us invitat 1mum. subdiaconum neo-ordinatum, tunica indutum, vel subdiaconum unicum, si unicus ordinatus fuit, ad cantandam epistolam. Subdiaconus, accepto libro, facit cum caeremoniario 2.º genuflexionem ad crucem, deinde reverentiam episcopo et choro, et canit epistolam in loco solito. Finita epistola, neo-subdiaconus facit in medio genuflexionem cruci, deinde reverentiam choro, accedit ante episcopum, et, facta ei reverentia, flexis genibus annulum osculatur, iterata reverentia et tradito libro caeremoniario, subdiaconus ad locum suum recedit.

❯ Si nullus fuit ordinatus in subdiaconum, epistola cantatur a subdiacono missae et interim legitur ab episcopo.

Post cantum epistolae legile amovebitur.

135 ART. XIV — ORDINATIO DIACONORUM

Finita epistola, episcopus, dimisso gremiali et accepto baculo, vadit cum suis ministris ad faldistorium ordinationis, prout fecit prius; sedet, dimittit baculum et accipit gremiale.

Proceditur ad ordinationem ut in n. *110* a vocatione ad finem.

› Si nullus sit in diaconum ordinandus, episcopus legit epistolam finito cantu ejus, et statim legit quae sequuntur ut in numero sequenti.

136 ART. XV — CONTINUATIO MISSAE

Episcopus, accepto baculo, revertitur ad faldistorium missae cum suis ministris, ordine quo prius, et sedet ibi ac reddit baculum. Sacri ministri se sistunt hinc inde et accedunt ministri de libro et scotula. Episcopus, cum assistente presbytero a sua sinistra ad librum, legit tractum, in sabbato *Sitientes* graduale usque ad ultimum versum exclusive. In sabbato Pentecostes episcopus, accepto gremiali, legit totum tractum et subinde sequentiam, sed usque ad ultimam stropham exclusive. Interim a schola cantatur tractus, graduale vel sequentia ut supra.

Finita lectione ab episcopo, recedunt ministri de libro et scotula, et sacri ministri ac presbyter assistens redeunt ad scamnum, si cantus id permittat.

137 ART. XVI — ORDINATIO PRESBYTERORUM

Finito cantu, episcopus, accepto baculo, et in sabbato Pentecostes etiam deposito gremiali, ad faldistorium ordinationis accedit cum suis ministris, ordine quo prius.

Ordinatio fit ut in n. *112,* a vocatione ad finem; quoad impositionem manuum, tamen, observa:

Canonici et sacerdotes, qui manus imponere debent, induunt stolam coloris missae, nisi jam sint induti planetis. Canonicis qui forte utuntur cappa vel mozeta, licebit, pro hac functione tantum, accipere stolam super habitum chorale (94). Sacri ministri, etsi sint sacerdotes, ab impositione manuum abstinebunt. Archidiaconus primo loco manus imponit, etiamsi aderint dignitates ipsi superiores.

Finita ordinatione presbyterorum, amovebitur faldistorium ordinationis.

138 ART. XVII — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

Iter episcopi ad faldistorium missae

1 — Episcopus, cum suis ministris, accepto baculo, ad faldistorium missae revertitur solito more, sedet, dimittit baculum, et accipit gremiale. Sacri ministri et presbyter assistens se sistunt ut prius ad faldistorium.

Continuatio missae

2 — Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum, qui legit ultimum versum tractus, sive gradualis in sabbato *Sitientes,* vel in sabbato Pentecostes ultimam stropham sequentiae, quae a schola cantatur. Subinde episcopus dicit *Munda cor meum* et legit evangelium junctis manibus. Finita lectione, ministri de libro et scotula, facta reverentia, recedunt.

Legile apponitur in loco ubi evangelium erit cantandum.

Evangelium

3 — Cum episcopus incipit legere evangelium, vel paulo ante, caeremoniarius 2us invitabit unum ex diaconis nuper ordinatis ad illud cantandum. Diaconus dalmatica indutus, cum subdiacono qui cantavit epistolam a sinistris, se sistit ante gradus altaris; caeremoniarius 2us evangelistarium diacono tradit, qui, facta reverentia choro et genuflexione ad crucem, ascendit ad suppedaneum, librum super altare locat, et descendit in planum.

Finita lectione evangelii ab episcopo, presbyter assistens aliquantulum recedit; accedit thuriferarius et episcopus, diacono naviculam ministrante, more solito incensum benedicit, imponitque thuribulo.

Interim neo-diaconus, flexis genibus in infimo gradu altaris, recitat *Munda cor meum,* deinde assurgit, ascendit ad capiendum librum et in planum descendit. Acolythi cum cereis et thuriferarius cum caeremoniario 2.°, se sistunt retro post diaconum et subdiaconum, ut in missa solemni; et, facta genuflexione ad crucem, pergunt ante episcopum. Post reverentiam episcopo, neo-diaconus flexis genibus petit benedictionem et osculatur annulum episcopi de more.

Proceditur solito more, post debitas reverentias episcopo, cruci et choro, ad cantum evangelii. Ante initium cantus, diaconus missae tollit episcopo gremiale et mitram, et remanet cum subdiacono hinc inde. Episcopus assurgit et accipit baculum quem tenet junctis manibus et neo-diaconus canit evangelium dum subdiaconus manus legili apponit.

Finito cantu evangelii, neo-subdiaconus portat librum ad episcopum qui, reddito baculo, osculatur librum. Neo-subdiaconus tradit librum caeremoniario 2.°, et denuo revertitur in medium a sinistris neo-diaconi. Acolythi, facta genuflexione cruci, ad abacum revertuntur. Diaconus missae se sistit ante episcopum et, accepto thuribulo a thuriferario a dextris ejus, ter episcopum incensat de more.

Neo-diaconus et neo-subdiaconus ad loca sua revertuntur, et thuriferarius discedit.

Legile removebitur non amplius adhibendum.

Sacri ministri se sistunt unus post alium, et episcopus canit *Dominus vobiscum*, et, super sinistram suam se vertens, canit *Oremus*. Accedunt ministri de libro et scotula et episcopus cum sacris ministris utrimque, et assistente prope librum, legit offertorium; deinde, iterum se vertens, sedet et, a diacono induitur mitra, qui genibus ejus ponit gremiale lineum, et, adjuvante subdiacono, faldistorio aptat. Diaconus remanet a dextris episcopi, subdiaconus a sinistris, et assistens a sinistris prope librum.

❯ Si nullus fuit ordinatus diaconus, evangelium cantabitur de more a diacono missae, ministrante subdiacono missae.

❯ In sabbato Pentecostes episcopus, recepta incensatione, se vertit ad altare et intonat *Credo*. Post *Incarnatus est* diaconus missae portat corporale in bursa super altare extendendum. Cum sedet ad offertorium, episcopus induit mitram pretiosam. Cetera fiunt solito more.

Praesentatio candelarum.

4 — Caeremoniarius ordinandorum, adjuvantibus clericis de abaco, candelas ardentes tradit omnibus ordinatis, qui, uno ordine dispositi, a maioribus ad minores, se sistunt in medio presbyterii. Clerici de abaco (2us cum canistro) se sistunt a dextris diaconi. Ordinati, unus post alium, facta genuflexione cruci (si transeant ante illam), pergunt ante faldistorium, ubi, facta episcopo inclinatione, flexis genibus offerunt, cum osculo manus episcopi tantum, candelam quisque suam. Deinde assurgunt, inclinationem episcopo iterant, et, facta in medio presbyterii genuflexione cruci, ad loca sua in choro revertuntur. Episcopus, prout accipit candelas, eas tradit diacono, qui eas tradit 1.° acolytho, qui exstinctas in canistro reponit. Finita oblatione, recedunt acolythi, et canistrum cum candelis in sacrario reponitur. Diagramma IX.

❯ Si ordinandorum numerus sit magnus, candelarum oblatio fieri poterit a 1mo ordinato uniuscujusque ordinis et a 1mo clerico, qui ad episcopum accedunt ordine tradito. D 2883, IV.

❯ Incepto offertorio, vel paulo antea, sacristae parabunt scamna cum missalibus, ad usum neo-presbyterorum, ita tamen ut non impediant transitum pontificis, nec ordinatorum cum accedunt ad communionem.

4.ª lotio manuum episcopi

5 — Finita traditione candelarum, accedit ad faldistorium minister de gremiali cum lance, et diaconus accipit annulum episcopi; deinde exuit eum chirotheca dexterae manus, et subdiaconus chirotheca sinistrae manus, et recedit minister de gremiali. Accedunt ministri lotionis, et episcopus manus lavat, presbytero assistente mantile ministrante, qui deinde imponit annulum digito episcopi. Recedunt ministri lotionis, et diaconus tollit gremiale linteum, quod tradit ministro de gremiali.

Dum episcopus lavat manus, caeremoniarius ordinandorum vocabit neo-presbyteros, cum suis assistentibus, superpelliceis indutis, ut se sistent ad scamna sua ante altare. Assistentes locum occupant a sinistris presbyteri cui assistunt, vel, si aderit unus pro duobus, medius inter illos; qui omnes flectunt genua priusquam episcopus ad altare accedat.

Minister de libro, per breviorem viam, portat ad latus evangelii altaris legile seu cussinum cum missali, et canonem apertum in medio altaris ponit ac recedit.

Postquam episcopus lavit manus, diaconus, si utatur casula plicata, ad scamnum accedit, ubi, illa dimissa, accipit planetam super humerum sinistrum convolutam, et iterum revertitur ad dexteram episcopi.

139 ART. XVIII — CONCELEBRATIO MISSAE

Iter episcopi ad altare

1 — Episcopus, accepto baculo, assurgit, et cum presbytero assistente a dextris et diacono a sinistris, facta reverentia choro, ante altare se sistit, ubi, reddito baculo et deposita mitra, facit cum illis debitam reverentiam et ad suppedaneum ascendit.

Assistens locum mutat cum diacono qui ascendit a dextris. Subdiaconus interim pergit directe ad abacum, ubi induit velum humerale.

Missa prosequitur de more juxta regulas pro missa ad faldistorium. Chorus, post reverentiam episcopo, sedet, sed neo-presbyteri manent genuflexi.

Regulae pro episcopo. 2 — Ut in n. *114*, 2.

Regulae pro neo-presbyteris. 3 — Ut in n. *114*, 3.

Incensatio. 4 — Diaconus, incensato episcopo, incensat canonicos et praelatos in choro, si aderint, deinde presbyterum assistentem et subdiaconum, postea neo-presbyteros genuflexos, deinde neo-diaconos et neo-subdiaconos; et reddit thuribulum ministro, qui eum incensat. Thuriferarius deinde incensat reliquos de choro et populum.

Funalia 5 — Ut in n. *114*, 5.

Pax. 6 — Episcopus de more pacem dat presbytero assistenti, qui eam dat choro et diacono missae, deinde episcopus pacem dat 1.° presbytero, 1.° diacono, et 1.° subdiacono, et proceditur ut in n. *114*, 7.

140 ART. XIX — COMMUNIO ORDINATORUM

Communio presbyterorum. 1 — Proceditur in omnibus ut in n. *115*, 1, sed episcopus portat pyxidem.

Communio ceterorum. 2 — Proceditur in omnibus ut in n. *115*, 2, sed episcopus portat pyxidem.

Ablutiones et 6.ª lotio manuum episcopi. 3 — Ut in n. *115*, 3, sed, finita lotione manuum, presbyter assistens solus ad chorum recedit.

Diaconus, deposita stola latiore, iterum assumit planetam plicatam, nisi sit sabbatum Pentecostes.

141 ART. XX — RITUS AD ORDINATIONEM PRESBYTERORUM COMPLENDAM.

Proceditur in omnibus ut in n. *116*.

Ad obedientiam pontifex dicit *Promittis Pontifici ordinario tuo* etc., vel *Praelato* pro regularibus.

142 ART. XXI — FINIS MISSAE

Ritus finales missae et paenitentia 1 — Proceditur ut pro functione ad thronum, n. *117*. Post benedictionem non publicantur indulgentiae.

Ultimum evangelium 2 — Episcopus, deposita mitra, assurgit, et ad latus evangelii se confert, ubi dicit cum neo-presbyteris stantibus *Dominus vobiscum*, deinde recitat ibidem cum illis initium evangelii sancti Joannis. Ad *et Verbum caro factum est* omnes suis locis genuflectunt.

Cum episcopus incipit recitare evangelium, acolythi faldistorium ordinationis amovent.

› Si ultimum evangelium sit proprium, legitur simul ab episcopo et a neo-presbyteris stantibus, missale in manibus tenentibus.

Dum recitatur ultimum evangelium, acolythi cum ceroferariis se sistunt in medio ante altare, cum ministris de mitra et baculo a latere evangelii, et ministris de libro et scotula a latere epistolae.

Recessus episcopi 3 — Episcopus, finito evangelio, induitur mitra a diacono, et, accepto baculo, se sistit in medio altaris, ubi facta capitis inclinatione ad crucem, descendit in planum cum suis ministris. Episcopus cum assistente a dextris, et sacris ministris a sinistris, facit cruci profundam reverentiam; acolythi, ministri insignium et caudatarius ac caeremoniarii genuflectunt. Deinde, ordine quo venerunt, et facta choro reverentia, episcopus ad sacrarium revertitur cum suis ministris, caudatario extremitatem vestis ejus sustentante.

Recessus ordinatorum 4 — Postquam episcopus discesserit, ordinati bini, incipientes a presbyteris, facta genuflexione cruci et reverentia choro, redeunt ad sacrarium, vel recedunt una cum episcopo, ante ministros missae.

› Tempore Quadragesimae, in choro recitantur vesperae.

Episcopus dimittit vestes sacras 5 — In sacrario, post reverentiam cruci, episcopus sedet. Presbyter assistens, facta ei reverentia, discedit, et sacri ministri dimittunt manipulos, et planetas plicatas si eo die adhibeantur, et se sistunt a lateribus episcopi, qui de more sacras dimittit vestes.

Deinde recedunt sacri ministri ad deponendas vestes sacras, et accedit assistens in habitu chorali. Episcopus accepto habitu chorali, de more dimittit sandalia et caligas et legit gratiarum actionem, ac deinde discedit in pace.

Ordinati dimittunt vestes sacras

6 — Ordinati dimittunt vestes sacras in loco ubi eas induerunt et gratias Deo et episcopo agunt pro ordine recepto.

❯ Si episcopus vestes sacras in presbyterio deponat, facta reverentia cruci altaris et choro, vadit ad faldistorium missae, ubi sedet et dimittit baculum. Deinde ordinati, cum reverentiis episcopo et choro et genuflexione ad crucem, recedunt ordine quo venerunt. Episcopus vestes sacras deponit ordine tradito, et, post gratiarum actionem, discedit in pace.

TITULUS IV

DE ORDINIBUS MAIORIBUS SOLEMNITER CONFERENDIS UNI VEL PLURIBUS EXTRA TEMPORA

PARS I — AD THRONUM

CAPUT I

PRAENOTANDA ET REGULAE SERVANDAE

143 Gravi de causa licet ordines maiores conferre in dominicis per annum vel festis duplicibus de praecepto, ut in t. I, c. III habetur, n. *69*.

MISSA dicitur post tertiam prout jacet in calendario diei ecclesiae ordinationis, sed additur oratio pro collatione sacrorum ordinum sub unica conclusione cum oratione missae diei.

RESCRIPTUM. Lectio rescripti apostolici a PR praescripta, post promulgationem CJC locum amplius non habet, nisi ubi, ex specialissimo privilegio, ordinatio fit in aliquo sabbato extra sex sabbata de jure, vel in aliquo festo quod non sit de praecepto servando. Mandatum apostolicum in casu legitur ante collationem subdiaconatus et, lecto mandato, pontifex dicit *Deo gratias.*

CLERUS ORDINATIONIS idem est ac pro missa in sabbatis ordinum, n. *79,* sed pro elevatione Sacramenti aderunt clerici sex vel ad summum octo cum intorticiis, si ordinatio fiat in solemnitatibus.

144 REGULAE SERVANDAE eaedem sunt ac pro ordinatione in sabbatis temporum (Tit. II, cap. II, nn. 80-92), sed observa :

EPISCOPUS tempore missae de more et ad offertorium utitur mitra pretiosa, nisi color diei sit violaceus, cum quo utitur tantum mitra simplici.

CHORUS non genuflectit ad orationes missae et ad postcommuniones, et assurgit post elevationem calicis.

INVITATIO AD GENUFLECTENDUM tempore ordinationum non est omittenda, licet omittatur tempore missae. D 4164.

ADMONITIO GENERALIS. Archidiaconus facit vocationem et admonitionem generalem ut in tit. II habetur, n. *98*, 2, antequam ad ordinationem procedatur, etiamsi unus tantum sit ordinandus. D 3006, IV.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

COLOR : dominici vel festi

145 EPISCOPUS SACRAS VESTES INDUIT IN SEDE SUA :

In sacrario, ad altare ssmi. Sacramenti, et in presbyterio, disponentur omnia prout habetur in tit. II, cap. III. (nn. *93*, 5).

Omittuntur res quae necessariae sunt pro clericis initiandis et ordinibus minoribus conferendis, nisi eo die adsint clerici initiandi vel promovendi ad ordines minores.

❯ In dominica 3.ª Adventus vel 4.ª Quadragesimae, et etiam in 4.ª Adventus si sit vigilia Nativitatis Domini, sacri ministri, diaconi assistentes, crucifer si celebret metropolita, et canonici diaconi vel subdiaconi in choro, utuntur dalmaticis, sicut in dominicis et festis per annum; in ceteris dominicis Adventus et Quadragesimae adhibent planetas plicatas.

146 EPISCOPUS SACRAS VESTES INDUIT IN SECRETARIO :

SUPER ALTARI SECRETARII parentur vestes episcopi velo coopertae, et a latere ejus baculus pastoralis. Aderit mitra pretiosa si adhiberi licet.

SUPER MENSA SECRETARII :

Candelabra duo cum cereis pro ceroferariis.
Urceus cum pelvi.
Manutergia duo in lance.

Caligae et sandalia in lance, velo cooperta.
Canon pontificalis et scotula.
Epistolae et evangelia cum manipulo episcopi.
Breviarium chorale.
Manipuli diaconi et subdiaconi.

Vestes canonicorum et ministrorum parentur in sacrario secretarii, vel ubi parari solent, et gremiale ponitur super abacum missae.

Cetera omnia parentur ut in tit. II, cap. III, nn. *93, 94, 95*, sed in solemnitatibus aderunt funalia sex, vel ad summum octo.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

147 ART. I — PRAEPARATIO ET VESTITIO

❯ Si ordinatio fiat in solemnitatibus, vel in dominicis per annum, extra Quadragesimam et Adventum, episcopus facit praeparationem ac sacras induit vestes in secretario ubi canitur hora tertia, et missa celebrabitur more solito juxta CE II, cc. 8 et 31.

❯ Si ordinatio fiat in dominicis Adventus vel Quadragesimae, episcopus sacris vestibus induitur ad sedem suam, ibique incipit cantum tertiae, ut in n. *97* (CE II, cc. 13 et 20).

Episcopus recitat preces dominicales ad thronum, si dicendae sint. Sed etiam in diebus dominicis semper licet episcopo praeparationem facere et vestes sacras induere in secretario.

Ordinandi vestes assumunt in sacrario, et, finito cantu tertiae, ad loca sua adeant, juxta determinationem caeremoniarii pro introitu processionali, in quo ordinandi in sacris ibunt ante canonicos paratos.

❯ Si aderint clerici initiandi locum sumunt ante acolythos cum ceroferariis, et si aderint promovendi ad ordines minores, neo-clerici et qui ordines minores receperunt, procedunt cum aliis de clero.

148 ART. II — CELEBRATIO MISSAE

Missa celebrabitur ad thronum de more usque ad collectas inclusive.

149 ART. III — ORDINATIO SUBDIACONORUM

Cantatis collectis, episcopus, accepta mitra, pergit ad altare cum suis assistentibus et cum ministris insignium ritu descripto in tit. II, n. *98,* 1.

Facta admonitione (n. *98,* 2), proceditur ad ordinationem subdiaconorum ut in tit. II, n. *108,* 2-11.

❯ Si unus tantum aderit subdiaconus ordinandus, episcopus et archidiaconus omnia dicunt in singulari (quod observabitur pro diaconis et presbyteris), et, finita vestitione, episcopus immediate ei tradit epistolarium, qui deinde de more ad locum suum redit.

❯ Si initiandi sint clerici, episcopus ad altare procedit post introitum, vel post *Kyrie, eleison* si dicitur *Gloria,* et omnia facit ut in tit. II, n. *98,* 1-11.

❯ Si promovendi sint clerici ad ordines minores, episcopus ad altare procedit post *Kyrie, eleison* vel post *Gloria* si dicatur, et quatuor ordines dat successive ut in tit. II, nn. *100, 102, 104, 106,* facta prius admonitione generali, n. *98,* 2.

Finita ordinatione subdiaconorum, episcopus ad thronum revertitur ordine tradito, et cantatur epistola a neo-subdiacono, quae etiam legitur ab episcopo, n. *109,* 3.

150 ART. IV — ORDINATIO DIACONORUM

Finita epistola, episcopus, ordine tradito, ibit ad altare ad diaconos ordinandos prout habetur in tit. II, n. *110.*

❯ Si unus tantum diaconus ordinatur, finita vestitione, episcopus immediate ei tradit evangelistarium, qui deinde ad locum suum de more revertitur.

Finita ordinatione, episcopus denuo ad thronum redit et chorus cantat graduale, tractum vel sequentiam ut infra, quod episcopus submissa voce legit.

❯ Si ordinatio fiat ab Adventu usque ad Septuagesimam, vel a festo Ssmae. Trinitatis usque ad Adventum, vel in festis, cantatur graduale cum suo versu usque ad *Alleluia* exclusive.

❯ Si ordinatio fiat a Septuagesima usque ad dominicam Passionis, cantatur graduale et tractus usque ad ultimum versum exclusive.

❯ Si ordinatio fiat tempore paschali cantatur *Alleluia* cum suo versu, seu usque ad 2um versum exclusive.

❯ Si dicitur sequentia prius canitur graduale, tractus, vel *Alleluia,* deinde sequentia usque ad ultimam stropham exclusive.

151 ART. V — ORDINATIO PRESBYTERORUM

Finito cantu, episcopus iterum vadit ad altare cum suis ministris, ordine tradito, et proceditur ad ordinationem presbyterorum ut in tit. II, n. *112.*

❯ Si unus tantum ordinandus sit presbyter, finita unctione manuum, ipse non assurgit, et caeremoniarius 1us manus ejus alligat, ita tamen ut possit eas in parte anteriore disjungere cum tangit calicem. Caeremoniarius praesentat episcopo medullam panis ad digitum abstergendum, deinde ei tradit calicem a sacerdote tangendum. Facta traditione, iterum caeremoniarius manus presbyteri aptat, qui assurgit et ad locum suum redit.

152 ART. VI — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

Episcopus ad thronum revertitur cum suis ministris, tradito ordine, et legit ultimum versum gradualis, tractus vel *Alleluia,* aut ultimam stropham sequentiae juxta tempus dum cantatur a schola.

Episcopus legit evangelium, quod a neo-diacono cantatur; ad offertorium ordinati omnes candelas suas episcopo offerunt, qui deinde manus lavat, et cetera fiunt ut in tit. II, n. *113.*

153 ART. VII — CONCELEBRATIO MISSAE ET COMMUNIO

Omnia fiunt ut in tit. II, nn. *114, 115,* sed observa :

Ad *Sanctus* intrant clerici cum funalibus, et remanent flexis genibus usque post communionem ordinatorum.

❯ Si pauci sint promoti ad sacros ordines, poterit episcopus singulis pacem dare, qui omnes servabunt traditum ordinem; sin minus, episcopus pacem dabit tantum 1mo. cujuscumque ordinis maioris.

❯ Si unus tantum presbyter ordinatus fuit, poterit, si velit, purificationem sumere post communionem e calice ei ad ordinationem tradito.

154 ART. VIII — RITUS FINALES ET FINIS MISSAE

Omnia fiunt ut in tit. II, nn. *116, 117.*

Si episcopus dimittit vestes sacras in secretario, sequens ordo servabitur :

Episcopus, dicto *Initium sancti Evangelii* etc., cum neo-presbyteris, accipit mitram et baculum, et descendit in planum, ubi, cum suis ministris, facit profundam reverentiam cruci.

Ordinabitur regressus ad secretarium ordine servato ad ingressum. Neo-presbyteri procedunt immediate ante canonicos sacris vestibus indutos, retro post ibunt neo-diaconi et neo-subdiaconi. Episcopus recitat totum evangelium dum itur ad secretarium, nec genuflectit ad *et Verbum caro factum est*.

In secretario episcopus sedet et reddit baculum. Canonici et alii sacris vestibus induti discedunt ad illas dimittendas. Ordinati in sacris annulum episcopi, cui gratias agunt, deosculantur et recedunt in pace.

Episcopus de more sacras dimittit vestes, legit gratiarum actionem, et discedit, ordine quo venit.

PARS II — AD FALDISTORIUM

CAPUT I

PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

155 PRAENOTANDA ut pro functione ad thronum, n. *143,* sed pro elevatione Sacramenti aderunt clerici duo vel quatuor tantum.

REGULAE GENERALES ut in tit. III, n. *118* et tit. IV, n. *144.*

PRAEPARANDA ut in tit. III, nn. *119-120-121 ;* omittuntur tamen res necessariae pro clericis initiandis et ordinibus minoribus conferendis, nisi eo die adsint clerici initiandi vel promovendi ad ordines minores.

In dominica 3.ª Adventus vel 4.ª Quadragesimae, et in 4.ª. Adventus si sit vigilia Nativitatis Domini, sacri ministri utuntur tunica et dalmatica, sicut in dominicis et festis per annum; in aliis dominicis Adventus et Quadragesimae utuntur planetis plicatis.

Mitra pretiosa praeparabitur, nisi color diei sit violaceus.

CAPUT II

RITUS SERVANDUS

156 ART. I — PRAEPARATIO ET INITIUM MISSAE

Omnia ut in tit. III, n. *122.*

Post *Kyrie,* episcopus intonat *Gloria,* exceptis dominicis Adventus et Quadragesimae, et, dicto *Pax vobis* vel *Dominus vobiscum,* cantat collectas diei cum alia pro ordinandis.

157 ART. II — ORDINATIO SUBDIACONORUM

Cantatis collectis, episcopus ad altare accedit cum presbytero assistente et sacris ministris. Ad ordinationem proceditur ut in tit. II, *108,* cum modificationibus tit. IV, n. *149.*

Finita ordinatione subdiaconorum, episcopus, cum suis ministris et assistente, ad faldistorium missae redit, ubi cantatur epistola, quae interim legitur ab episcopo ut in tit. III, n. *134,* 3.

158 ART. III — ORDINATIO DIACONORUM

Finita epistola, ad ordinationem diaconorum proceditur, ut in tit. II, n. *110* cum modificationibus tit. IV, n. *150,* et, ea finita, episcopus ad faldistorium missae legit quae legenda sunt ut in tit. III, n. *136.*

159 ART. IV — ORDINATIO PRESBYTERORUM

Omnia fiunt ut in tit. II, n. *112,* et in tit. III, n. *137.* Si unus tantum ordinandus sit, vide nn. *151* et *153.*

CETERA OMNIA fiunt ut in tit. III, nn. *138-142.*

❱ Si subdiaconi et diaconi non fuerunt ordinati, subdiaconus ministrans, post cantum epistolae, accepta benedictione, stans sustinebit missale ante pontificem pro lectione epistolae cum aliis quae sequuntur usque ad ordinationem presbyterorum. CE II, 8, 41. D 4019, I.

TITULUS V

DE ORDINIBUS CONFERENDIS PRIVATIM SEU SINE CANTU

PARS I

DE ORDINIBUS MAIORIBUS CONFERENDIS INTRA MISSAM LECTAM PONTIFICALEM UNI VEL PLURIBUS

CAPUT I

PRAENOTANDA

160 1 — MISSA LECTA PONTIFICALIS. Licet vestes pontificales in missa solemni supponant solemnitatem rituum, ministrorum et cantus, tamen cum, ex una parte, episcopus nequit ordines sacros conferre sine vestibus pontificalibus, et, ex alia, non potest semper missam solemni ritu celebrare cum ordinationes maiores facere debeat, introducta fuit in liturgia missa quae dicitur *pontificalis lecta;* res quidem nova et miranda in Ritu Romano, cum sit missa pontificalis quoad vestes episcopi tantum, et privata quoad cetera, in aureo tempore liturgiae ignota, sed hodie in usu recepta.

Licet PR supponat semper agi de missa solemni quando ordines maiores conferuntur, tamen tres regulas dat pro ordinatione intra missam lectam, quae privatim fieri supponit.

Optandum ut magis in dies ad ordinationes solemnes cum cantu iterum deveniamur, et, excepta causa gravi, puta infirmitate pontificis vel defectu ministrorum, ordinatio lecta fiat tantum quando agatur de ordinatione privata facienda. Vide n. *259*.

2 — TEMPUS ORDINATIONIS. Consule tit. I, n. *69*.

3 — LOCUS ORDINATIONIS. Episcopus ordines maiores privatim conferre potest in quocumque oratorio, etiam semipublico; proinde etiam in suo oratorio personali, dummodo adsit locus sufficiens. Consule tit. I, n. *70*.

4 — CLERUS MINISTRANS ET ASSISTENS. Si episcopus ordinationem privatam habeat in sua cathedrali, ei inserviunt canonici tres (D 1099); quod servabitur, quantum fieri poterit, in aliis ecclesiis civitatis episcopalis.

Si ordinatio fiat in oratorio privato episcopi inserviunt capellani ejus.

Si ordinatio privata fiat in ecclesia cathedrali, vel principali loci, solemnis et generalis ad instar, episcopus praecipere potest ut capitulum vel clerus loci ordinationi intersit.

5 — ORDO MISSAE habes in titulo I, n. *78*.

CAPUT II

CLERUS ORDINATIONIS ET REGULAE SERVANDAE

161 ADERUNT:

Episcopus celebrans.
Capellani assistentes duo.
Archidiaconus.
Caeremoniarum magistri duo.

Ministri insignium quatuor:
pro mitra, baculo, libro et candela.

Ministri ad abacum tres:
unus pro gremiali, et duo acolythi.

Familiares episcopi tres:

Secretarius, qui erit etiam notarius.
Caudatarius, si cauda explicetur.
Cubicularius.

Pro elevatione Sacramenti:
Clerici duo pro funalibus.

162 REGULAE SERVANDAE

1 — EPISCOPUS. Quoad mitram et baculum servabit regulas traditas pro ordinatione solemni, n. *81*, 1, 2, demptis quae ad missam solemnem pertinent; mitra pretiosa non est necessaria sed auriphrygiata tantum.

Caudam habitus talaris explicare potest, sed consulto eam non expedit.

Clara voce sine cantu recitabit orationes omnes ac invocationes et benedictiones, ac cetera omnia quae in ordinationibus dicere debet.

Quoad positionem manuum et modum se vertendi servabit quae dicta sunt pro ordinatione solemni, n. *81*, 6, 7.

Non genuflectit cum dicit *Flectamus genua*.

2 — ARCHIDIACONUS, vel qui ejus supplet vices, servabit regulas pro ordinatione solemni traditas, n. *82*. Tempore missae, et dum fiunt ordinationes, nisi officio suo ad altare vacetur, locum sumit in primo loco chori a latere evangelii, vel si non aderit chorus, sedebit ad scabellum a latere evangelii, sed extra altare.

Deficiente archidiacono, unus e dignioribus cleri ejus supplebit vices. Si ordinatio fiat privatim, capellanus assistens 1*us* fungatur munere archidiaconi.

3 — CAPELLANI ASSISTENTES DUO tempore missae inserviunt juxta regulas missae lectae: cum episcopus missam legit in medio altari, inde ab offertorio, 1us assistit ad missale a sinistris, et 2us stat a dextris et ministrat oblationibus. Reliquo tempore 1us stat a dextris et 2us a sinistris.

Tempore ordinationum agunt sicut sacri ministri, quorum locum tenent; nunquam sedent nec caput cooperiunt.

1us mitram et gremiale ponit et aufert (95); 2us tradit et accipit baculum, nisi aderit minister de baculo.

Tum capellani, tum archidiaconus, vel qui ejus vices supplet, induere debent superpelliceum, etiamsi sint canonici in sua dioecesi vel praelati. Usus cappae, mozetae, vel manteleti ad ministerium altaris, est abusus eliminandus; semper tamen licet superpelliceum super rochetum assumere, ab iis qui jure eo gaudent. DD 3203; 3700, II.

4 — CAEREMONIARII servabunt ea quae sub n. *85* tradidimus, sed sufficiunt duo.

5 — MINISTRI INSIGNIUM ET ABACI servabunt regulas pro ordinatione solemni traditas, iis exceptis quae ad missam solemnem pertinent, nn. *86, 87*.

Minister de mitra se sistit a dextris 1mi capellani toties quoties episcopus sumere vel deponere debeat mitram.

Ministri de mitra et baculo tempore missae se sistunt ut ad introitum.

Minister de gremiale stabit a sinistris 2di capellani, toties quoties episcopus accipere vel deponere debeat gremiale.

Minister de candela, tempore missae ad altare, candelam prope missale deponit vel tradit 1.° capellano, et ad abacum se sistit prope ministrum de libro.

Ministri de abaco seu acolythi stabunt semper hinc inde juxta abacum.

6 — NOTARIUS servabit regulas pro ordinatione solemni traditas. nn. *88, 89*.

7 — ORDINANDI servabunt regulas pro ordinatione solemni traditas, n. *90*.

8 — CHORUS, si aderit, tempore ordinationis servabit regulas traditas pro ordinatione solemni, n. *91*, tempore missae vero, regulas missae solemnis ut sequitur (96) :

Nixus adstabit genibus : pro orationibus ad pedem altaris (exceptis canonicis in sua dioecesi et praelatis), a *Sanctus* ad peractam consecrationem, et pro benedictione finali. Sedere poterit dum episcopus legit epistolam et quae sequuntur ; et ab offertorio usque ad initium praefationis. Reliquo tempore stabit, sicut quando episcopus manus lavat, nisi tunc genuflectat.

Chorus recitat partes missae, quae in missa solemni solent recitari.

› Si ordinatio fiat in sabbatis quatuor temporum, chorus sedere poterit dum episcopus legit lectiones, sed consulto stabit, ne toties ad momentum sedere teneatur ; genua flectit ad *Flectamus genua,* ad orationes missae, ad postcommunionem, et a *Sanctus* usque ad *Pax Domini* inclusive ; quae quidem regula servabitur si ordinatio fit in sabbato *Sitientes.* In sabbato Pentecostes chorus non genuflectit ad orationes, et post consecrationem surgit.

9 — PULSATOR ORGANI organum sonare tantum potest ad introitum vel exitum episcopi et ordinandorum, vel tempore praeparationis et vestitionis episcopi, si tempus liturgicum sinit.

CAPUT III

DE PRAEPARANDIS

COLOR :

Extra tempora : missae diei.
In sabbatis ordinum : violaceus.
In sabbato Pentecostes : rubeus.

163 ART. I — IN SACRARIO

PRO SUBDIACONIS ORDINANDIS :

Amictus ; albae ; cingula ; tunicae ; manipuli.

PRO DIACONIS ORDINANDIS :

Amictus ; albae ; cingula ; dalmaticae ; stolae diaconales ; manipuli.

PRO PRESBYTERIS ORDINANDIS :

Amictus ; albae ; cingula ; casulae, plicatae in parte posteriori ; stolae ; manipuli ; mappulae lineae ad manus alligandas, super longitudinem plicatas.

PRO OMNIBUS ORDINANDIS :

Candelae semilibrae.

PRO INSERVIENTIBUS VEL ASSISTENTIBUS :

Superpellicea.

PRO ELEVATIONE SACRAMENTI :

Funalia duo.

PRO RECEPTIONE EPISCOPI :

Vasculum aquae lustralis cum hyssopo.

Crux hastata, si celebrat metropolita.

164 ART. II — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI

Si Sacramentum solet conservari ad altare ubi facienda est ordinatio, etiam pro ordinatione lecta removendum erit ad aliud altare, ubi paratum aderit genuflexorium cum tapeto et duobus pulvinaribus, juxta dignitatem celebrantis, et candelae accensae, si episcopus ante et post ordinationem ad illud accedat.

165 ART. III — IN PRESBYTERIO

AD ALTARE :

Aderunt candelabra septem cum cereis, si functio sit publice facienda a loci ordinario ; sex tantum si ab episcopo extraneo vel titulari. Si ordinatio fiat in oratorio privato episcopi, sufficiunt quatuor (D 2682, VIII); albae tobaleae tres ; pallium sericum. Sternentur tapeta super gradus altaris et in presbyterio, propter prostrationem ordinandorum.

SUPER ALTARI PRO EPISCOPO :

Planeta ; chirothecae in lance ; dalmatica et tunica ; stola ; alba cum cingulo ; amictus ; quae omnia gremiali cooperiuntur. A latere evangelii mitra simplex si color diei sit violaceus ; secus ponetur a latere epistolae, et a latere evangelii mitra pretiosa.

A latere epistolae altaris aderit baculus pastoralis.

Si celebrat metropolita :

Sacrum Pallium in lance a latere evangelii, velo coopertum, spinulae aureae tres in altera lance ;

Basis pro cruce a latere evangelii.

In plano a latere epistolae :

Faldistorium, sua veste coopertum ; pulvinar ejus tamen ponitur super ultimum gradum altaris pro oratione pontificis.

Super abaco missae, a latere epistolae alba tobalea contecto :

Candelabra duo cum cereis pro acolythis.

Calix et patena, cum hostia, purificatorio et palla, coopertus velo suo, desuper bursa cum corporali.

Pyxis cum hostiis pro ordinandis, tot quot erunt communicandi.

Tobalea alba oblonga sustinenda hinc inde ante clericos tempore communionis.

Lanx ante communicandos tenenda.
Ampullae vini et aquae in pelvicula.
Urceus cum pelvi.
Manutergia in lance.
Campanula.
Caligae et sandalia in lance, velo cooperta.
Missale cum legili.
Canon pontificalis et scotula.
Epistolae et evangelia cum manipulo episcopi.
Tabella indulgentiarum, si erunt concedendae.
Vela serica duo pro ministris de mitra et baculo.

Super abaco ordinationis, a latere etiam epistolae, prope alium, alba tobalea contecto :

Ad usum episcopi :

Ritus ordinationis in folio, in plurali vel singulari, prout opus erit.
Oleum catechumenorum in lance.
Citreum et medulla panis in lance et gossipium.
Gremiale linteum.

PRO NOTARIO :

Elenchus ordinandorum, juxta ordinem praecedentiae et cum titulo sustentationis subdiaconorum, curiae instrumento confectus.

PRO PRESBYTERIS MANUS IMPOSITURIS :

Stolae, tot quot erunt sacerdotes manus impositur.

PRO SUBDIACONIS ORDINANDIS :

Calix cum patena, sine elementis.
Ampullae cum vino et aqua ac manutergium in lance.

PRO PRESBYTERIS ORDINANDIS :

Calix cum vino, aqua mixto, et patena cum hostia.

Super mensa alia, extra ambitum oculorum :

Pelves cum aqua, citrea et manutergia, ad usum presbyterorum post unctionem manuum.

Canistrum ad recipiendas candelas.

PRO ORDINANDIS IN CHORO:

Scamna oblonga.

PRO NEO-PRESBYTERIS post offertorium:

Scamna oblonga, vel scabella, seu genuflexoria lignea simplicia, cum missalibus, signaculis positis foliis legendis, tot quot erunt ordinandi.

PRO PROSTRATIONE ORDINANDORUM:

Pulvinaria lanea, violacei vel viridis coloris, tot quot ordinandi, si solent adhiberi, non tamen praelatitia.

❯ Si pauci sint ordinandi, hostiae pro ipsis super patenam praeparari possunt.

❯ Si episcopus sit loci ordinarius, seu praelatus usu throni gaudens, et ordinatio fiat cum solemnitate, parari poterit thronus a latere evangelii cum vestibus coloris missae, in quo episcopus facit praeparationem, sacras induit vestes, et in fine eas dimittit et gratiarum actionem legit, dummodo tamen indutus sit cappa pontificali. In hoc casu, faldistorium cum cussino ponitur in medio presbyterio pro oratione pontificis in initio et in fine functionis. Ad thronum non apponuntur scabella.

❯ Si praeter ordinandos in sacris, aderint clerici initiandi, vel ordinandi in minoribus, pro ipsis praeparantur quae necessaria sunt, sicut in parte 2.ª huius tituli n. *178*, adnotavimus.

❯ Modus vestiendi ordinandos traditur in titulo I, n. *96*.

CAPUT IV

RITUS SERVANDUS

166 ART. I — PRAEPARATIO ET INITIUM MISSAE

Adventus episcopi

1 — Si episcopus sit loci ordinarius, vel praelatus superioris gradus, et utatur cappa pontificali, recipietur ad januam ecclesiae a clero qui ordinationi intervenire debet, et a digniori accipit aspersorium. Postquam se signavit, episcopus aspergit clerum, et ad altare ssmi. Sacramenti procedit, deinde ad altare majus accedit.

❯ Si celebrans sit metropolita, aderit crucifer cum cruce.

❯ Si ordinatio privata fit ab episcopo extraneo vel titulari, recipitur a rectore ecclesiae et a caeremoniario 1.°, et seipsum tantum aspergit; vitabit tamen introitum per januam principalem, et ad altare ordinationis accedet. Qui modus servabitur a loci ordinario, si ordinatio sine solemnitate celebranda est.

❯ Si ordinatio celebretur ad altare chorale, episcopus in sabbatis ordinum accedit finita hora nona, et in dominicis et festis de praecepto, finita hora tertia.

Episcopus, facta reverentia cruci, flexis genibus in ultimo gradu altaris, aliquantulum orat, deinde, iterata reverentia, sedet in faldistorium a latere epistolae et caput bireto cooperit.

Capellani assistentes, cum debitis reverentiis cruci et episcopo, se sistunt, 1us a dextris et 2us a sinistris faldistorii.

Ministri et inservientes locum sumunt ad abacum, et sedet chorus si aderit.

❯ Si episcopus sacras vestes ad thronum induat, cum ante altare pervenit, flectit genua ad faldistorium et orat aliquantulum, dum omnes ad loca sua adeunt. Surgit deinde episcopus, et, facta reverentia cruci, ad thronum solus accedit, sedet et caput bireto cooperit. Capellani ad thronum se sistunt, et, facta reverentia, ascendunt, 1us a dextris et 2us a sinistris.

❯ Si celebrans sit metropolita, crucifer crucem locat in sua basi versus latus evangelii, ubi remanebit toto tempore missae et ordinationum, una benedictioni finali excepta. Cum episcopus accipit vestes sacras, crucifer, deposita cappa vel *crocea*, induit superpelliceum.

Praeparatio

2 — Se sistunt ante episcopum: ministri de libro et scotula (scotula a sinistris), acolythus 1us cum caligis et sandaliis in lance, et cubicularius episcopi, sed duo ultimi versus dexteram ejus.

Episcopus solus legit submissa voce psalmos praeparatorios ad missam, dum cubicularius ei imponit caligas et sandalia, primo in pede dextero, deinde in sinistro, quapropter transit ad sinistram cum acolytho et ministro de scotula ad dexteram. Calceatis pedibus episcopi, recedit cubicularius cum calceis usualibus subter cappam et acolythus cum lance.

Episcopus, repetita antiphona, assurgit cum bireto in manu et recitat *Kyrie, eleison*, versiculos et preces; iterum sedet et accipit biretum, ac

legit orationes vestitionis; quibus dictis, recedunt ministri de libro et scotula.

Cum episcopus induit caligas et sandalia, caeremoniarius 2us vestes ejus distribuit ministris insignium et abaci, exceptis illis qui lotioni manuum inservire debent.

Lotio manuum episcopi

3 — Episcopus biretum deponit, et 1.° capellano tradit, deinde caeremoniarius 1us exuit eum cruce et vestibus choralibus. Familiares, vel deficientibus ipsis, acolythi, cum urceo et pelvi ac manutergio in lance, accedunt ad episcopum, pro lotione manuum. Capellanus 1us extrahit annulum episcopi, et caeremoniario tradit, in lance super abacum reponendum.

Episcopus, accepto bireto, sueto more lavat manus, 1mo. capellano mantile ministrante, eaque finita, recedunt ministri lotionis.

Vestitio episcopi

4 — Episcopus caput nudat bireto et 1mo capellano tradit, cum vestibus choralibus reponendum.

Clerici cum sacris vestibus ante episcopum se sistunt cum debitis reverentiis. Capellanus 1us, adjuvante 2.°, vestit episcopum de more usque ad mitram inclusive; ultimo, capellanus 1us imponit digito ejus annulum pontificalem cum suetis osculis.

❱ Si celebrans sit metropolita, vel usu pallii gaudeat, portabitur ante eum ab acolytho vel a caeremoniario 2.°, concomitante ministro de gremiali cum tribus spinulis in lance. Capellanus 1us induet episcopum pallio antequam ei imponat mitram, adjuvante 2.° capellano, hoc modo:

Sacrum Pallium episcopo offert osculandum in cruce posteriori,... deinde capit partem duplicem dextera manu, simplicem sinistra, et dum illud imponit, 2us capellanus manu dextera elevat partem posteriorem; statim fingit 1am spinulam in parte anteriore; 2am in parte dupla sinistri humeri; deinde capellanus 2us infigit spinulam 3am in cruce posteriore. CE II, 8, n. 20.

Introitus ordinandorum

5 — Ordinandi bini, incipientes a dignioribus, et praeeunte caeremoniario suo, cum candelis accensis in manu dextra, et vestibus ordinis recipiendi super brachium sinistrum, ad presbyterium accedunt.

Post genuflexionem ad crucem et debitam reverentiam episcopo et choro (si aderit, et si celebrans non sit loci ordinarius vel praelatus ei

superior) ordinandi ad loca sua se sistunt, et cum omnes ad ea pervenerint, genua flectunt, et candelas suas exstinguunt, sed sinistra retinent.

❱ Circa finem introitus ordinandorum caeremoniarius 2us, vel minister de libro, locat canonem pontificalem apertum in medio altari et missale cum legili a cornu epistolae, prope ipsum ponitur scotula, et minister de mitra assumit simplicem si episcopus habeat pretiosam.

Accessus episcopi ad altare

6 — Cum ordinandi ad loca sua pervenerint, episcopus, accepto baculo, surgit, et, medius inter suos capellanos, sequentibus ministris de mitra a dextris et de baculo a sinistris, ad altare accedit, clerum benedicens dum transit per eum, ad quam benedictionem genuflectit clerus et ordinandi, si celebrans sit loci ordinarius, vel praelatus ei superior.

Initium missae.

7 — Ante gradus altaris episcopus reddit baculum 2.° capellano, qui eum tradit ministro, et a 1.° capellano exuitur mitra; deinde facit cruci profundam inclinationem, dum capellani genuflectunt cum ministris de mitra et baculo post ipsos.

❱ Si capellani sint canonici in sua dioecesi vel praelati, hic et per totam functionem, reverentiam profundam faciunt cruci et episcopo loco genuflexionis.

Ministri de mitra et baculo, mitra a dextris, baculus a sinistris, se sistunt retro post gradus altaris, caudatarius si aderit recedit, ceteri ministri remanent ad abacum. Chorus et omnes suis locis genua flectunt.

❱ Si episcopus utatur mitra pretiosa, minister eam ad abacum portat et secum servat auriphrygiatam.

Episcopus statim incipit missam cum suis capellanis retro post ipsum genuflexis.

Caeremoniarius 1us genua flectit a latere epistolae et caeremoniarius 2us, cum evangelistario et manipulo episcopi, a latere evangelii. Diagramma X.

❱ Capellani flexis genibus respondent *etiamsi* sint canonici in sua dioecesi vel praelati, cum missa sit lecta. D 3804, I.

Ante *Indulgentiam*, caeremoniarius 2us tradit manipulum episcopi capellano 2.°, qui, dicto *Indulgentiam* ab episcopo, assurgit et illum brachio sinistro ejus aptat, ac iterum genuflectit ubi prius.

Dicto *Oremus*, assurgunt omnes, et episcopus, medius inter suos capellanos et caeremoniarios, ad altare ascendit, quod in medio osculatur;

deinde osculatur initium evangelii diei, in libro a 2.° capellano porrecto. Osculato libro, caeremoniarius 2us illum ad abacum ordinationis reportat (97).

Introitus et cetera.

8 — Episcopus ad latus epistolae legit introitum, deinde in medio altari dicit *Kyrie*, et iterum ad latus epistolae dicit cetera de missa, usque ad 5am lectionem inclusive in sabbatis quatuor temporum; extra sabbata quatuor temporum, episcopus legit missam usque ad collectas inclusive, et orationi missae diei adjungit orationem pro ordinandis sub unica conclusione.

Post *Kyrie*, vel post *Gloria* si dictum fuit, canon ab altari amovebitur.

❯ Capellanus 1us dicit *Flectamus genua* et capellanus 2us *Levate* toties quoties occurrit, et omnes genuflectunt, excepto episcopo, et ministris de libro et scotula si actu inserviunt.

❯ Si aderint clerici initiandi, vel promovendi ad ordines minores, ordinentur temporibus suis, ut in parte 2.ª huius tituli habetur, n. *184*.

167 ART. II — ORDINATIO SUBDIACONORUM

Dum episcopus legit 5am lectionem vel dicit collectas, acolythi duo faldistorium in medio suppedaneo ponunt et recedunt.

Episcopus, finita lectione vel collectis, sedet ad faldistorium, eique imponitur mitra simplex et gremiale a capellano assistente 1.°.

❯ Laudabiliter missale cum legili tempore ordinationum ab altari amovebitur, et, istis finitis, reponetur.

Archidiaconus, vel qui ejus vices gerit, a caeremoniario 2.° vocatus, locum sumit in suppedaneo a dextris 1mi assistentis.

Ad ordinationem proceditur ut in titulo II, n. *108*.

Sed observa:

Episcopus clara voce legit quae in functione solemni cantare debet.

Pontificale ponitur super faldistorium et litaniae recitantur sine cantu (98) a duobus capellanis assistentibus flexis genibus a lateribus episcopi, vel ab ipso episcopo si maluerit, omnibus simul respondentibus; vel consultius recitantur a duobus clericis retro post ordinandos vel a latere epistolae ut pro ordinatione solemni dictum est (99). Post *Ut omnibus fidelibus defunctis*, episcopus surgit cum suis assistentibus, minister de libro accipit pontificale, et, cum ministro de scotula, se sistunt ante eum; pontifex recitat eodem tono sine cantu ipse solus benedictiones tres e pontificali; quibus dictis, iterum genuflectit cum suis capellanis, et recedunt ministri de libro et scotula; pontificale iterum super faldistorium ponitur.

❯ Ad litanias, si ab episcopo recitentur, capellanus 1us candelam sustinebit, si vero ab aliis recitentur, minister eam super abacum reponit.

❯ Admonitio initialis omitti nequit, etiamsi ordinatio fiat privatim et unius tantum (D 3006, IV.) et dicitur plurali semper numero. Diagramma XI.

168 ART. III — CONTINUATIO MISSAE

Recedentibus subdiaconis, episcopus, deposita mitra, assurgit et se sistit cum suis capellanis ad missale, et acolythi faldistorium amovent.

In sabbatis quatuor temporum episcopus legit canticum Danielis, deinde, dicto *Dominus vobiscum* de more, recitat orationes diei, cum illa pro ordinandis sub unica conclusione, et legit epistolam. In sabbato Pentecostes episcopus legit 5um *Alleluia* cum suo versu, et, dicto *Gloria* in medio altari et *Pax vobis* ut moris est, recitat orationes ut supra, ac demum legit epistolam.

Extra sabbata quatuor temporum, episcopus legit tantum epistolam, nec opus erit faldistorium amovere.

❯ Dum episcopus legit epistolam, novi subdiaconi eam laudabiliter legant secrete e suis missalibus manualibus suis locis; abstineant tamen a lectione alta voce solemnis ad instar cum missa sit lecta (100).

169 ART. IV — ORDINATIO DIACONORUM

Lecta epistola, episcopus sedet ad faldistorium, iterum ab acolythis in medio suppedanei positum, si amotum fuerit. Capellanus assistens 1*us* ei imponit mitram, et gremiale.

Ad ordinationem proceditur ut in tit. II, n. *110*.

Praefatio legitur altiore voce ab episcopo sine cantu, et orationes dicuntur clara voce sine cantu.

❯ Si unus tantum ordinetur, omnia fiunt in singulari, et, finita vestitione, immediate ei traditur liber evangeliorum.

170 ART. V — CONTINUATIO MISSAE

Recedentibus diaconis, episcopus, deposita mitra, se sistit ad missale ubi, in sabbatis quatuor temporum legit tractum, in sabbato *Sitientes* graduale, sed usque ad ultimum versum exclusive, in sabbato Pentecostes totum tractum et sequentiam, sed usque ad ultimam stropham exclusive.

In dominicis et festis per annum episcopus legit *Alleluia*, tractum vel graduale, sed usque ad ultimum versum exclusive.

171 ART. VI — ORDINATIO PRESBYTERORUM

Episcopus, lectis quae legenda sunt ut in numero praecedenti, sedet in faldistorio et acipit mitram et gremiale. Caeremoniarius 2us archidiaconum ad suppedaneum vocat.

Ad ordinationem proceditur ut in titulo II, n. *112*, sed observa :

Licebit canonicis et mansionariis in choro, si aderint, stolam super cappam vel mozetam assumere. D 3059, XXIII. Primo loco manus imponit archidiaconus, vel qui ejus supplet vices; deinde canonici et praelati in choro si aderint, non tamen qui sint charactere episcopali insigniti; ultimo sacerdotes praesentes. Capellani assistentes et caeremoniarii manus ne imponant, cum unice intenti esse debent muneri suo.

❯ Si ordinatio fiat omnino privatim, saltem tres sacerdotes manus imponere debent, et, deficientibus aliis, id faciant capellani.

Episcopus legit praefationem altiore quadam voce sine cantu, et clara voce sine cantu dicit omnes orationes.

Episcopus, flexis genibus et sine pileolo, recitat primum versum hymni *Veni, Creator,* et, iterum accepto pileolo, assurgit, sedet in faldistorio et accipit mitram. Proceditur de more ad unctionem manuum presbyterorum.

Dum fit unctio, clerici, cantorum ad instar, recitabunt hymnum. Licebit versus repetere, excepto primo, et doxologia dicetur ad finem unctionis tantum. Vide notam 98.

❯ Si unus tantum ordinandus est, omnia fiunt in singulari, et, finita unctione manuum, statim proceditur ad traditionem calicis et patenae ordine superius tradito, n. *151*.

172 ART. VII — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

Continuatio missae

1 — Episcopus, lotis manibus et acceptis iterum chirothecis et annulo, mitram deponit et se sistit ad missale dum acolythi faldistorium amovent, canon iterum ponitur in medio altari.

Episcopus legit ultimum versum gradualis, tractus, *Alleluia*, vel ultimam stropham sequentiae, deinde in medio altari dicit *Munda cor meum* et procedit ad lectionem evangelii ipse solus.

❯ Neo-diaconi laudabiliter legent evangelium secrete in suis locis, sed abstineant a lectione elata voce.

Dicitur *Credo* ab episcopo solo, si dicendum sit.

Episcopus de more, dicto *Dominus vobiscum* et *Oremus,* legit offertorium.

Praesentatio candelarum

2 — Lecto offertorio, episcopus ad latus evangelii recedit dum ab acolythis faldistorium locatur in medio suppedaneo.

Episcopus sedet in faldistorio et accipit mitram et gremiale linteum.

Caeremoniarius ordinandorum, adjuvantibus clericis de abaco, candelas ardentes ordinatis tradit, qui, incipientes a presbyteris, ante altare singulariter accedunt.

Acolythi duo se sistunt a dextris 1mi assistentis, 2us secum ferens canistrum.

1mus presbyter, facta genuflexione in planum, ad suppedaneum ascendit, et, flexis genibus, candelam suam episcopo offert, cum osculo manus ejus tantum.

Episcopus, accepta candela, eam 1mo capellano tradit, qui rursus eam tradit 1mo acolytho, qui eam exstinguit et in canistrum reponit. Diagramma XII.

Ordinatus 1us surgit, se vertit ad dexteram suam, descendit in planum, et, iterata genuflexione cum illo qui 3.º loco venit, ad locum suum redit. 2us genuflectit et ascendit cum 1us assurgit, et ita usque ad ultimum.

❯ Si numerus ordinandorum sit magnus, offertorium candelarum fieri poterit tantum a 1mo ordinato uniuscujusque ordinis, nomine omnium sui ordinis. D 2883, III.

Post traditionem candelarum, neo-presbyteri se sistunt ad scamna seu scabella parata in medio presbyterii pro concelebratione missae. Sa-

cerdotes qui eis inservire debent, superpelliceis induti locum sumunt a sinistris eorum, vel in medio si unus inservit duobus.

3.ª lotio manuum Episcopi

3 — Expleta oblatione candelarum, minister de gremiali cum lance, facta in planum genuflexione, flectit genua in ora suppedanei, et capellanus 1us aufert annulum et chirothecam dexterae manus cum osculis, dum 2us eodem modo aufert chirothecam sinistrae manus. Recedit minister cum chirothecis et accedunt familiares seu acolythi pro lotione manuum. Episcopus lavat manus, capellano 1.° mantile ministrante, qui deinde ei reponit annulum cum osculis, et recedunt ministri lotionis; capellanus 1us, adjuvante 2.°, amovet gremiale linteum et tollit mitram.

173 ART. VIII — CONCELEBRATIO MISSAE

Regulae pro episcopo

1 — Assurgit episcopus et recedit ad latus epistolae, dum ab acolythis amovetur faldistorium. Episcopus, versus ad altare, prosequitur missam more consueto, ministrantibus suis capellanis. Advertat tamen ut partes quae secrete dicuntur, dicat aliquantulum altius et morose, ita ut neopresbyteri possint cum eo una simul eas proferre, praesertim verba consecrationis.

Regulae pro neo-presbyteris

2 — Presbyteri concelabrationem missae cum pontifice incipiunt a *Suscipe, sancte Pater* et prosequuntur flexis genibus usque ad ultimum evangelium exclusive ad quod assurgunt; et, una cum episcopo, se signant et pectus percutiunt; abstinent tamen ab inclinationibus et benedictionibus aquae et oblatarum, manus junctas ante pectus semper habentes.

Funalia

3 — Aderunt clerici duo cum funalibus a *Sanctus* usque dum ordinati communionem sumpserint, toto tempore flexis genibus permanentes. Si deficiant clerici, accendi poterunt funalia duo super candelabris. CE I, 29, 7. Diagramma XIII.

Pax

4 — Cum episcopus dicit primam orationem communionis, neo-presbyteri assurgunt, et caeremoniarius ordinatorum invitat 1um presbyterum, 1um diaconum et 1um subdiaconum ad altare, qui unus post alium, facta in infimo altaris gradu genuflexione, ad dexteram pontificis ascendunt. Presbyter una cum episcopo osculatur altare, manibus super ipsum positis, quia concelebrat; et, facta profunda capitis inclinatione episcopo, ab eo pacem accipit; et, iterata reverentia episcopo, genuflectit ad Sacramentum, et ad locum suum redit.

1us diaconus et 1us subdiaconus similiter pacem accipiunt, sed habent manus junctas ante pectus dum osculantur altare. 1us presbyter ad locum suum reversus, pacem dat 2.° presbytero et hic 3.°, et sic usque ad ultimum. Similiter 1us diaconus pacem dat 2.° diacono, et 1us subdiaconus, 2.° subdiacono, et ita usque ad ultimos.

Episcopus exspectat quousque presbyteri, accepta pace, iterum genuflectant, ut cum eis recitet 2am et 3am orationem communionis.

174 ART. IX — COMMUNIO ORDINATORUM

Communio presbyterorum.

1 — Cum episcopus dicit *Domine, non sum dignus,* acolythi, accepta mappa, et facta in medio ante altare genuflexione, se sistunt hinc inde in superiore gradu, facie ad faciem versa, mappam extensam tenentes.

Sumpto pretioso sanguine ab episcopo, capellanus 2us a dextris calicem palla cooperit. Neo-presbyteri surgunt, et, bini vel quaterni, ad oram suppedanei ascendunt, et flectunt genua.

Capellanus 2us, sine stola, pyxidem discooperit, et episcopus cum suis capellanis genuflectit; capellanus 1us accipit lancem et episcopus pyxidem et se vertunt ad neo-presbyteros. Episcopus statim presbyteris Eucharistiam tradit, *nihil dicens,* sed tantum signum crucis faciens cum hostia. DD 2089, IV; 3721 (101). Neo-presbyteri osculantur annulum episcopi ante communionem.

Presbyteri, bini vel quaterni, recepta communione, assurgunt, se vertunt, qui a dextris ad dexteram, qui a sinistris ad sinistram, in planum descendunt, et ad loca sua se conferunt.

❫ Dum communicant presbyteri, caeremoniarius ordinatorum diaconos et subdiaconos in lineis duabus disponit, vel quaternis si sint numerosi, retro post neo-presbyteros.

Finita communione presbyterorum, episcopus cum suis capellanis ad altare se vertit, pyxidem super ipsum ponit, capellanus 1*us* patenam, et simul genuflectunt.

Communio ceterorum. 2 — Sine iteratione genuflexionis, episcopus cum suis capellanis aliquantulum versus ordinatos se vertit.

Diaconi et subdiaconi genua flectunt in plano ante gradus altaris, et omnes une voce recitant *Confiteor.*

Finita recitatione, episcopus dicit *Misereatur* et *Indulgentiam,* dextera illos absolvens, in plurali semper numero, etiamsi unus tantum fuerit ordinatus (Rub. appendicis et RR).

Episcopus se vertit cum suis capellanis ad altare, et, facta genuflexione, accipit Sacramentum, se vertit ad ordinatos, et dicit *Ecce Agnus Dei* et cetera de more; deinde diaconis et subdiaconis Sacramentum dat, capellano 1mo a dextris lancem sustinente, ne cadant fragmenta. Episcopus, dum singulis facit signum crucis cum hostia, dicit *Corpus Domini Nostri Jesu Christi custodiat te in vitam aeternam,* et sua quisque vice respondet *Amen,* et osculatur manum episcopi.

Ordinati, recepta sacra communione, assurgunt prout ascenderunt, et ad loca sua se conferunt, servato ordine tradito pro neo-presbyteris.

Cum omnes communicaverint, episcopus se vertit ad altare cum suis capellanis et pyxidem super illud reponit, et capellanus 1*us* a sinistris ejus deponit patenam.

Acolythi cum mappula, facta in plano genuflexione, ad abacum redeunt; et clerici cum funalibus, facta genuflexione, ad sacrarium se conferunt, vel exstinguuntur cerei maiores si accensi fuerint.

Ablutiones et 5.ª lotio manuum episcopi 3 — Episcopus de more sumit ablutiones, capellano 2.° a dextris ministrante, et purificat etiam pyxidem.

Capellanus 1us legile cum canone ad latus epistolae portat, et 2us pergit ad latus evangelii; librigеr vel caeremoniarius 2us locat pontificale super legili et canonem ad abacum portat.

Episcopus, accepta mitra, lavat manus, capellano 1mo mantile ministrante. Interim capellanus 2us abstergit calicem et pyxidem, et calicem, suo velo coopertum cum corporali in bursa, ad abacum portat.

❯ Si nulli fuerunt ordinati presbyteri, statim transitur ad art. XI huius capituli, et missale loco pontificalis ponitur super legili.

175 ART. X — RITUS AD ORDINATIONEM PRESBYTERORUM COMPLENDAM

Responsorium 1 — Episcopus, lotis manibus, deponit mitram et se vertit ad legile cum suis capellanis hinc inde.

Assurgunt neo-presbyteri et chorus, et episcopus a suis capellanis comitatus legit clara voce responsorium *Jam non dicam vos servos;* ad *Gloria Patri* omnes caput versus crucem inclinant, et post Septuagesimam omittitur *Alleluia.*

Dum legitur responsorium acolythi faldistorium in medio suppedaneo locant.

Credo 2 — Lecto responsorio, episcopus se sistit cum suis capellanis in medio altari ante faldistorium, sedet et accipit mitram.

Iterum assurgit episcopus, et neo-presbyteri clara voce memoriter recitant symbolum Fidei, quo finito sedet episcopus.

Dum dicitur *Credo* librigеr sumit pontificale e legili.

Cetera 3 — Cetera omnia, ab impositione manuum usque ad finalem benedictionem presbyterorum, fiunt ut in ordinatione solemni, n. *116,* 3-8, eo excepto quod episcopus benedictionem finalem presbyterorum dicit clara voce sine cantu.

176 ART. XI — DE FINE MISSAE

Communio 1 — Caeremoniarius 2us missale super legili locat, episcopus assurgit et cum suis capellanis ad illud accedit et legit communionem una cum neo-presbyteris.

Interim acolythi amovent faldistorium.

Postcommunio 2 — Episcopus, dicto *Dominus vobiscum* in medio altari cum presbyteris, iterum ad missale legit postcommunionem diei sub unica conclusione cum alia pro ordinatis, ac deinde adjungit alias, si quae sint.

Iterum in medio episcopus dicit *Dominus vobiscum.*

Dum episcopus dicit postcommuniones, caeremoniarius 2us canonem apertum in medio altari ponit.

Benedicamus Domino vel Ite missa est

3 — Episcopus simul cum presbyteris dicit consueto more *Benedicamus Domino,* vel *Ite Missa est* si in missa dictum fuit *Gloria.*

Placeat

4 — Episcopus una cum presbyteris recitat orationem *Placeat* et osculatur altare.

Benedictio et indulgentiae

5 — Episcopus cum mitra simplici, vel pretiosa si eo die licet, dat benedictionem more consueto ipse solus, accepto baculo cum dicit *Patris.* Presbyteri flexis genibus recipiunt benedictionem, munientes se signo crucis.

Capellani assistentes, si sint canonici in sua dioecesi vel praelati, profunde inclinati benedictionem recipiunt (D 3804, I), secus genua flectunt.

❯ Si celebrans sit metropolita crucifer genua flectit in ultimo gradu altaris pro benedictione, quam sine mitra dabit.

Data benedictione, si episcopus sit loci ordinarius, metropolita vel cardinalis, indulgentias dabit, si maluerit; quod si dentur, capellanus 1us formulam legit.

Ultima exhortatio et paenitentia

6 — Benedictione impertita, episcopus ad latus epistolae recedit dum ab acolythis faldistorium in medio suppedanei ponitur. Sedet episcopus, retento baculo, et accepta mitra si sit metropolita. Caeremoniarius ordinatorum eos disponit in circulo, sive ordinibus si sint plures. Presbyteri stabunt in medio cum diaconis a dextris et subdiaconis a sinistris, et omnes, manibus ante pectus consertis, genua flectunt. Ministri de libro et scotula a sinistris episcopi se sistunt, qui legit exhortationem *Filii dilectissimi,* deinde paenitentiam ordinatis imponit, qui una simul respondent *Libenter.*

Diaconis et subdiaconis episcopus dicat *Nocturnum feriae occurrentis,* vel aliae, prout ei placuerit.

Paenitentia imposita, recedunt ministri de libro et scotula et ordinati; neo-presbyteri tamen remanent stantes suis locis.

❯ Si celebrans sit metropolita, caeremoniarius 2us vel acolythus 1us ponit lancem sacri pallii cum suo velo super altari a latere evangelii; capellanus 1us aufert mitram episcopo, et deinde, adjuvante 2.°, aufert ei pallium, manentibus spinulis, et super lance reponit.

Ultimum evangelium

7 — Episcopus, deposita mitra, assurgit, surgentibus omnibus, et ad latus evangelii se confert cum suis capellanis, ubi legit de more initium evangelii sancti Joannis, una cum neo-presbyteris qui assurgunt. Quod si aderit evangelium proprium, legetur eodem modo a neo-presbyteris, missalia in manibus sustinentibus.

Statim ac episcopus incipit legere evangelium, acolythi faldistorium ponunt in planum a parte epistolae, sicut pro vestitione pontificis.

Finito evangelio, episcopus, sumpta mitra, pretiosa si liceat, secus simplici, et accepto baculo, descendit in planum cum suis capellanis, ubi, facta in medio profunda reverentia cruci, vadit ad faldistorium versus latus epistolae, ubi sedet et reddit baculum ministro.

❯ Si episcopus in throno vestes sacras assumpsit, acolythi, incepto evangelio, faldistorium removent, et episcopus, facta in planum reverentia cruci de more, ad thronum revertitur cum suis capellanis, ubi sedet et reddit baculum.

Discessus ordinatorum

8 — Caeremoniarius ordinatorum ordinatos in duobus ordinibus in medio chori disponit, qui, bini genuflectionem facientes, ad altare et deinde ad episcopum, pergunt junctis manibus in sacrario, a dignioribus ad inferiores, ubi sacras deponunt vestes.

❯ Si celebret episcopus extraneus, vel titularis, ordinati faciunt bini genuflexionem cruci, deinde inclinationem episcopo, ac demum reverentiam choro si aderit, et discedunt.

Dimissio vestium

9 — Discedentibus ordinatis, ministri insignium et abaci ante episcopum se sistunt, qui a 1.° capellano, adjuvante 2.°, sacris exuitur vestibus, quas caeremoniarius 2us super altari ponit et gremiali cooperit.

❯ Si celebrans sit metropolita, crucifer, deposito superpelliceo, assumit cappam vel *croceam.*

Caeremoniarius 1us induit episcopum vestibus choralibus. Deinde cubicularius, cum 1.° acolytho velum in lance sustinente, coram episcopo se sistit, qui extrahit sandalia et caligas, primo a pede sinistro, postea a dextro, et ei reponit calceos usuales, quo facto, discedit cum acolytho.

Gratiarum actio et discessus episcopi

10 — Accedunt ad episcopum ministri de libro et scotula pro gratiarum actione de more legenda.

Interim caeremoniarius 2us ponit pulvinar in ultimo gradu altaris, vel, si episcopus sit in throno, acolythi ponunt faldistorium cum pulvinari in medio ante altare.

Finita gratiarum actione, episcopus aliquantulum ante altare orat, et discedit in pace, ordine quo venit.

PARS II

DE CLERICIS INITIANDIS ET DE MINORIBUS ORDINIBUS CONFERENDIS INTRA MISSAM LECTAM UNI VEL PLURIBUS

CAPUT I

177 PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

❯ De tempore et loco conferendi tonsuram et ordines minores, vide nn. *69-70.*

❯ Valde convenit ut, quando clerici initiandi sunt vel promovendi ad ordines minores extra ordinationem generalem vel sine ordinibus maioribus, *intra missam lectam* initientur vel promoveantur (102).

1 — ORDO MISSAE. Si ordinatio fiat diebus dominicis vel festis duplicibus, missa dicitur de dominica vel de festo ut in calendario.

Si ordinatio fiat in sabbatis quatuor temporum vel in sabbato *Sitientes,* missa dicitur de eo, cum commemorationibus occurrentibus prout praescribitur in calendario, cum non sit nec cantata nec conventualis, etiamsi occurrat festum I vel II classis, nam MR (add. et variat., I, 5) non distinguit inter missam pro ordinibus maioribus vel minoribus conferendis.

Oratio in collatione sacrorum ordinum omittitur.

❯ Si missa sit conventualis fit ut in tit. I, n. *78.*

2 — INSERVIENTES. Episcopo inserviunt capellani assistentes duo cum superpelliceis, qui tempore missae servabunt regulas missae lectae

episcopi, tempore vero ordinationum standum regulis in 1.ª parte huius tituli traditis, n. *162,* 3.

Si non aderit archidiaconus, assistens 1mus fungetur officio archidiaconi.

Opus erit officio caeremoniarii unius, vel etiam duorum, si multi sint ordinandi.

Aderunt clerici duo ad abacum, qui lotioni manuum episcopi inserviunt, et in ponendo et auferendo faldistorio, vel in aliis quae ad missam et ordinationem pertinent agendis.

Aderunt clerici tres pro mitra, libro et scotula.

VESTES EPISCOPI eaedem sunt ac pro missa lecta; praeterea episcopus utitur mitra simplici, exclusa semper pretiosa, tempore ordinationum tantum; non utetur baculo, cum nullo modo requiratur; nec expedit caudam habitus talaris.

178 PRAEPARANDA. Parentur quae necessaria sunt pro missa lecta episcopi. Praeterea:

A LATERE EVANGELII:

Faldistorium sua veste coopertum, adhibendum tempore ordinationum tantum.

SUPER ALTARI accendentur quatuor vel sex cerei. A latere evangelii aderit mitra simplex.

SUPER ABACO PRO ORDINATIONE:

Ritus ordinationis in singulari vel plurali prout opus erit.
Elenchus ordinandorum.
Forfices in lance.
Gremiale linteum.
Claves duae in lance et tintinnabulum pro ostiariis.
Missale pro lectoribus et exorcistis.
Ceroferarium cum candela exstincta et ampullae vacuae in lance pro acolythis.

IN SACRARIO:

PRO ORDINANDIS:

Superpellicea.
Candelae semilibrae.

PRO INSERVIENTIBUS:

Superpellicea.

CAPUT II

RITUS SERVANDUS

179 ART. I — PRAEPARATIO ET INITIUM MISSAE

Praeparatio 1 — Tonsurandi cum superpelliceis plicatis super brachio sinistro, ordinandi superpelliceis induti, omnes cum candela semilibrae exstincta in manu dextera, locum suum in presbyterio obtinebunt ante adventum episcopi.

Episcopus, habitu praelatitio proprio indutus, ad ecclesiam vel oratorium accedit de more, et, facta praeparatione, stans lavat manus et sacras capit vestes, caudam habitus talaris non expediens.

Missa 2 — Episcopus missam statim incipit et celebrat juxta regulas missae lectae. Minister de mitra, accepta mitra, locum sumit versus latus epistolae; ministri de libro et scotula se sistunt prope abacum.

Ordinandi toto tempore missae permanent flexis genibus, surgunt vero pro utroque evangelio. Tempore ordinationum, qui actu non ordinantur, stabunt, vel sedent cum episcopo.

180 ART. II — INITIATIO CLERICORUM

› Admonitio et vocatio generalis omittuntur.

› Prima tonsura confertur post introitum quando non dicitur *Gloria;* in sabbatis quatuor temporum vel quando dicitur *Gloria,* post *Kyrie, eleison.*

Vocatio clericorum 1 — Posito faldistorio in medio suppedaneo, sedet episcopus, a 1*mo* capellano induitur mitra, et ordinandi omnes assurgunt. Capellanus 1*us* vel archidiaconus dicit *Accedant qui promovendi sunt ad primam clericalem tonsuram,* et omnes, cum seperpelliceo in brachio sinistro et candela exstincta in manu dextra, accedunt duos passus versus altare.

Notarius, stans a latere epistolae, legit nomina promovendorum; et quilibet cum vocatur respondet *Adsum,* ante gradus altaris accedit, facit genuflexionem una simul cruci et episcopo, et in loco suo se constituit ad nutum caeremoniarii; postquam venerit ultimus, omnes una simul genua flectunt in corona, vel, si sint multi, in ordinibus ante episcopum.

Invitatio ad orandum 2 — Ministri de libro et scotula se sistunt parum ad sinistram episcopi, qui, surgens cum mitra, dicit clara voce *Sit nomen Domini* et *Adjutorium nostrum,* cui respondent capellani; deinde recitat invocationem *Oremus, fratres carissimi,* qua absoluta sedet. Ministri de libro et scotula recedunt, et acolythi recipiunt candelas tonsurandorum.

Tonsura. 3 — Capellanus 2us gremiale linteum ponit super gremium episcopi et faldistorio alligat; acolythus 1us cum forficibus in lance se sistit a dextris 1mi acolythi; tonsurandi assurgunt et se sistunt unus post alium; 1mus, facta genuflexione in planum, ad suppedaneum ascendit et genua flectit.

Episcopus, acceptis forficibus a 1mo capellano, capillos 1mi clerici tondit in quinque locis, videlicet,

1) in fronte dicens *Dominus pars;*
2) in occipitio, dicens *hereditatis meae;*
3) super auriculam dexteram, dicens *et calicis mei;*
4) super auriculam sinistram, dicens *tu es qui restitues;*
5) in summitate capitis, dicens *hereditatem meam mihi;* quae quidem verba tonsurandus dicit simul cum episcopo, vel suggerente episcopo, statim post eum. D 2682, III.

Assurgit clericus, se vertit versus sinistram suam, in planum descendit, genuflexionem facit cum 2.°, et ad locum redit, ubi exspectat stans; 2us ascendit, et pro omnibus fit similiter.

Cum episcopus facit tonsiones, clericus 1us de abaco cum lance se sistit in gradu altaris a dextris episcopi ad capillos recipiendos.

Dum fiunt tonsurae clerici duo recitant recto tono antiphonam *Tu es Domine,* cum ps. 15 *Conserva me, Domine,* sine *Gloria* et cum repetitione antiphonae in fine (103).

Finita tonsura, episcopus forfices 1mo capellano tradit, qui eas in lance reponit; recedit clericus ad abacum, et capellanus 1us amovet gremiale linteum.

Oratio ad tonsuram complendam

4 — Ministri de libro et scotula coram episcopo se sistunt et episcopus, deposita mitra, surgit et legit orationem *Praesta quaesumus* super tonsuratos genuflexos.

Sedet iterum episcopus et accipit mitram, ac recedunt ministri de libro et scotula.

Lotio manuum episcopi

5 — Episcopus de more lavat manus, capellano 1.° mantile ministrante.

Dum episcopus lavat manus, clerici duo recto tono recitant antiphonam *Hi accipient* cum ps. 23 *Domini est terra,* cum *Gloria* et repetitione antiphonae in fine.

Vestitio clericorum

6 — Ministri de libro et scotula accedunt coram episcopo qui se vertit ad altare cum suis capellanis, et dicit *Oremus;* capellanus 1us *Flectamus genua,* et 2us *Levate,* et omnes genuflectunt, praeter episcopum et ministros de libro et scotula. Deinde episcopus, versus ad neo-clericos genuflexos, dicit orationem *Adesto, Domine,* praeparatoriam ad vestitionem, dextera illos benedicens; deinde sedet et accipit mitram, et recedunt ministri de libro et scotula.

Clerici surgunt et se sistunt unus post alium cum superpelliceo explicato in manibus. 1us, facta in planum genuflexione, ad suppedaneum ascendit, et episcopus induit eum superpelliceo, adjuvante caeremoniario, dicens *Induat te Dominus* etc. Clericus assurgit, se vertit ad sinistram suam, descendit in planum, genuflectit, et ad locum suum redit ubi exspectat stans. Alii omnes ascendunt et episcopus singulos eodem modo induit superpelliceo.

Oratio ad initiationem complendam

7 — Ministri de libro et scotula ante episcopum se sistunt; tonsi genua flectunt; episcopus, deposita mitra, assurgit et dicit orationem *Omnipotens... propitiare* ad tonsuram simul et vestitionem complendam.

Allocutio

8 — Sedet episcopus, et, accepta mitra, legit allocutionem ad tonsos genuflexos dicens *Filii carissimi,* qua finita, recedunt ministri de libro et scotula.

› Si ordines minores non sint conferendi, episcopus statim imponit paenitentiam tonsuratis, ut inferius habetur, quo facto, recedunt ministri de libro et scotula.

Dimissio

9 — Capellanus 1us vel archidiaconus dicit *Ad loca vestra;* neo-clerici assurgunt, et, facta genuflexione, recedunt ad loca sua in presbyterio.

› Si unus tantum sit initiandus, omnia fiunt in singulari, idem ac de singulis ordinibus minoribus conferendis.

181 ART. III — CONTINUATIO MISSAE

Removetur faldistorium, et episcopus prosequitur missam.

In Dominicis vel festis duplicibus quatuor ordines minores conferuntur post *Gloria* si dicitur; si non dicitur *Gloria,* et in sabbato *Sitientes,* immediate post *Kyrie.*

In sabbatis quatuor temporum ostiarii ordinantur post 1am lectionem, lectores post 2am, exorcistae post 3am, acolythi post 4am.

182 ART. IV — ORDINES MINORES

OSTIARII ordinantur ut in tit. II, n. *100.* Deficiente archidiacono, ostiarii ducentur a caeremoniario, vel ab alio sacerdote, ad ordinem exercitandum, ne assistens teneatur a latere episcopi discedere.

LECTORES ordinantur ut in tit. II, n. *102.*

EXORCISTAE ordinantur in tit. II, n. *104.*

ACOLYTHI ordinantur ut in tit. II, n. *106.*

Pro omnibus ordinibus minoribus tamen observa: episcopus orationes omnes ac benedictiones dicit clara voce sine cantu; 1us capellanus fungitur officio diaconi et archidiaconi, nisi iste in choro aderit; 2us fungitur officio subdiaconi, sed ponit et aufert gremiale.

183 ART. V — CONTINUATIO MISSAE

Acolythorum ordinatione expedita, episcopus, deposita mitra, assurgit, faldistorium amovetur, et uti moris est missa continuabitur.

OFFERTORIUM. Fit traditio candelarum a neo-clericis et neo-ordinatis de more, n. *172*, 2, sed eis *non* dabitur pax (104).

COMMUNIO. Promoti laudabiliter sacram communionem recipiunt, quam eis dabit episcopus juxta modum traditum in n. *174*, 2. Promoti omnes una voce recitant *Confiteor*, et episcopus utitur formula *custodiat te*.

FINIS MISSAE. Post communionem, episcopus sumit ablutiones, lavat manus et prosequitur missam de more usque ad benedictionem, nulla facta mutatione. Benedictionem finalem missae tamen confert cum mitra, etiamsi sit metropolita, nisi crux ejus aderit (105).

PAENITENTIA. Benedictione impertita, episcopus ad latus epistolae recedit, et faldistorium ponitur in medio suppedanei ubi sedet, retenta mitra, et neo-clericos ac ordinatos coram eo genuflexos alloquitur dicens *Filii dilectissimi*. Deinde eis imponit paenitentiam dicens:

Singuli ad primam tonsuram, (vel *ad quatuor minores Ordines) promoti, dicite semel septem psalmos paenitentiales cum litaniis, versiculis et orationibus, et omnipotentem Deum, etiam pro me orate.*

Et omnes respondent *Libenter*. Episcopus, deposita mitra, assurgit, et ab acolythis amovetur faldistorium.

❯ Si nullus fuit promotus ad ordines minores, sed tantum ad clericatum, allocutio *Filii dilectissimi* et paenitentia omittantur, et, data benedictione, episcopus, deposita mitra, statim incipit evangelium.

ULTIMUM EVANGELIUM dicitur de more, et postea episcopus stans ante gradus altaris, et omissis orationibus Leonis XIII, sacras deponit vestes, accipit chorales, et, facta gratiarum actione ad genuflexorium, recedit in pace, et post eum promoti bini junctis manibus, incipientes a dignioribus.

❯ Episcopus volens, extra suum territorium, primam tonsuram et ordines minores conferre suis subditis intra missam lectam, facit ut in hac 2.ª parte huius tituli notatur, dempta tamen mitra, pro quo requiritur consensus loci ordinarii. CJC 1008.

❯ Abbates benedicti de regimine intra ecclesias suas; abbates et praelati nullius vel vicarii et praefecti apostolici intra suum territorium, hi ultimi tamquam protonotarii, in conferenda tonsura vel ordines minores intra missam lectam, omnia faciunt ut in hac 2.ª parte huius tituli habetur.

CAPUT III

DE TONSURA ET ORDINIBUS MINORIBUS QUANDO UNA CUM MAIORIBUS IN MISSA LECTA PONTIFICALI CONFERUNTUR

184 Tonsura et ordines minores conferri etiam possunt intra missam lectam pontificalem in qua ordines maiores conferendi sunt, vel saltem unus ordo maior.

Omnia fiunt prout in hac 2.ª parte huius tituli notatur nn. *177* ad *183*, sed observa:

1 — Tonsurandi et ordinandi intrabunt cum candelis accensis una cum promovendis ad ordines maiores, ut in n. *166*, 5.

2 — Tonsura et ordines minores conferuntur temporibus propriis missae, ut in nn. *180* et *181*.

3 — Episcopus deponit chirothecas ante tonsuram clericorum, et post lotionem manuum eas iterum assumit.

4 — Ordinandi vocantur ab archidiacono, vel ad eo qui ejus vices gerit, et nomina eorum leguntur a notario.

5 — Clerici et ordinati in minoribus offerunt singuli candelas suas accensas pontifici ad offertorium, vel si multi fuerint promoti, 1us clericus et 1mus cujuscumque ordinis tantum offerunt nomine aliorum sui gradus.

6 — Clerici et ordinati in minoribus *non* accipiunt pacem, sed tantum ordinati in maioribus (106).

7 — Iidem laudabiliter, post diaconos et subdiaconos, sacra Eucharistia reficiuntur et una simul cum eis in medio choro submissa voce recitant *Confiteor* antequam accedant; eadem utitur formula episcopus ac pro diaconis et subdiaconis, et singuli respondent *Amen*.

8 — Promoti discedunt ordine quo venerunt. Cetera fiunt de more.

PARS III

DE CLERICIS INITIANDIS ET DE MINORIBUS ORDINIBUS CONFERENDIS EXTRA MISSAM UNI VEL PLURIBUS

185 ART. I — ANTE MISSAM EPISCOPI

Tonsura et ordines minores conferri etiam possunt immediate ante missam lectam pontificis, nisi missa sit de requie.

VESTES EPISCOPI. Pontifex ordines confert cum vestibus missae lectae, dempto manipulo, et cum mitra; deponere etiam potest casulam, sed consultius eam conservat, quia utitur mitra. Vide notam 19.

INSERVIUNT iidem ministri ut in n. *177*.

PARANTUR omnia ut in n. *178*.

RITUS SERVANDUS. Ordines minores conferuntur immediate post tonsuram ordine tradito, nn. *180-182*, et post ultimum ordinem episcopus legit exhortationem *Filii dilectissimi*, pro qua promoti se praesentant cum candelis accensis, ac ultimo imponit paenitentiam cum formula consueta.

Imposita paenitentia, clerici et ordinati candelas suas episcopo offerunt, deinde ad loca sua recedunt, et episcopus, deposita mitra, assurgit, descendit in planum, et incipit missam.

Acolythi amovent faldistorium, non amplius adhibendum.

MISSA. Episcopus celebrabit missam de die solito more, nulla facta mutatione, nec utitur mitra. Intra missam promoti laudabiliter Eucharistiam accipiunt, sed episcopus adhibebit formulam RR ...*custodiat animam tuam.*

› Licet etiam tonsuram et ordines minores conferre immediate post missam episcopi, quae non sit de requie. Omnia fiunt ut supra, inverso ordine tantum; sed talis modus minime commendatur.

186 ART. II — SINE MISSA

Tonsura et ordines minores conferri possunt independenter a missa, sed privatim tantum.

VESTES EPISCOPI. Episcopus habebit tantum stolam albam circa collum; adhibere etiam poterit mitram simplicem, sed consultius ab usu mitrae abstinebit (vide notas 16 et 19); extra proprium territorium nunquam adhibet mitram nisi de permissu ordinarii loci; pluviale non est adhibendum.

› Quod si episcopus velit tonsuram et ordines minores publice conferre sine missa, induere deberet stolam et pluviale album, et mitram, juxta regulam pro aliis sacramentis vel sacramentalibus publice administrandis.

INSERVIUNT episcopo iidem ministri ac in n. *177*.

PRAEPARANDA. Parentur vestes episcopi uti supra super altari; faldistorium coopertum veste alba in suppedaneo; urceus cum pelvi et mantile in lance; candela; accendentur quatuor cerei super altari.

Super abacum pro ordinatione, et in sacrario pro ordinandis, parentur quae dicta sunt in n. *178*.

RITUS SERVANDUS. Episcopus, sedens in faldistorio, deponit vestes chorales et accipit sacras, et procedit ad tonsuram et ordines conferendos ut in nn. *180-182*.

In fine, imposita paenitentia, accipit candelas offertorii, et depositis vestibus sacris, induit chorales, et, facta brevi oratione, discedit in pace, et post eum ordinati.

› Abbates benedicti de regimine intra ecclesias suas, abbates et praelati nullius vel vicarii et praefecti apostolici intra suum territorium, ad clericatum vel ordines minores conferendos, procedunt ut supra.

TITULUS VI

DE ORDINATIONIBUS HABENDIS IN SABBATO SANCTO

PARS I

SOLEMNITER AD THRONUM

CAPUT I

PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

187 Non solet episcopus ad thronum solemniter celebrare in sabbato sancto nisi eo die adsint clerici ad ordines sacros promovendi. Absolutam explanationem rituum missalis invenies cum ritibus pontificalibus per anuum ad thronum; hic tantum traduntur regulae generaliores hac die observandae, ut episcopi et caeremoniarii scire possint quomodo ritus ordinationum ritibus diei, a quibus nequeunt separari, includi debeant.

CLERUS INSERVIENS. Ordinationi inserviunt iidem ministri officii et missae diei; archidiaconus explebit partes presbyteri assistentis ab initio functionis. Vide notam 45.

REGULAE GENERALES servandae habes in titulo II, nn. *81* ad *92*.

Omnes, episcopo non excepto, genuflectunt ad crucem usque ad finem horae sextae.

EPISCOPUS utitur caligis et sandaliis albi coloris ab initio functionis praebaptismalis; candela inde a benedictione electorum ad litanias, et deinceps usque ad finem; baculo per totam functionem; mitra pretiosa ad missam et ad vesperas tantum; sacro pallio ad missam tantum, inde a fine litaniarum, si sit metropolita.

PRAEPARANDA. Parentur in sacrario, in narthice, in baptisterio, in consignatorio, et in presbyterio, ea omnia quae pro functione solemni huius diei sunt necessaria; pro ordinatione omnia quae habentur in titulo II, nn. *93, 95,* albi coloris tamen; pro communione parabitur pyxis cum hostiis pro omnibus qui velint sacram Eucharistiam recipere.

CAPUT II

RITUS SERVANDUS

188 ART. I — OFFICIUM LUCERNARE

Benedictio ignis

1 — Antequam incipiantur horae minores, accendetur ignis e silice et ante fores ecclesiae locabitur.

Dum in choro recitatur hora tertia, sacerdos paratus benedicit ignem (107) *sine cantu,* et, ea finita, recedit, sed ignis remanet ad narthicem ecclesiae.

Adventus episcopi

2 — Finita in choro recitatione horae sextae, clerus ibit ad consociandum episcopum de more, qui, sine aqua lustrali, ad januam ecclesiae recipitur, ubi (nisi jam sit indutus) accipit cappam, et ad sedem suam de more accedit, caudatario caudam cappae sustentante, et solus incedens.

Processio lucernaris

3 — Episcopus, presbytero assistente in habitu chorali naviculam ministrante, incensum imponit thuribulo (super ignem modo benedictum) pro processione et incensatione libri, cum solita benedictione.

Ordinabitur processio lucernaris de more in qua tamen episcopus partem non habebit.

Praeconium paschale

4 — Diaconus, recepta benedictione episcopi et incensato libro, cantat praeconium.

Finito praeconio, subdiaconus reddit crucem thuriferario, ad locum suum ferendam, et cum diacono, facta episcopo reverentia, recedit ad scamnum ubi sacras deponunt vestes et diaconus accipit stolam violaceam.

189 ART. II — HORA NONA ET VESTITIO

Hora nona et praeparatio episcopi

1 — Accedunt ad thronum diaconi assistentes, vel, deficientibus ipsis, presbyter assistens solus in habitu chorali (108).

Recitatis *Pater* et *Ave,* sedet episcopus, et, ante se habens ministrum cum canone, facit de more praeparationem ad missam solemnem postea celebrandam.

Chorus, interposita mora, recitat sine cantu psalmos horae nonae ita ut finem habeant cum episcopus legerit orationes vestitionis.

Subdiaconus portat ad thronum caligas et sandalia albi coloris, quibus episcopus a cubiculario suo induitur; episcopus deinde recitat orationes vestitionis de more, quibus dictis, recedunt diaconi assistentes vel presbyter assistens ad chorum.

Ad *Christus factus est* episcopus, ipse solus, cappam super humum trahens, descendit ad faldistorium pro fine horae nonae, et, post *Miserere,* recitat orationem *Respice.*

1.ª lotio manuum episcopi

2 — Episcopus, ad thronum reversus, dimittit cappam sed caudam habitus talaris non solvit; presbyter assistens ad thronum ascendit et accedunt ministri lotionis; episcopus lavat manus, presbytero assistente mantile ministrante, sed, ea finita, non accipit annulum; recedunt ministri lotionis et post eos presbyter assistens.

Vestitio episcopi et cleri

3 — Ad thronum accedunt sacri ministri, et episcopus de more induitur sacris vestibus pontificalibus violaceis et mitra simplici.

Dum episcopus sacras assumit vestes, tres assistentes throni, ministri tres insignium, crucifer si celebret metropolita, et canonici in choro, si aderint, induunt vestes violaceas ordinis sui proprias.

Finita vestitione, sacri ministri ad scamnum recedunt, casulas plicatas et manipulos accepturi, et ad thronum accedunt assistentes tres in vestibus violaceis. Presbyter assistens, cum advenerit, annulum imponit digito episcopi.

Ingressus ordinandorum 4 — Cum omnia disposita sunt, introducuntur ordinandi ordine quo prius, n. *97*, 5, sed candelas *exstinctas* in manu gestantes, et, facta genuflexione cruci et episcopo, ad loca sua se conferunt, ad nutum caeremoniarii sui (109).

190 ART. III — OFFICIUM STATIONALE PRAEBAPTISMALE ET BAPTISMALE

Osculum altaris 1 — Episcopus, accepto baculo, cum suis assistentibus, sequentibus ministris insignium, ad altare accedit. Ante altare diaconi assistentes recedunt duos passus et ad episcopum accedunt sacri ministri.

Episcopus, facta cum suis ministris et assistentibus debita reverentia cruci, reddito baculo ministro, et deposita mitra, cum suis ministris ad altare ascendit, quod in medio deosculatur; iterum accepta mitra et baculo et facta reverentia cruci, ad thronum redit ordine quo venit.

Officium stationale 2 — Fit officium stationale de more ut in missali. Episcopus, sedens submissa voce et accepto gremiali, legit prophetias et tractus, et stans, recto tono, canit orationes, presbytero assistente missale sustentante.

Lector 1ae. prophetiae, ea cantata, ad thronum ascendit ad annulum episcopi osculandum, quod et ceteri faciunt.

Mutatio vestium 3 — Finito officio stationali, diaconi assistentes recedunt et ad loca sua in choro se conferunt, et accedunt sacri ministri in albis.

Episcopus a diacono, adjuvante subdiacono, sacris vestibus violaceis exuitur, retenta tantum stola, et induitur pluviali violaceo, formali et mitra simplici. Presbyter assistens, imposito annulo digito episcopi, de throno discedit et ad chorum redit; sacri ministri in plano a latere throni iterum induunt planetas plicatas.

Iter ad baptisterium 4 — Ibunt omnes ad baptisterium, episcopus medius inter sacros ministros; servabitur ordo processionum, sed si aderint tonsurandi, procedent ante cereum paschale.

› Si apud baptisterium spatium loci deest, ordinandi ad loca sua in choro remanent.

Benedictio fontis et aspersio 5 — Episcopus benedicit fontem ut in missali habetur, ministrantibus sacris ministris.

In fine presbyter assistens accedit et dat aspersorium episcopo qui, postquam seipsum et circumstantes asperserit, reddit aspersorium presbytero assistenti, qui aspergit reliquos de clero et populum, et, finita aspersione, ad chorum redit.

Baptismus 6 — Si aderint infantes vel adulti baptizandi, uti valde oportet et decet (CJC 772), parochus, dum fit officium stationale, ad ecclesiae fores facit ritus baptismi primo super infantes usque ad unctionem inter scapulas inclusive, deinde super adultos usque ad ultimum *quis vocaris* exclusive.

Episcopus, finita benedictione fontis, et dimissis vestibus violaceis et acceptis albis, ritum baptismalem, primo super infantes, deinde super adultos perficit; et iterum, dimissis vestibus albis, accipit violaceas, nisi aderint confirmandi.

Confirmatio 7 — Laudabiliter episcopus, finito adultorum baptismate, perget cum sacris ministris et inservientibus ad consignatorium vel ad capellam aliquam prope baptisterium ubi adultos modo baptizatos confirmabit; ibique, finita confirmatione, vestes albas deponit et iterum assumit stolam et pluviale violaceum pro processione ad altare maius. RR tit. I, cap. IV, n. 52.

Lotio manuum episcopi 8 — Episcopus manus lavabit post infusionem oleorum in fonte; vel, si erunt baptizandi seu confirmandi, post baptismum vel confirmationem tantum.

Processio ad altare 9 — Caeremoniarii ordinabunt processionem ad altare, ordine quo venit. Baptizati procedunt ante clerum et se sistunt extra presbyterium.

Cantores duo post crucem, cum processio iter prodire incipiat (110), statim incipiunt litanias breviores ut in missali, quae duplicantur (D 3731), usque ad introitum presbyterii, ubi silent.

Intimatio et litaniarum prosecutio

10 — Cum omnes ingressi fuerint presbyterium, episcopus sedet in faldistorio in plano cum suis ministris hinc et hinc stantibus, alii omnes ad loca sua redeunt; archidiaconus in plano a latere evangelii dicit *Accedant omnes qui ordinandi sunt* (111); ordinandi in sacris se sistunt in medio presbyterio, ubi se prosternere debent; ceteri passum unum dabunt versus altare. Archidiaconus deinde legit intimationem, qua finita, sacri ministri deponunt manipulos et planetas, episcopus reddit baculum et deponit formale et pluviale; presbyter assistens recedit ad chorum vel ad sacrarium. Ordinandi in sacris se prosternunt, episcopus assurgens genua flectit ad faldistorium, omnibus genua flectentibus, et cantores duo flexis genibus retro post ordinandos in sacris, vel a latere epistolae, litanias prosequuntur.

Vestitio episcopi

11 — Ad *Peccatores* sacri ministri accipiunt vestes albas missae sine manipulis, et se sistunt apud episcopum, qui assurgit, et, deposita stola violacea, accipit vestes omnes albi coloris, et sacrum pallium, quod ab alio subdiacono portatur, si sit metropolita; demum accipit annulum a diacono.

Convenienter sedebit episcopus ad faldistorium dum induitur tunica, dalmatica, chirothecis, planeta et sacro pallio.

Dum cantantur litaniae, sacristae omnia disponunt pro missa solemni in colore albo; canonici in choro, assistentes throni, ministri insignium, et crucifer si celebret metropolita, depositis vestibus violaceis induunt albas; quae omnia expedite fieri debent, ita ut finem habeant cum episcopus assurgit ad electos benedicendos.

Cantores versum *Ut omnibus fidelibus defunctis* cantabunt tantum cum episcopus vestes sumpserit et cetera omnia parata sint.

Benedictio electorum

12 — Ministri de libro et scotula ante pontificem, se sistunt (112), qui,assurgens et accepto baculo, ad electos versus, canit tres versus PR h.l., electos dextra benedicens, et omnes respondent sine duplicatione; quo facto, recedunt ministri de libro et scotula.

Litaniarum complementum

13 — Episcopus, reddito baculo, genuflectit iterum cum suis ministris, et cantores litanias complebunt.

191 ART. IV — MISSA ET VESPERAE

Principium missae

1 — Finitis litaniis, presbyter assistens se sistit a dextris diaconi, et diaconi assistentes retro post episcopum, qui assurgit cum suis ministris; removetur faldistorium, et episcopus, ante gradus altaris accedens, cum sacris ministris a sinistris et presbytero assistente a dextris, diaconis assistentibus stantibus retro post eum, aliis omnibus suis locis, ut in missa solemni, facit cum suis ministris et assistentibus profundam reverentiam cruci et statim incipit missam, in qua dicitur ps. 42 *Judica me, Deus.* Chorus, omisso introitu, statim incipit cantum *Kyrie.* Episcopus de more osculatur altare et evangelium et, imposito ac benedicto incenso, altare incensat, et in fine a diacono incensatur; quo facto, accepto baculo, redit ad thronum, ubi depositis mitra et baculo, surgens dicit *Kyrie* de more, sedet, et accipit mitram.

❯ Si non sint promovendi ad statum clericalem, episcopus statim surgens sine mitra intonat *Gloria*.

Promotio ad statum clericalem

2 — Dicto *Kyrie,* episcopus, ut mos est, pergit ad faldistorium in suppedaneo altaris cum suis assistentibus.

Archidiaconus vocat clericandos, et episcopus eos ordinat ut in tit. II, n. *98.*

Gloria

3 — Initiatis clericis, episcopus ad thronum redit pro cantu *Gloriae*.

Ordines minores

4 — Versus finem cantus *Gloriae,* episcopus ad altare de more revertitur ad clericos in minoribus ordinibus promovendos, si qui sint, ut in tit. II, nn. *100-2-4-6;* quo facto, iterum ad thronum redit.

Collectae

5 — Episcopus, presbytero assistente librum sustinente, dicto *Pax vobis,* canit collectam diei cum alia pro ordinandis sub unica conclusione, nec alia additur oratio, sedet et accipit mitram.

Subdiaconatus

6 — Episcopus, accepto baculo, se confert de more ad altare cum suis assistentibus, ubi ordinat subdiaconos uti habetur in tit. II, n. *108;* advertat tamen, ut statim post

passum, dicat exhortationem *Adepturi, filii dilectissimi,* omissis litaniis. Finita ordinatione, iterum ad thronum se confert.

Epistola 7 — Canitur epistola solito more ab uno ex subdiaconis ordinatis et legitur ab episcopo submissa voce, et in fine neo-subdiaconus osculatur manum ejus.

℟ Si nullus ordinandus erit diaconus, idem neo-subdiaconus statim annuntiabit episcopo *Alleluia* ut infra.

Diaconatus 8 — Benedictione data subdiaoono qui epistolam cantavit, episcopus iterum, deposito gremiali et accepto baculo, ad altare se confert cum suis ministris, ubi ordinat diaconos, ut in tit. II, n. *110* notatur. Finita ordinatione, episcopus ad thronum revertitur.

Alleluia 9 — Subdiaconus ministrans, facta episcopo reverentia, in plano ante thronum annuntiat ei *Alleluia;* ad thronum ascendit et manum ejus deosculatur; descendit in planum et ei praeintonat *Alleluia;* recedit finita tertia repetitione cantus *Alleluia* tantum.

Versus et tractus 10 — Episcopus sedens legit versum et primam partem tractus.

Presbyteratus 11 — Episcopus ad altare procedit et ordinat presbyteros ut in tit. II, n. *112.*

2.ª pars tractus et evangelium 12 — Episcopus, ad thronum reversus, legit 2am partem tractus, dicit *Munda cor meum* et solito more legit evangelium, quod cantabitur ab uno ex diaconis ordinatis, et omnia fiunt de more, sed non deferuntur luminaria, cum prope legile jam adest cereus paschalis.

Finito cantu, episcopus incensatur a presbytero assistente, deinde cantat *Dominus vobiscum* et *Oremus,* sedet, accipit mitram pretiosam et gremiali linteum.

Praesentatio candelarum 13 — Episcopus, sedens in solio suo, recipit candelas ordinatorum ut alias, n. *113,* 4.

Lotio manuum episcopi 14 — Episcopus, acceptis candelis, annulum et chirothecas deponit, et lavat manus; amovetur gremiale linteum, et iterum digito ejus imponitur annulus a presbytero assistente.

Concelebratio 15 — Episcopus ad altare descendit cum suis assistentibus ad sacram liturgiam cum neo-presbyteris concelebrandam, ut in tit. II, n. *114.* Advertet tamen: *Communicantes* et *Hanc igitur* dicuntur de die; dicto *Haec commixtio,* transitur ad tres orationes communionis, omisso *Agnus Dei* et osculo pacis.

Communio 16 — Episcopus dat communionem neo-presbyteris, deinde aliis ordinatis, tradito ordine n. *115,* et ultimo ad cancellos presbyterii neophytos, et alios, si qui sint, sacra Eucharistia reficit.

Ritus ad ordinationem presbyterorum complendam 17 — Episcopus, sumpta purificatione et lotis manibus, sedet ad faldistorium, et, accepta mitra simplici, procedit ad ordinationem presbyterorum complendam ut in tit. II, n. *116.*

℟ Si nulli fuerint presbyteri ordinati, episcopus post lotionem manuum statim ad thronum revertitur pro vesperis canendis.

Vesperae diei 18 — Benedictione neo-presbyteris impertita, episcopus, facta in planum reverentia cruci cum suis ministris, ad thronum redit. Neo-presbyteri remanent suis locis in medio ante altare.

Vesperae cantantur uti moris est, et fit incensatio altaris, episcopi, cleri, et populi. Neo-presbyteri incensantur a diacono ministrante post subdiaconum missae; deinde diaconus incensatur a thuriferario, qui incensat neo-diaconos et neo-subdiaconos, deinde ordinatos in minoribus et neo-clericos una cum aliis de choro et populum.

Finis Missae 19 — Repetita antiphona ad *Magnificat,* episcopus cum suis assistentibus iterum de throno descendit et ad altare redit, ubi, facta de more reverentia cum suis ministris, ascendit, osculatur altare, canit *Dominus vobiscum,* deinde collectam diei cum alia pro ordinatis.

A diacono missae canitur *Ite Missa est* cum duabus *Alleluia,* et, dicto *Placeat,* ab episcopo et a presbyteris, episcopus impertitur benedictionem.

Allocutio et paenitentia 20 — Episcopus sedet in faldistorio, retento baculo, et accepta mitra si sit metropolita.

Ordinati omnes et neo-clerici a caeremoniario 2.° vocantur et locum occupant in medio ante episcopum, digniores primi.

Episcopus sedens legit ultimam exhortationem et imponit paenitentiam tradito ordine, n. *117*, 6; quo facto, omnes, exceptis neo-presbyteris, ad loca sua redeunt.

Si celebrans sit metropolita, sedens dimittit sacrum pallium de more.

Ultimum evangelium 21 — Episcopus legit initium evangelii sancti Joannis una cum neo-presbyteris, incipiens ad altare et prosequens iturus ad sedem suam, ubi, reddito baculo et deposita mitra, genuflectit ad et *Verbum caro factum est*, omnibus genuflectentibus, et iterum sedet et accipit mitram.

Discessus ordinatorum 22 — Statim ac episcopus sederit, ordinati omnes, incipientes a neo-presbyteris, duce caeremoniario suo, et bini, facta genuflexione episcopo et cruci, ad sacrarium junctis manibus discedunt.

Dimissio vestium et discessus 23 — Episcopus, ministrantibus sacris ministris sine manipulis, dimittit vestes sacras.

Canonici in choro et ceteri omnes parati vestes sacras deponunt cum episcopus incipit dimittere suas.

Postquam episcopus sacras dimisit vestes, discedunt sacri ministri et accedunt diaconi assistentes. Episcopus more consueto, accepta cappa, legit gratiarum actionem et interim dimittit sandalia et caligas, pro qua accedit subdiaconus cum cubiculario.

Episcopus, a clero comitatus, discedit in pace, caudatario caudam cappae sustentante.

PARS II

SOLEMNITER AD FALDISTORIUM

CAPUT I

PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

192 ❯ Archiepiscopus vel episcopus coadjutor, auxiliaris, extraneus vel titularis, ordines maiores solemniter conferens in sabbato sancto, celebret ad faldistorium.

❯ Expositionem rituum missalis huius diei habes cum functionibus pontificalibus per annum ad faldistorium; expositionem ordinationis ad faldistorium invenies in titulo III; hic traduntur regulae generaliores officiorum diei et ritus particulares ordinationum, ut facile videre possis quomodo ordinatio ritibus diei intercalari debeat.

CLERUS INSERVIENS idem erit ac pro functione huius diei.

REGULAE GENERALES traduntur in tit. III, n. *118*.

EPISCOPUS sequitur ritus prout in missali habentur; proinde benedicit ipse ignem ante fores ecclesiae; utitur baculo et candela, sed ab invocationibus super electos in litaniis tantum, et deinceps usque ad finem.

ARCHIDIACONUS, vel, eo deficiente, alius e dignioribus cleri, fungitur officio presbyteri assistentis et inservit praeparationi episcopi in sacrario, deinde recedit. Finito praeconio, accipit pluviale violaceum super amictum et se sistit ad scamnum et inservit officio stationali. Cum celebrans, post officium stationale, deponit vestes violaceas, ipse, deposito pluviali et amictu, iterum assumit habitum choralem et ad chorum redit. Ad *Peccatores*, deposito habitu chorali, induit amictum et pluviale album, et officium suum iterum assumit cum initio missae.

PRAEPARENTUR quae necessaria sunt pro functione ad faldistorium in sabbato sancto, et pro ordinationibus habendis ut in tit. III, nn. *119-20-21*.

CAPUT II

RITUS SERVANDUS

193 ART. I — OFFICIUM LUCERNARE

Praeparatio 1 — Dum in choro recitantur horae minores, celebrans in sacrario facit praeparationem ad missam cum presbytero assistente a dextris, et a suo cubiculario induitur caligis et sandaliis albi coloris; deinde, lotis manibus, induit amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale violacei coloris et mitram simplicem, ministrantibus sacris ministris in albis, diaconus etiam cum stola violacea.

Interim accenditur ignis e silice et ante introitum ecclesiae locatur.

Benedictio ignis. 2 — Finita recitatione horae nonae, ordinabitur processio ad narthicem seu ante fores ecclesiae, ubi celebrans benedicit ignem sine cantu ut in missali.

Processio lucernaris. 3 — Benedicto igne, ordinabitur processio ad altare; celebrans incedit cum mitra post diaconum, cum caeremoniario a sinistris, et genuflectit, retenta mitra, ad *Lumen Christi*.

Praeconium 4 — Ad presbyterium cum pervenerint, omnes ad loca sua se conferunt; celebrans se sistit ad faldistorium et sedet; deinde benedicit diaconum, qui praeconium cantabit, stantibus omnibus et libro prius incensato.

Mutatio vestium. 5 — Finito praeconio, diaconus dimittit vestes albas et subdiaconus violaceas, et diaconus induit stolam violaceam, et ambo se sistunt ante episcopum, qui, deposito pluviali, induitur tunica, dalmatica, chirothecis, planeta et manipulo, ut mos est; deinde sacri ministri accipiunt manipulos et planetas plicatas et presbyter assistens pluviale. Diaconus se sistit a dextris celebrantis, subdiaconus a sinistris, et presbyter assistens a sinistris paulo ante subdiaconum.

Ingressus ordinandorum. 6 — Ordinandi, cum candelis *exstinctis* in manibus, presbyterium bini ingrediuntur, tradito ordine n. *122,* 5 et faciunt cruci, celebranti, et choro debitam reverentiam.

194 ART. II — OFFICIUM STATIONALE PRAEBAPTISMALE ET BAPTISMALE

Osculum altaris. 1 — Cum ordinandi ad loca sua pervenerint, celebrans, accepto baculo, ad altare accedit cum suis ministris et illud deosculatur, cum debita reverentia cruci ante et post; deinde redit ad sedem suam, sedet, reddit baculum et accipit gremiale.

Officium stationale. 2 — Cantores, incipientes a junioribus, cantant prophetias, et in fine manum celebrantis *non* osculantur; ante cantum genuflectunt ad crucem et faciunt reverentiam ad chorum post *Flectamus genua,* nisi cantandus sit tractus.

Celebrans, accepto gremiali, submissa voce legit prophetias et tractus, et, stans ad altare versus, canit orationes, librigero librum sustinente.

Benedictio fontis et aspersio 3 — Finito officio stationali, celebrans deponit vestes pontificales et accipit pluviale; ministri deponunt manipulos, et presbyter assistens recedit. Proceditur ad benedictionem fontis ut in missali; episcopus aspergit clerum, et tradit aspersorium parocho qui populum aspergit.

Baptismus et Confirmatio 4 — Administrabitur baptismus pueris et adultis si aderint, et laudabiliter adulti confirmabuntur ut in 1.ª parte huius tituli, n. *190,* 6, 7.

Processio et litaniae 5 — Reliqua omnia usque ad principium missae fiunt ut in 1.ª parte huius tituli, n. *190,* 8 ad 13.

❯ Si in ecclesia non aderit fons baptismalis, finito officio stationali, episcopus sedet ad faldistorium a latere epistolae et accipit mitram; minister de libro recedit.

Presbyter assistens in plano a latere evangelii dicit *Accedant omnes qui ordinandi sunt;* ordinandi in maioribus accedunt ad loca ubi se prosternere debent, et ordinandi in minoribus ac initiandi, si aderint, passum unum dabunt versus altare. Assistens deinde legit interdictionem, qua lecta, ordinandi in sacris remanent ubi sunt et alii recedunt ad loca sua. Sacri ministri ad scamnum dimittunt planetas plicatas et manipulos, et ad episcopum accedunt.

Episcopus vestes violaceas deponit, una stola excepta, ac iterum accipit annulum et induitur mitra. Presbyter assistens ad sacrarium vel ad chorum recedit, et episcopus, cum suis ministris utrimque, genua flectit ad faldistorium, quod ab acolythis in medio ante gradus altaris ponitur; ordinandi in sacris se prosternunt et ceteri genua flectunt.

Litaniae cantantur ut in ordinatione ad thronum hoc die habetur, et post litanias presbyter assistens cum pluviali albo ad altare redit.

195 ART. III — MISSA ET VESPERAE

Missa celebrabitur in faldistorio et ad altare ut in missali habetur pro sabbato sancto.

Cetera omnia fiunt ut in art. IV 1ae partis huius tituli, n. *191*, sed episcopus ad faldistorium sedet et non ad altare.

Non fit annuntiatio *Alleluia* celebranti.

Episcopus sedens ad faldistorium missae candelas ordinatorum accipit.

Diaconus incensat canonicos vel praelatos in choro, si adsint, deinde subdiaconum missae, postmodum neo-ordinatos in maioribus, et a thuriferario incensatur, qui incensat reliquos de choro et ordinatos in minoribus.

Episcopus ad faldistorium dimittit sacras vestes, postquam ordinati ad sacrarium discesserint; deinde, accepto habitu chorali, et facta oratione pro gratiis, consueto more discedit in pace.

PARS III

ORDINATIO LECTA

CAPUT I

PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

196 QUANDO PERMITTITUR. In triduo maioris hebdomadae missae privatae prohibentur. Rub. MR post feriam 4am maiorem. Prohibentur proinde etiam missae privatae ad ordines maiores conferendos, qui unice conferri possunt solemniter, D 2095. SRC ttamen permisit ut, justa et extraordinaria de causa, episcopus ordines maiores conferret intra missam lectam in sabbato sancto, dummodo missa fieret strice privatim in oratorio domus suae. DD 2375; 2616, II; 3044, I.

Ordines minores sine maioribus privatim conferre intra missam lectam in sabbato sancto nunquam licet.

CLERUS INSERVIENS idem est ac pro ordinatione lecta, n. *161*.

REGULAE SERVANDAE eaedem sunt ac pro ordinatione lecta, n. *162*.

Si celebret metropolita, crucem suam inde ab initio functionis habebit si maluerit ipse, et utetur sacro pallio, sed ad missam tantum.

PARENTUR

IN SACRARIO vestes pontificis et ordinandorum albi coloris.

ALTARE habebit antependium violaceum et subter aliud albi coloris; aderunt quatuor vel sex candelabra cum cereis, etiamsi celebret loci ordinarius.

SUPER ALTARI ponentur vestes pontificales violacei coloris, et ad latus epistolae baculus pastoralis; ad latus evangelii aderit mitra simplex, et sacrum pallium si celebrat metropolita.

FALDISTORIUM locabitur in plano versus latus epistolae, cum veste violacea, et subter alia alba ponetur; in infimo gradu altaris aderit pulvinar violaceum.

AD ABACUM aderunt caligae et sandalia albi coloris subter velo violaceo.

CETERA OMNIA parentur uti pro ordinatione lecta, n. *163, 165*.

CAPUT II

RITUS SERVANDUS

197 ART. I — OFFICIUM STATIONALE ET LITANIAE

Praeparatio

1 — Episcopus, in habitu praelatitio communi, ad suum oratorium accedit ubi, facta brevi oratione flexis genibus super pulvinare in infimo gradu altaris, sedet in faldistorio a latere epistolae, ubi suetam praeparationem ad missam legit, dum a cubiculario induitur caligis et sandaliis albi coloris; deinde deposita mozeta vel manteleto, lavat manus, et a suis capellanis induitur omnibus vestibus pontificalibus violacei coloris, ac mitra simplici.

Introitus ordinandorum

2 — Ordinandi accedunt bini in presbyterio, n. *166*, 5, sed cum candelis exstinctis in manibus, faciunt cruci et episcopo genuflexionem, et ad loca sua adeunt.

Officium stationale.

3 — Episcopus, accepto baculo, pergit ante gradus altaris, ubi, reddito baculo et deposita mitra, facit cruci altaris debitam reverentiam, capellani vero genuflectunt.

Episcopus ad altare ascendit, illudque osculatur, et se sistit ad missale ad latus epistolae, ubi legit totum officium stationale, videlicet prophetias, tractus ac orationes.

Chorus et ordinandi sedebunt dum episcopus legit phophetias et tractus, et stabit ad orationes.

Cum 1us cappelanus dicit *Flectamus genua,* omnes, episcopo excepto, genua flectunt, et assurgunt cum 2us capellanus dicit *Levate.*

Finito officio stationali, episcopus, accepta mitra et baculo, descendit directe ad faldistorium in medio ante gradus altaris, ubi sedet ac reddit baculum.

Vocatio ordinandorum.

4 — Capellanus 1us dicit *Accedant omnes qui ordinandi sunt;* ordinandi in maioribus se sistunt in medio presbyterio in loco prostrationis; ordinandi in minoribus et initiandi passum unum dabunt versus altare; deinde capellanus 1us legit interdictionem, et qui non sunt ordinandi in sacris recedunt.

Litaniae.

5 — Episcopus mitram, planetam, annulum, chirothecas, dalmaticam et tunicam deponit, et, iterum accepto annulo et mitra, assurgit; deinde, cum capellanis a lateribus suis, genua flectit ad faldistorium; ordinandi in maioribus se prosternunt, omnibus genuflectentibus; clerici duo in medio post ordinandos, vel a latere epistolae, recitant litanias minores huius diei cum duplicatione.

Acolythi sacras vestes violaceas episcopi ad sacrarium portant, et loco eorum super altari ponunt vestes albi coloris.

Ad *Peccatores* episcopus assurgit, sedet, dimittit mitram, annulum et stolam violaceam, et induit vestes pontificales albi coloris, et sacro pallio si sit metropolita, et accipit mitram.

Clerici qui litanias recitant attenti erunt ut versus *Ut omnibus fidelibus defunctis* dicatur cum episcopus indutus erit mitra post vestitionem.

Recitato versu supra, ministri libri et scotulae ad episcopum accedunt qui, ad ordinandos versus et accepto baculo, recitat super illos tres invocationes ut in PR sine duplicatione.

Episcopus iterum, reddito baculo, genuflectit cum suis ministris ad litanias complendas.

Tempore litaniarum ab acolythis antependium violaceum altaris et cetera vela violacea amoventur, et cum episcopus assurgit ad vestes albas induendas, vestis violacea faldistorii amovebitur; interim accenduntur cerei altaris, abaci et scotulae.

Finitis litaniis, omnes assurgunt, ordinandi in sacris ad loca sua redeunt et faldistorium amovetur.

198 ART. II — MISSA ET VESPERAE

Initium Missae

1 — Episcopus incipit missam cum ps. 42 *Judica me,* deinde ad altare ascendit illudque osculatur et recitat *Kyrie.*

Tonsura

2 — Si initiandi sint clerici, faldistorium ponitur super suppedaneum et episcopus sedet, accipit mitram et fit eorum initiatio ut in tit. V, n. *180.*

Gloria

3 — Episcopus, deposita mitra, surgit; et, amoto faldistorio e medio altaris, ibi recitat *Gloria.*

Ordines minores.

4 — Si promovendi sint clerici ad ordines minores, apponitur faldistorium et episcopus, sedens et accepta mitra et gremiali, ad ordinationem procedit ut in tit. V, n. *182.*

Collectae

5 — Episcopus, deposita mitra, assurgit, et se sistit ad missale, ubi legit collectam diei cum alia pro ordinandis sub unica conclusione.

Subdiaconatus

6 — Post collectas episcopus sedet ad faldistorium et, accepta mitra et gremiali, ordinat subdiaconos, ut in tit. II, n. *108,* sine cantu tamen, advertens ut post passum immediate legat admonitionem *Adepturi, filii dilectissimi.*

》 Si ordinandi omnes sint professi votorum solemnium, episcopus, finita vocatione a 1.° capellano, statim incipit ordinationem ab admonitione.

Epistola

7 — Episcopus, deposita mitra, surgit, et ad missale legit epistolam ipse solus.

Diaconatus

8 — Post epistolam, episcopus sedens, accepta mitra et gremiali, ordinat diaconos ut in tit. V, n. *169*.

Alleluia et versus

9 — Diaconis ordinatis, episcopus sine mitra surgens ad missale legit ter *Alleluia*, respondentibus capellanis, deinde dicit versum et 1am. partem tractus.

Presbyteratus

10 — Episcopus sedens accipit mitram et gremiale et ordinat presbyteros ut in tit. V, n. *171*.

2.ª pars tractus et evangelium

11 — Episcopus surgens sine mitra legit 2am partem tractus, et evangelium ipse solus sueto more ad latus evangelii, et deinde dicit *Dominus vobiscum* et *Oremus*.

Offertorium candelarum

12 — Episcopus, omisso offertorio, sedens ad faldistorium cum mitra pretiosa vel simplici et gremiali linteo, accipit offertorium candelarum.

Lotio manuum

13 — Episcopus, depositis chirothecis et annulo, lavat manus, et iterum accipit annulum et amovetur gremiale.

Concelebratio

14 — Episcopus concelebrat cum neo-presbyteris, si aderint, ut in tit. V, n. *173* habetur; attentus tamen erit ut dicat *Communicantes* et *Hanc igitur* de die, et ut omittat *Agnus Dei* et osculum pacis neo-ordinatis, dicens tres orationes communionis statim post *Haec commixtio*.

Communio

15 — Communio dabitur neo-presbyteris et ceteris ordinatis, et episcopus sumit purificationem et lavat manus, quae omnia fiunt ut in tit. V, n. *174*.

Ritus ad ordinationem presbyterorum complendam

16 — Sumpta purificatione et lotis manibus, episcopus sedens procedit ad ordinationem presbyterorum complendam ut in tit. V, n. *175*.

Vesperae diei

17 — Benedictione neo-presbyteris data, vel si nullus fuit ordinatus presbyter, post lotionem manuum, episcopus, sine mitra stans ad missale a latere epistolae, recitat vesperas alternatim cum suis capellanis et neo-ordinatis.

Finis Missae

18 — Episcopus, post *Dominus vobiscum*, recitat postcommunionem missae cum alia pro ordinatis sub eadem conclusione. In medio altari, dicto iterum *Dominus vobiscum*, dicit *Ite Missa est* cum duobus *Alleluia;* post *Placeat* dat benedictionem solemnem ut assolet, pro qua se praesentat crucifer cum cruce si celebrans sit metropolita.

Allocutio finalis et paenitentia

19 — Episcopus, sedens et ante se habens ordinatos, legit ultimam exhortationem ac imponit paenitentiam ut in tit. V, n. *176*, 6; deinde recedunt ordinati, exceptis neo-presbyteris.

Si celebrans sit metropolita, sacrum pallium deponit, n. *176*, 6.

Ultimum evangelium

20 — Episcopus cum neo-presbyteris recitat initium evangelii sancti Joannis, et in fine, accepta mitra et baculo, et facta cruci altaris reverentia, accedit ad faldistorium ad latus epistolae sicut ab initio, sedet et reddit baculum.

Discessus ordinatorum

21 — Ordinati, facta cruci altaris et episcopo genuflexione, discedunt ordine quo venerunt.

Gratiarum actio

22 — Episcopus, depositis sacris vestibus et acceptis choralibus, legit gratiarum actionem dum a cubiculario suo exuitur caligis et sandaliis et accipit calceos usuales.

Ultimo, facta oratione super pulvinar in infimo gradu altaris, discedit in pace.

TITULUS VII

DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS

199 Solemnia sunt verba juris: "In quovis conferendo ordine minister proprios ritus in PR... descriptos, *adamussim* servet, quos nulla ratione licet praeterire vel invertere". CJC 1002. Nullae habentur proinde rubricae directivae, uti vocantur, sed omnes sunt praeceptivae; tamen errare humanum est; errores vero, quantum fieri potest, corrigendi sunt. In primis juvat essentialia ordinationum cognoscere, de quibus breviter agendum per singula.

CAPUT I

DE ESSENTIA ORDINUM

200 CLERICATUS constat tonsione capillorum et benedictione electi in statu clericali (113).

ORDINES MINORES ET SUBDIACONATUS conferuntur traditione instrumenti ordinis, et benedictione electi in ordine recepto, ut sequitur (114):

Ostiariatus: traditione clavium, vel saltem unius clavis et invocatione *Deum Patrem omnipotentem* ordinis.

Lectoratus: traditione epistolarii et invocatione *Oremus, fratres carissimi*.

Exorcistatus: traditione libri cum exorcismis vel lectionibus, et invocatione *Deum Patrem omnipotentem* ordinis.

Acolythatus: traditione ceroferarii cum cereo et benedictione *Deum Patrem omnipotentem* ordinis. Vide notam 67.

Subdiaconatus: traditione calicis et patenae cum invocatione *Oremus Deum ac Dominum nostrum* (115).

Cum tamen recitatio formulae traditionis instrumenti ordinis proprii ab aliquibus habebatur ut forma ordinationis, in praxi habenda est ut forma.

DIACONATUS ET PRESBYTERATUS, ordines stricte maiores, ex institutione Christi vel saltem apostolica, constant impositione manuum vel manus, et oratione, seu benedictione electi in ordine recepto. Benedictiones habentur in PR in forma praefationum, tum pro diaconis tum pro presbyteris. Vide tit. I, c.x, n. *76* et *76*-A.

Cum tamen traditio calicis et patenae cum forma imperativa traditionis, a multis theologis antiquitus habebatur uti essentia presbyteratus, in praxi, quousque aliter a Sancta Sede declaretur, habenda est ut pars essentialis sacramenti.

201 QUOAD MATERIAM ET FORMAM OBSERVA:

1 — Materia et forma poni debent ab eodem ministro ad valorem ordinationis; proinde uti invalida habenda est ordinatio si instrumenta traduntur vel manus imponuntur ab alio, et non a pontifice ordinante. SO 1-8-1697.

2 — Materiam inter et formam adsit unio moralis; non tamen requiritur ut eodem tempore ponantur; sic in ordinationibus maioribus primo imponuntur manus singulis, deinde semel tantum recitatur forma; proinde uti valida habenda est ordinatio si formula traditionis instrumenti recitata fuit semel tantum ante vel post traditionem ejus omnibus ordinandis.

3 — Tactus instrumentorum et impositio manuum debet esse physicus, sed non necessario requiritur ut sit absolute immediatus; sic valet ordinatio si ordinandus habeat manus indutas chirothecis dum tangit instrumenta, vel si instrumenta sint aliquo velo cooperta; vel si ordinandus dum imponuntur manus habeat caput coopertum coma adscititia vel pileolo, vulgo *succhetto*.

CAPUT II

DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS TEMPORE ORDINATIONUM

202 1 — Si error vel omissio deprehendatur tempore ordinationum, corrigendus vel supplendus erit quando deprehenditur etiamsi mutetur ordo rituum ordinationis.

2 — Si pars aliqua ritus essentialis vel principalis omissa fuit, totus ritus erit iterandus, cum partes diversae ejusdem ritus nequeunt separari; sic si episcopus omisit recitationem formae in traditione instrumenti unius ordinis, debet iterum instrumentum tradere cum forma propria.

3 — Si defectus essentialis deprehendatur incepto offertorio, missa non erit interrumpenda ad defectum sanandum, sed totus ille ordo erit, finita missa, iterandus.

CAPUT III

DE ORDINATIONE ITERANDA

203 Ordinatio invalida est iterum per integrum absolute repetenda. Ordinatio dubia, licet in praxi tantum, est iterum per integrum sub conditione repetenda.

Quilibet episcopus potest ordinationem iterare. SO 17-1-1900; ASS vol. 32, pg. 557.

Iteratio ordinationis, sive absolute sive sub conditione, fieri potest etiam extra tempora. CJC 1007. *Extra tempora* intelligenda est non solum ad normam canonis 1006, § 3, id est, in dominicis vel festis de praecepto, sed etiam intra ferias hebdomadae, ne teneatur ordinatus permanere in statu dubiae ordinationis ad proprium detrimentum et ad scandalum fidelium.

Iteratio ordinationis, praesertim si adsit scandalum, secreto et privatim facienda est.

Si dubitetur utrum ordinatio maior debeat necne iterari, ad S. C. de Disciplina Sacramentorum recurrendum erit. CJC 249, § 3.

204 PRIMA TONSURA est iteranda si omissa fuit totaliter tonsio capillorum, non vero si quaedem ex quinque tonsionibus fuerit omissa. Si tonsuratus non recitaverit formulam *Dominus pars,* tonsura non erit iteranda, nam episcopus est qui ordinat. Si benedictio omissa fuit, totus ritus erit iterandus.

OSTIARIATUS erit iterandus si omissa fuit traditio saltem unius clavis, vel si omissa fuit invocatio.

LECTORATUS ET EXORCISTATUS erunt iterandi si omissa fuit traditio libri vel invocatio ordinis proprii.

ACOLYTHATUS erit iterandus si omissa fuit traditio ceroferarii cum cereo, vel invocatio.

Si omissa fuit traditio urceoli valet ordinatio, sed ad cautelam erit totaliter repetenda, cum juxta nonnullos etiam traditio urceoli pertineat ad essentialia ordinationis; nam sanctus Thomas dicit acolythum ordinari magis in acceptione urceoli (vacui) quam candelabri (cum cereo). Suppl. quaest. 38, art. I, ad 2. Vide notam 67.

205 SUBDIACONATUS erit iterandus si omissa fuit traditio calicis et patenae vel invocatio; non tamen si subdiaconus tetigerit patenam tantum et non calicem, vel vice versa, quia traduntur per modum unius. SO 17-1-1897, ASS vol. 29, pg. 703.

DIACONATUS erit iterandus absolute si omissa fuit physica impositio manus episcopi, vel invocatio cum praefatione; sub conditione vero si omissa fuit tantum formula *Accipe Spiritum Sanctum* (116).

206 PRESBYTERATUS erit iterandus:

A — Ex capite defectus impositionis manuum:

1 — Si utraque impositio manuum omissa fuit nulla est ordinatio, et erit absolute iteranda.

2 — Si omissa fuit prima impositio manuum, id est, physica impositio super quemlibet ordinandum successive, sed facta fuit secunda impositio, id est, collectiva, iteranda erit, sed sub conditione, cum certissime non constat impositionem manuum ex institutione Christi debere esse physicam.

3 — Idem dicendum si prima impositio facta quidem fuit, sed sine tactu physico. SO 19-8-1851; 4-VII-1900; et pluries. Si tamen tactus fuit physicus, sed caput ordinandi cooperta erat pileolo (succhetto) vel coma adscititia, nihil erit repetendum.

4 — Si facta fuit 1.ª impositio seu physica, et omissa 2.ª seu collectiva totaliter, iteranda erit ordinatio, sed sub conditione. SO 17-III-1897; 6-VII-1898; 19-VII-1899. Nihil tamen erit iterandum si 2.ª impositio facta quidem fuit, sed immediate ante vel post invitatorium *Oremus fratres carissimi,* et non *dum* illud recitatur.

5 — Impositio manuum nullo modo potest separari a forma seu a praefatione inde ab invocatione *Exaudi nos.* Nequit proinde suppleri, et si defecerit, tota ordinatio erit iteranda.

207 *B — Ex capite defectus traditionis calicis et patenae*:

1 — Si totaliter omissa fuit traditio calicis et patenae, ordinatio erit sub conditione iteranda, quousque aliter declaretur a Sancta Sede, vel potius recurrendum erit ad S.C. de Sacramentis. Idem dicendum si calix quidem porrectus fuit sed ab archidiacono vel ab alio.

2 — Si deerat hostia in patena vel vinum consecrabile in calice sub conditione iteranda est ordinatio. Ita censuit SO 6-VII-1898; II-I-1899; 17-I-1900 et S.C.C. 19-XI-1707; 11-II-1708. Consulto tamen recurrendum censemus ad SCS (117). Vide excursum n. *76*-A.

3 — Si tactus fuit tantum calix, vel patena tantum ab ordinando nihil erit iterandum, cum calix et patena traduntur per modum unius. SO 17-III et 7-IX-1897; 14-XII-1898.

4 — Item si tactus calicis factus fuit ante vel post prolationem formae ab episcopo, nihil erit iterandum, dummodo adsit unio moralis inter traditionem et formam. SO 17-III-1897.

5 — Item nihil erit iterandum si calix vel patena non esset consecrata, cum eorum consecratio nullibi requiratur. SO 28-I-1937. Eph. lit. 1937, pg. 61.

6 — Item nihil repetendum erit si calix tactus fuit mediante velo vel chirothecis, uti si sacerdos manuum infirmitate laboraret.

CAPUT IV

208 **DE RITIBUS SUPPLENDIS**

Si ordinatio fuit valida absolute et practice, incompleta tamen, ob omissionem ritus qui, ex praecepto Ecclesiae, poni deberet, ritus omissus erit supplendus, absolute vel sub conditione, prout certo aut dubie omissus fuit; spernenda vero erunt dubia simpliciter negativa.

Ritus suppleri possunt etiam extra tempora, id est, quocumque die, et secreto (CJC 1008), quamprimum, et a quocumque episcopo catholico.

Episcopus qui ritus omissos in ordinationibus maioribus supplere debet, id faciat intra suam missam lectam in suo privato sacello, sine vestibus pontificalibus, utetur tamen mitra dum supplet ritus tantum. SO 27-V-1840; 22-V-1841.

Ad supplendos ritus tonsurae et ordinum minorum episcopus id faciat ante suam missam lectam, vel etiam post missam, dempto manipulo. Independenter a missa episcopus habeat stolam circa collum, et accensae erunt candelae duae super altari.

209 NON SUNT SUPPLENDI :

IN OSTIARIATU : exercitium ordinis.

IN SUBDIACONATU : traditio urceolorum.

IN PRESBYTERATU : unctio manuum, si loco olei puerorum, episcopus usus fuit sancto chrismate, quod est majus. SO 22-VII-1874, ASS 30, pg. 157. Repetenda erit unctio si facta fuit cum oleo infirmorum (118). Vide tom. III, cap. VII.

IN OMNIBUS ORDINIBUS : vocationes, interrogationes, responsiones, partes scholae, paenitentia.

SUPPLENDI SUNT ceteri ritus omnes ac orationes ex praecepto Ecclesiae ponendi vel dicendae, et *nulla ratione licet eos praeterire.* CJC 1002; proinde supplendae sunt etiam vestitiones, quae positae sunt ad ordinationes complendas; supplenda est traditio epistolarii subdiaconis et evangelistarii diaconis.

NOTAE AD SECTIONEM II

(40) Ante codicem disputabatur utrum episcopus possit ordines minores conferre quolibet festo duplici, an tantum duplicibus festivis seu ferialibus, licet suppresso praecepto audiendi sacrum. Legebatur enim in PR *festivis diebus duplicibus ex praecepto*. Codex tamen verba *ex praecepto* supressit, antiquioribus editionibus PR se conformans. Unde dicimus, cum Catalano et aliis, episcopum posse ordines minores conferre die dominico vel quovis festo quod sub ritu duplici, licet a clero tantum, celebretur.

(41) Ordinationes tempore s. Leonis, ex positivo praecepto apostolico, celebrandae erant diebus dominicis, nulla habita differentia quoad diaconatum, presbyteratum et episcopatum. Lex Papae Gelasii vero, in decreto gratiano confirmata et postea a Concilio Tridentino iterum solemnius imposita, a prisca illa consuetudine recessit, instituens dies ordinationum. Primum statuerunt sabbata quatuor temporum, propterea septem habentur lectiones, quibus adjunxerunt sabbatum ante dominicam Passionis; posterius denique sabbatum Sanctum. CJC decretum Tridentini confirmavit, seu decrevit ordinationes fieri debere sex sabbatis ordinum. Sic enim fit ut iure hodierno ordinationes haberi liceat in initio, in medio (in hebdomade mediana) et in fine quadragesimae, sicut antiquitus fiebat, nam tempus jejunii et orationis ad clericos promovendos optime inservit. Vide Callewaert *La semaine* mediana *dans l'ancien Carême romain et les Quatre Temps.* Rev. Bén. 1924, p. 200, et in *Sacris erudiri* ejusdem, Abbatia sancti Petri de Aldenburgo, 1940, p. 561. Eph. lit. 1924, p. 256.

(42) Ante codicem solebat Sancta Sedes episcopis concedere privilegium ordinandi in dominicis et festis de praecepto, licet suppresso praecepto post Urbanum VIII; privilegium canonis 1006, § 3, tamen ex eo quod sit contra jus, est *strictae interpretationis;* sed, videtur extendi posse ad decem festa in universali Ecclesia servanda (CJC 1247, § 1) etiam in illis locis in quibus a servando praecepto dispensantur fideles; et ad festa de praecepto servanda ex indulto post codicem in ecclesiis particularibus.

Pontificia Commissio ad CJC interpretandum declaravit, die 15 Maiii 1936, verba canonis 1006, § 3 *festo de praecepto* non esse ad festa ab ipso codice suppressa extendenda. Attamen scitur codex non solum nulla festa suppressisse sed elencho festorum a Pio X edito in sua constitutione *Supremi disciplinae* (AAS 1911, pg. 305) adjunxisse dua, Corporis Christi videlicet et sancti Joseph. Supra dicta Commissio tamen declaraverat (AAS 1918, pg. 170) festa omnia quae in CJC non adnumerantur, quocumque modo vel loco sub praecepto servanda, fuisse ab ipso codice abrogata. De istis loquitur Pontificia Commissio. De festis ante CJC suppressis, sive

ab Urbano VIII sive a Pio X, nulla authentica interpretatio erat necessaria, cum jam non essent amplius festa de praecepto, seu illis diebus non licet ordinationes habere. D 2852 non amplius viget.

(43) In Statibus confoederatis Americae septentrionalis solent episcopi indultum impetrare ordinandi in sabbatis, extra tempora tamen. Ratio est quia paucae sunt ecclesiae et generatim implentur pro missis de praecepto audiendis. Putant ecclesiarum rectores ordinationes in die dominico multa incommoda secumferre pro illis qui sacrum audire tenentur, et proinde se illis opponunt. Hujusmodi indultum tamen rarius in dies conceditur.

(44) SCS ad dubium: "An mens sit legislatoris ut praescriptum canonis 1001 § 1 adamussim servetur etiam in casu in quo alicui omnes sacri ordines brevissimo tempore, ex. gr., spatio unius mensis, conferantur", die 2 Maii 1928 in *Romana et aliarum* respondit: "Stetur canoni 1001, § 1, id est, si qui inter semestre, vel etiam spatio unius mensis, ad plures ordines maiores promovendi sint, ordinarius poterit exercitiorum spiritualium tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen infra tres integros dies. Si vero sacri ordines... servatis servandis,... proximis diebus alicui conferantur,... praemissis semper sacro ordini, qui primus erit conferendus, spiritualibus exercitiis per sex integros dies, ceteris ordinibus, si fieri poterit, judicio episcopi, ad normam canonis 1001, § 2, una saltem dies spiritualis recessus praemittatur". AAS 1928, pg. 359.

(45) Licet munus presbyteri assistentis, episcopo pontificaliter celebrante, pertineat ad primam dignitatem (CE I, 7, 1; DD 284; 599; 2659, I, 1, 2), excepta feria sexta in Parasceve, tamen, juxta doctrinam communem auctorum et usum receptum, in oleorum consecratione assistens est ipse archidiaconus, qui hodie semper est presbyter. Ratio est evidens, nam, juxta PR archidiaconus debet inservire episcopo a dextris dum olea consecrantur, quod quidem fit intra missam; et si alius adesset assistens, deberet frequenter discedere, et locum suum archidiacono cedere, quod inconveniens est. Pro ordinationibus eadem valet ratio; nam juxta PR archidiaconus debet a dextris episcopi ministrare; proinde si alius adesset assistens, deberet tot vicibus locum suum alteri cedere, quod difficiles redderet caeremonias. Proinde dicimus archidiaconum esse etiam presbyterum assistentem. Quod quidem confirmatur decreto 1182 SRC et auctoritate Martinucci, qui dicit in sabbato Sancto officium presbyteri assistentis expleri debere ab archidiacono propter ordinationem eo die faciendam. MM vol. 3, pg. 559.

Juvat hic adnotare differentiam inter CE et PR. In PR archidiaconus est 1mus. minister episcopi, qui a sancto Thoma vocatur *quasi princeps ministerii* (Suppl. Quaest. 38, art. I, ad 2um.). Solebat archidiaconus cum amictu, alba et stola, sine dalmatica (PR De reconciliatione paenitentium) episcopo ministrare et functiones dirigere, quasi earum moderator. In CE 1mus. minister episcopi est presbyter assistens, et nihil refert quo nomine vocetur, est enim dignior inter pares (CE I. 7, 1); functiones a clerico ad hoc deputato diriguntur, et de archidiacono ne verbum quidem habes. Differentia haec explicetur ex eo quod PR tradit usum antiquum, decursu

temporum mutatum, et CE usum posteriorem. Forsan differentia haec inter libros liturgicos in definitiva editione PR solvatur, ad presbyterum assistentem munera archidiaconi (vel archipresbyteri in consecratione virginum) transferendo, nam 1ma dignitas capitulorum diversis nuncupatur nominibus. Nihil obstaret etiam si, in ecclesiis cathedralibus ubi canonicorum capitula desiderantur, dignitates archidiaconi vel archipresbyteri, de permissu Sanctae Sedis, instituerentur, adjectis pro unoquoque officiis vel honoribus.

(46) Praecedentia haec, regularibus concessa pro prima tonsura, data fuit a Benedicto XIII. Vide Card. Gasparri, o.c., n. 1011.

(47) PR tacet de colore vestium ordinandorum; rubrica appendicis dicit esse debere album, sicut in consecratione episcoporum; SRC tamen declaravit, et benequidem, vestes esse debere coloris missae (D 3832 II); sed quantum fieri poterit, nam ubi multi sunt ordinandi uniformitas coloris difficile servari poterit, excluso semper nigro colore, et utentur omnes vestibus simplicibus aequalibus.

(48) Pro clericis initiandis adhiberi nequit rochetum loco superpellicei; SRC saepius prohibuit usum rocheti, vel superpellicei cum manicis angustis ad instar rocheti, clericis qui privilegio rocheti non gaudent. DD 2993, V; 3438, VIII.

(49) PR supponit casum quo copia superpelliceorum non adesset pro omnibus tonsurandis, et dicit sufficere unum in casu; sed cum tonsurati tenentur postea missae solemni interesse, omnino necesse est ut unusquisque suum superpelliceum habeat, cum sine veste chorali non liceat choro interesse.

(50) Si tunicae vel dalmaticae deficerent, sufficeret, licet minime conveniat, unam tantum adhibere pro omnibus promovendis, qui eam acciperent, et statim dimitterent, proximo induendam. Ita etiam Durandus. Andrieu tome III, pg. 357 et 362.

(51) Omnino convenit adhibere albas et superpellicea simplicia et aequalia, pro quibus reticulata texticula minime requiruntur. Solent enim frequenter ordinandi adhibere albas et superpellicea ipsis oblata cum ornatis diversis, saepe minime liturgicis, quae nec omnes habent.

(52) Casulae adsint omnino pro omnibus presbyteris, quia celebrare debent. Ita etiam Durandus. Andrieu tome III, pg. 368.

(53) Experientia didicimus convenientissimum esse si parva mensa locetur prope thronum, praesertim si thronus sit a latere evangelii, in quo poni possit missale vel canon episcopi, candela, et gremiale. Verum est CE talem mensam admittere pro assistentia episcopi tantum (II, 18, 1); sed valde inconveniens est si minister de libro v.g., qui locum suum habet ad thronum, cum ibidem adest episcopus, saepius presbyterium totum perambulare teneatur ad missale quaerendum vel reponendum apud abacum a latere opposito. Id valet de aliis ministris insignium qui ad thronum inserviunt et non ad abacum.

(54) Pro ostiariatu solent adhiberi claves symbolicae sat amplae; minime necesse est uti clavibus ecclesiae, agitur enim de symbolo ut dicit Vidal (Jus canonicum,

de rebus, I, n. 289). Non requiritur proinde ut sint aptae ad aperiendum, sicut dixit SRC in decreto quodam, e nova collectione dempto propter verba *aptae ad aperiendum.* D 4565, VII, 1, antiquae collectionis. Antiquitus tamen claves ecclesiae revera tradebantur. Andrieu tome III, pg. 341.

(55) Non licet pro acolythis adhibere candelam episcopalem loco candelabri. D 2194, IV.

(56) In observantissima ecclesia metropolitana Westmonasteriensi genuflexoria lignea aequalia adhibentur pro presbyteris qui concelebrant cum episcopo, usus certe laudandus. In quibusdam locis, Galliae presertim, presbyteri genua flectunt in ultimo gradu altaris et parva missalia in manibus tenent, usus non laudandus, nam non solum facit ritus missae pontificalis vix exsequibiles, cum dignitati concelebrantium se opponit. De sacerdotibus assistentibus tacent rubricae, sufficiunt enim caeremoniarii, quorum munus est neo-sacerdotes in celebratione missae dirigere. In Urbe tamen hujusmodi sacerdotes assistentes semper adsunt.

(57) Simplicior evaderet praeparatio ad missam, si diaconi assistentes ad thronum, ibi remanerent usque ad lotionem manuum episcopi inclusive, et tunc ad chorum redirent cum presbytero assistente, ad sacras vestes induendas. In missa solemni festiva diaconi assistentes cum habitu chorali lotioni manuum episcopi inserviunt, qua finita, discedunt simul cum presbytero. CE II, 8 10. Secuti sumus tamen CE et jubemus diaconos assistentes vestes sacras induere in sacrario cum diacono missae, et, sacris vestibus indutos, lotioni manuum inservire. CE II, 8 §§ 4, 5, 6.

(58) Juxta MM deberent acolythi candelabra sustinere ad cantum orationis nonae, sed hoc proprium est officii solemnis, quando hebdomadarius, vel episcopus paratus, orationem cantat; hic episcopus non est paratus. Praeterea, juxta CE cantus horae minoris fit sine solemnitatibus in casu. CE II, 13, 2. Regula eadem est ac illa pro oratione dicenda in fine officii defunctorum. CE II, 10, 8.

(59) Juxta rubricam generalem de ordinibus conferendis, ordinandi se praesentare debent in ecclesia cum *candelis in manu accensis;* juxta rubricas uniuscujusque ordinis, ordinandi candelas habere debent, sed utrum accensas necne, tacent rubricae; pro traditione vero rubrica dicit *candelas accensas.*

Quaeri potest utrum ordinati candelas in manu habere debeant toto tempore ordinationis et quidem accensas ut docet MM (vol. 4, 37. 44); an vero tantum cum praesentantur, et ad offertorium? Respondet cl. De Herdt: "Postquam episcopo praesentati fuerint, candelae auferuntur... Impossibile enim foret, cum candelis in manibus sese prosternere, paramenta accipere, aliaque facere quae ad ordinationem concurrunt". *Praxis Pontificalis* vol. 3, n. 358. Sed deponuntur *finita* exhortatione, et non *dum* fit exhortatio sicut docet LVH; nam tempore exhortationis ordinandi intenti sint oportet verbis episcopi, et non caeremoniario candelas collecturo. Candelae tamen accensae sint ad ingressum et ad offertorium; cum vocantur ab archidiacono, sive collective, sive per ordines, ordinandi candelas habeant sed exstinctas, talis est enim praxis communior.

Nec approbari potest usus candelabrorum vel lignorum cum clavibus, ubi ordinandorum candelae reponuntur accensae toto tempore ordinationum. Id enim a rubricis PR nec praecipitur nec supponitur, neque ritui consonat. Vide notam 265 circa finem.

(60) Juxta PR, promovendi ad subdiaconatum tenere debent manipulum in manu sinistra; ita etiam praecipitur pro stola promovendorum ad diaconatum; practice hoc inconveniens est; propterea maluimus, cum MM et usu recepto, ordinandos manipulum et stolam super tunicam vel dalmaticam gestare, sinistra pectori apposita. Forsan quoad subdiaconos rubrica antiquum tradit usum de manipulo in sinistra manu ferendo. Vide, ex. gr., Rohault de Fleury, la Messe, tome VII, planche 576.

(61) Regula est generalis ut "quoties (episcopus) a sede, vel faldistorio ad altare accedit, illud in medio osculatur". CE lib. I, 19, 6. Hoc autem in ordinationibus, ceterisque functionibus PR fieri non solet, cum faldistorium in suppedaneo locetur ante adventum episcopi ad altare.

(62) Juxta rubricam MR omittenda est invitatio ad genuflectendum in sabbato Pentecostes, est enim ritus paenitentialis, qui tempore paschali locum non habet. Juxta PR tamen non videtur esse distinguendum. Habes proinde regulas diversas intra eandem caeremoniam, a SRC confirmatas. D 4164, Cft. notam 49, tomi II.

(63) De gremiali in ordinationibus tacent rubricae, excepto ubi de ordinatione unius ostiarii, sed principium est generale ut episcopus, pontificalibus vestibus indutus, accipiat gremiale quoties sedet, nisi sedeat ad momentum (CE I, 19, 2); proinde auctores docent gremiale adhiberi debere in ordinationibus, sicut, ut, videbitur inferius, in aliis functionibus quae fiunt intra missarum solemnia. Non tamen bene intelligitur cur MM facit episcopum gremiale dimittere cum accipit missale, calicem et alia instrumenta ab ordinandis tangenda; gremiale dimittit tamen pro ordinandorum vestitione quae cum eo fieri nequit. Facimus diaconum ministrantem gremiale ponere et auferre, juxta regulam romanam pro missa pontificali ad faldistorium.

(64) Juxta PR episcopus accipit de altari gladium et coronam regibus imponenda; ex altari etiam accipit pallium metropolitano tradendum; ex altari accipit diaconus librum evangeliorum. Est enim solemnis traditio, quae non caret mysterio; nam ex altari qui Christi figura est, eveniunt nobis omnia bona. Sed regula non est extendenda, nec a rubricis extenditur, ad omnia. Sic non praecipiutr a PR ut instrumenta ordinandis, vel episcopis consecratis, seu abbatibus vel aliis tradenda, ponantur super altari priusquam tradentur, sicut docet LVH.

(65) Instrumenta ab ordinandis tangenda commodius ponuntur in manibus vel super genua episcopi et accipiuntur a 1mo. caerimoniario, qui se sistit in plano vel in gradu a latere epistolae; cum abacus ordinandorum ponitur a latere epistolae, et diaconus stat in suppedaneo a latere evangelii, in praxi difficile est, primo instrumenta diacono tradere, ut ipse ea episcopo tradat. Si vero instrumenta, uti missale et alia, tradantur diacono, ut ipse ea episcopo praesentet (quando commode fieri potest) diaconus ea minime osculetur, cum tradit vel accipit.

(66) Servent lectores rationem tangendi instrumenta in hac expositione traditam.

1 — Quoad tactum seu potius traditionem clavium pro ostiariatu, ceroferarii pro acolythatu, calicis et patenae pro subdiaconatu, licet formula traditionis dicatur in plurali, tamen non omnes simul, seu bini vel terni, instrumentum tangunt, sed alius post alium, dum episcopus recitat formulam. Rubrica enim dicit clarissime *successive*. In praxi claves et calix nequeunt a pluribus simul recipi.

2 — Quoad traditionem libri lectoribus, exorcistis, subdiaconis et diaconis, duo vel tres tangunt librum, id est manum dexteram apertam super cooperturam libri ponunt. Rubrica pro subdiaconis, quae valet pro aliis, dicit clare *simul tangentibus*. Tactus foliarum, a quibusdam caeremoniariis requisitus, nec a rubricis praecipitur, nec ullo modo requiritur.

3 — Quoad subdiaconos, manu dextera tangere debent cuppam calicis circa basim, quasi illum arripientes. Rubrica enim dicit *tradit calicem cum patena superposita;* tactus patenae non praecipitur: patena enim res est secundaria relate ad calicem, et recipitur per modum unius cum calice. In figuris antiquis subdiaconi calicem circa basim tangentes depinguntur. Ed. Venetiis 1520 et 1572, *Pontifical services,* Alcuin Club, vol. III, pg. 19.

4 — Eadem ratione dicimus acolythum tangere debere ceroferarium circa basim, et non cereum. Nam, quando acolythus portat ceroferarium, manum cereo non apponit. In figuris antiquorum pontificalium, acolythus manum circa basim ceroferarii ponens figuratur. Hoc clarissime apparet in figuris appositis pontificalibus Venetiis editis annis 1520 et 1572, o.c. vol. III, pg. 17; et etiam in editione Romana Benedicti XIV, aliisque quamplurimis.

5 — Relate ad presbyteros, quaestio maioris momenti est, nam solent caeremoniarii exigere a novis presbyteris veluti exercitium artis magicae, videlicet ut, manibus totaliter aptatis, tangant una simul, non solum calicem et patenam, sed etiam hostiam superpositam! Tactus hostiae non praecipitur, sicut nec immersio digitorum in vinum. Rubrica facit presbyterum accipere patenam inter *indices et medios digitos,* ita ut cum reliquis digitis cuppam calicis tangat; quod impossibile est cum manibus per totum aptatis. Si rubricae voluissent ut sacerdotes calicem tangerent aptatis manibus, debuerunt id dicere, sicut dicunt de baculo episcopis tradendo; praeterea in antiquis figuris PR neo sacerdotes cum manibus *non ligatis* calicem et patenam accipere apparet; inter alia, editiones Venetiis editae annis 1520 et 1572, apud Alcuin Club, *Pontifical services,* vol. III, pg. 27; ed. Pii IV, anni 1561; ed. Clementina, anni 1595; praesertim ed. Benedicti XIV, Romae 1818, post typicam. Rubrica appendicis de ordinatione unius recens est et minoris auctoritatsi. De modo tangendi instrumenta optime scripserunt I. Hanssens S. J. in Periodica de re morali, canonica, liturgica, 1933, pg. 173, et Ivus Zeiger S. J. in Ephemeridibus liturgicis, 1934, pg. 255.

(67) In acolythorum ordinatione episcopus ordinandis tradit *urceolum vacuum;* urceolus hodiernus tamen est res nimis parva, et solent tradi urceoli duo vacui in

lance sicut hodie habentur, nam ad modum unius loquitur rubrica, dicit enim formula traditionis *ad suggerendum vinum et aquam,* proinde duos. Ita uterque urceolus a singulis tangi potest; vel qui a dextris tangat unum, qui ad sinistram alterum. Ratio discrepantiae inter rubricam et textum ex eo occurrit quod in antiquis libris pontificalibus legebatur *accipe urceolum ad suggerendum vinum;* postea (saeculo XII) additum fuit *et aquam,* nulla facta in rubrica modificatione. Leroquais, tome I, pg. LI. Sed frequenter urceoli duo tradebantur, ibidem, *planche* 87. Andrieu tome I, pg. 127. Vide rubricam in Pont. Leofric, Surtees So. vol. 61, pg. 310.

(68) In rubricis PR hoc loco, apparet maioris momenti esse traditionem ceroferarii quam urceoli, nam pro isto pontifex dicit formulam *communiter omnibus,* quod certe significat semel tantum. Sed etiamsi tum candelabrum tum urceolus uti materia ordinis habendi sint, sicut docet Card. Gasparri (de Ordinatione, n. 1025), et quem sequitur Many (de Ordinatione 286), unica recitatio formulae et successivus tactus sufficit; sufficeret etiam pro aliis ordinibus; pro ipsis presbyteris, primo successive habetur impositio manuum, deinde semel tantum verborum prolatio.

(69) Juxta rubricam PR, ordinandi se praesentant ad litanias cum candelis in manu dextera. In praxi hoc commode fieri nequit, nec utilitatem praesefert. Ita etiam censet LVH.

(70) Sacri ministri, stantes in suppedaneo, nequeunt convenienter adjuvare episcopum in vestitione ordinandorum, qui sunt genuflexi, praesertim si, propter exiguitatem suppedanei, flectere genua debeant in superiori gradu; propterea facimus caeremoniarios hinc inde stantes episcopum in vestitionibus adjuvare.

(71) Vestitio subdiaconi est ritus recensior, et posita fuit, una cum traditione epistolarii, in fine ordinationis. Congruentius ceterorum ordinum collationi esset, ordinationem subdiaconi benedictione potius quam vestitione claudere. Vide Leroquais tome I, pg. 409.

(72) Juxta PR, tum in 1.ª parte, tum in appendice, epistola et evangelium cani (seu dici) debent a modo ordinatis; nescitur cur dicat MM cani debere *vel* ab ipsis, *vel* a ministris altaris; talis optio nullo modo a rubricis conceditur. Agitur enim de vetusto Ecclesiae usu. Andrieu tome III, pg. 358 et 363. Nec distinguit rubrica inter unum vel plures ordinatos; proinde si unus tantum subdiaconus vel diaconus ordinatur, ab illo cantatur epistola vel evangelium. Distinctio a SRC proposita (D 2179, III) cum rubricis appendicis non componitur; sic enim se habent *Diaconus... si officium fieret in cantu, concinet evangelium.* Et *...a subdiacono novo cantatur epistola.* Sequimur rubricas appendicis, sunt enim sensui hominum communi congruentiores, et citato decreto posteriores.

(73) Exoptandum est ut in futura recensione PR episcopus mitram habeat pro impositione manus super diaconos sicut facit quando presbyteros et episcopos ordinat, evadit enim solemnior. Antiquitus Romae impositio manus fiebat ante orationem *Commune votum* et non intra praefationem. Andrieu tome I, pg. 133.

(74) Abusus esset plures esse sacerdotes quam stolas pro manuum impositione, ita ut illi qui manus singulariter imposuerint, stolas suas aliis traderent, ut et ipsi manus imponant. Tot sint sacerdotes manus impposituri quot stolae, et collectiva impositione inexpleta, nemo qui manus imposuit recedat.

(75) Numerus sacerdotum a rubricis non determinatur; duodecim dicimus, *et non plus*, est enim antiquum presbyterium in memoriam duodecim apostolorum, quod etiam num a PR pro oleorum consecratione praecipitur. Tres tamen semper requiruntur; ait enim rubrica *tres aut plures*, duo enim non faciunt capitulum neque presbyterium constituunt. Ita etiam legis in libro Durandi, qui jubet presbyteros accipere pluviale vel plenetam. Andrieu tome III, pg. 367. Vide tomum III, notam 5.

(76) Pro impositione manuum presbyteris, eos binos ascendere facimus, dicit enim rubrica *binis et binis* (sic). Solemnius erit tamen si singulariter ascendant, sicut fecerunt diaconi, quod si sint pauci ordinandi, certe licet et decet. Sed secuti sumus rubricam, quae forsitan in definitiva editione PR mutabitur.

(77) Impositio manuum presbyteris fit usque ad invocationem *Oremus, fratres carissimi* inclusive, juxta responsionem SRC D 2851; corrigendus est proinde index decretorum ejusdem Cogregationis, pg. 351, ubi dicitur manus debere extendi *donec* episcopus orationem *Exaudi* absolverit; nam in DD 3307 et 3274 nulla fit mentio de oratione *Exaudi*, et verbum *orationem* a SRC usitatum, intelligendum est de invocatione *Oremus, fratres carissimi* juxta D 2851.

(78) In nonnullis locis, loco lintei, ad manus novi presbyteri aptandas, solent adhibere vittam sericam, vel lineam, ornatam, quam ad collum aptant: certe abusiva usurpatio ritus consecrationis episcoporum.

(79) Offertorium candelarum fit ad thronum, vel ad faldistorium missae et non ad altare. Talis est enim modus a MM et LVH traditus quem secuti sumus. Eadem servabitur regula pro sequentibus functionibus 1mae. partis PR. Nam offertorium, tum in ordinationibus, tum in episcoporum consecratione vel benedictione abbatis et abbatissae, est res personalis, fit enim episcopo celebranti; rationabilius fit proinde ad sedem ejus. Praeterea episcopus, juxta CE, ad altare accedere debet tantum post lotionem manuum, et offertorium fit ante lotionem. His tamen non obstantibus, PR semper supponit traditionem donorum episcopo fieri ad altare.

(80) Quidam SRC consuluit utrum servari liceat consuetudinem tradendi episcopo unicam candelam pro omnibus ordinatis, ita ut eadem candela ab uno ordinato offeratur episcopo, ab eo tradatur diacono, a diacono caeremoniario, deinde altero ordinato et rursus episcopo offeratur, et ita usque ad ultimum. Nescimus cur talis usus, circulus omnino vitiosus, offerendi rem toties oblatam, tolerari potuerit, est enim contra rubricas PR, quibus stare debemus. D 2682, VII. Quod si ordinandorum numerus esset magnus, et candelae episcopo praesentarentur tantum a primo uniuscujusque ordinis, ceteri omnes deberent candelas gestare, cum in ecclesia vel episcopo praesentantur.

(81) Dicimus neo-ordinatos in sacris esse a diacono missae incensandos, quod erit servandum etiamsi diaconus missae sit canonicus in sua dioecesi seu praelatus; ratio est quia presbyteri concelebrant cum episcopo, et sacri ministri ordinati sacris sunt induti vestibus, et ex ipsis duo in missa pontificali epistolam et evangelium decantarunt; praeterea regula antiqua est ut a diacono incensantur illi qui pacem a presbytero assistente sunt recepturi; in missa ordinationum omnino incongruum videtur, et est, ut ordinati qui pacem ab ipso episcopo recipiunt, ab alio incensentur quam a diacono missae, quisquis sit ille. Cft. De Herdt, Praxis Pontificalis. Tom. I. n. 188 a; n. 200 f.

(82) Quaeritur an Ius diaconus et Ius subdiaconus, (vel, si sint pauci, omnes diaconi et subdiaconi ordinati) debeant osculari altare antequam accipiant pacem? Responditur affirmative; dicit enim rubrica PR (ubi de ordinatione presbyterorum versus finem) *Pontifex dat primo ex singulis ordinatis, cujuslibet ordinis sacri ad eum succesive accedenti, et altare prius ad dexteram pontificis deosculanti, pacem. Accedenti* et *deosculanti*, ut patet legentibus, se referunt ad omnes. Quod confirmatur rubrica appendicis de ordinatione unius subdiaconi: *uterque simul osculatur altare; subdiaconus tamen non ponit manus super altare, sed eas ante pectus plicatas retinet* (quod et de diacono intelligendum est). Regula CE (I, 24, 3) de omissione osculi altaris a diaconis assistentibus et sacris ministris non est ad ordinatos extendenda, ut volunt quidam, cum ipsi in casu a PR regantur; rubricarum contradictio apparet tamen.

(83) Quaeri potest utrum episcopus debeat necne recitare cum cantu *Misereatur* et *Indulgentiam* post *Confiteor*. Rubrica PR hoc loco loquitur de cantu; videtur tamen usus receptus esse ut dicantur sine cantu, uti alias quando intra missarum solemnia fit communio, juxta CE II, 29, 3.

(84) Re perspecta omisimus purificationem ordinandorum post communionem, de qua loquitur PR pro ordinatis in sacris; tum quia hic ritus passim obsolevit, tum quia hodie vix permittitur ut omnes ordinati se purificent ex eodem calice, et practice difficile est calices habere pro omnibus, praesertim si sint multi.

Ritus purificationis a PR non praecipitur uti proprius ordinationis vel concelebrationis, quia ordinati Eucharistiam sub specie panis tantum recipiunt, sed ut ritus communis pro omnibus. Etiam CE loquitur de purificatione pro clero et populo universo (II, 29, 4); quae quidem praescriptio, quae etiam in RR habebatur, fuit e novis editionibus RR deleta uti obsoleta. In missa papali ablutiones post communionem cardinalium diaconorum olim praeceptivae, accipiuntur tantum facultative, et generatim simpliciter omittuntur. Bucci-Rinaldi, De Missa solemni Summi Pontificis, Romae 1889, pg. 50.

(85) Juxta rubricam PR novi presbyteri recitare debent *Credo* statim ac episcopus intonaverit responsorium *Jam non dicam;* in praxi, cantus responsorii et recitatio una simul symboli fidei, fieri nequit; *Credo* recitatur proinde non *incepto* sed *finito* responsorio.

(86) Ante editionem PR a Durando exaratam, neo-presbyteri in Urbe promoti induebantur casula explicata. Andrieu tome I, pg. 136; tome II, pg. 345. Ritus induendi casulam in parte anteriori tantum, et retro involutam (quod tamen in ordinatione diaconi cardinalis in Papam electi nunquam fiebat. Ordo Gregorii X, Andrieu tome II, pg. 529), nullam explicationem habet, praesertim cum neo-presbyteri debent concelebrare cum pontifice, quo in casu requiritur casula, quae quidem revoluta, est res nimis deformis. Benedictini et alii nonnulli solent tantum inferiorem partem posteriorem casulae ad intus replicare, sicut fit pro casulis ministrorum in parte anteriori, est enim pulchrior solutio. Forsitan quidam putabant sacerdotium plene conferre tantum post ultimam impositionem manuum, ita ut sacerdotes celebrarent per participationem potestatis pontificis, et neo-presbyteri, sacerdotium plenum cum non accepissent, casulam totam explicatam habere non posse, aliam enim rationem invenire nequeo. Optandum ut in definitiva recensione PR ad usum antedurandianum et ad meliorem Urbis traditionem iterum deveniamur. Tamen, teste Leroquais, ritus induendi casulam ad scapulas exstabat ante Durandum saltem in aliquibus locis. Tome I, pg. LXXII.

(87) Juxta PR pontifex, accepta obedientia a presbytero, eum in facie osculari debet; juxta praxim passim nostris diebus receptam tamen sufficit amplexus. D 2682, XVII, SRC de osculo in dextera parte vultus, saltem multis in locis observari nequit.

(88) Juxta MM et LVH, quos sequimur, episcopus baculum retinet pro ultima admonitione *Filii dilectissimi,* post benedictionem finalem; sed hoc a rubrica non praecipitur; immo rubrica appendicis pro ordinatione unius dicit *Reddito baculo.* Nec videtur cur adhiberi debeat baculus pro hac ultima admonitione, contra regulam generalem pro aliis admonitionibus datam; paenitentiae impositio cum baculo optime intelligitur. Rubrica tamen, tam primae partis quam appendicis, jubet episcopum assumere baculum pro paenultima admonitione *Quia res.* Stricte loquendo episcopus adhibere deberet baculum in omnibus admonitionibus et invocationibus, pro quibus utitur mitra, cum sint correlativa, commoditatis gratia tamen ab usu baculi dispensatur a rubricis, quod confirmavit SRC D 2179, IV.

(89) Ad subdiaconatum et ad diaconatum promoti, nocturnum, id est, antiphonas et novem psalmos matutini, recitare debent feriae occurrentis, omissis aliis. D 4117. Haec recitatio nihil habet commune cum officio diei. Si ordinatio fit in dominicis, dicuntur novem psalmi dominicae cum suis antiphonis.

(90) Neo-presbyteri tenentur ad celebrationem trium missarum votivarum, diebus a rubricis permissis (D 2802, IV); earum applicatio eis relinquitur libera; laudabiliter tamen una ex ipsis dicetur ad intentionem sui ordinarii vel ordinatoris.

(91) Recens responsio commissionis ad CJC interpretandum, de baculo non adhibendo a cardinalibus archipresbyteris basilicarum maiorum Urbis, se refert ad functiones ordinarias et per annum, et non ad functiones PR pro quibus usus baculi praecipitur. AAS 1934, pg. 493.

(92) Vestitio episcopi in presbyterio non commendatur, nam chorus non est locus proprius vestitionis pro missa pontificali, propterea dicit CE (II, 8, 1). *Antiquae ecclesiasticae disciplinae consonum esse ut praeparatio ad missam et vestitio episcopi fiat in aliquo sacello seu secretario.* Verum est verba CE principaliter se referre ad missam pontificalem ad thronum; sed rationes eaedem sunt: vestitio ad altare non est privilegium ordinis pontificalis (comparatio cum vestitione pro missa lecta claudicat); vestitio ad altare minime concurrit ad splendorem ordinis pontificalis, nec ad fidelium aedificationem, praesertim cum episcopus debeat caligas et sandalia induere; praeterea functiones pontificales jam ex se protrahuntur, nec debemus fidelibus imponere obligationem assistentiae praeparationi et vestitioni episcopi. Solemnior evadit ritus si episcopus sacris vestibus paratus, cum suis ministris, ingressum habeat ad introitum, qui tunc revera est introitus. Vide notam 129.

SRC decrevit episcopum ad faldistorium celebrantem sine cappa pontificali vestiri debere in sacrario seu sacello (D 2010, I) et paucissimi episcopi qui celebrant ad faldistorium jus habent cappae. Tamen auctores quidam cum MM solvunt quaestionem per dimidium, et faciunt episcopum praeparationem facere in sacrario, ibique caligas et sandalia accipere, deinde ad altare accedere in habitu praelatitio cum ministris paratis (!) ut ceteras vestes pontificales induat. Sed hujusmodi partitio ejusdem ritus, seu initium in sacrario et complementum ad altare congruis rationibus non comprobatur, immo potius reprobatur.

(93) Fecimus ordinandos in choro intrare primum, et postea episcopum cum suis ministris; ratio est quia non agitur de introitu solemni seu processionali, quod cum non fiat pro ordinatione ad thronum, nec fieri debet pro ordinatione ad faldistorium.

(94) Juxta usum Archibasilicae Lateranensis, canonici manus impositcuri accipiunt stolam super cappam, et SRC talem usum approbavit, D 3059, XXIII. Verum est stolam exigere superpelliceum; sed agitur de exceptione legi generali, eo quod stola ad momentum tantum adhibetur, et valde inconveniens esset cappam deponere et accipere superpelliceum, et statim iterum deponere superpelliceum et induere cappam. Idem dicendum de canonicis qui mozeta utuntur et de praelatis qui utuntur manteleto. Gaudent enim ii in casu favore legis propter allatam rationem.

(95) Capellanus assistens 1mus mitram ponit et aufert, juxta regulam pro diacono ad altare; evadit commodius episcopo si sciat se debere semper versus dexteram aliquantulum se vertere quando ponere vel deponere debet mitram; nec minister de mitra ab uno ad aliud latus se conferre tenetur; propterea gremiale ponitur et amovetur ab eodem capellano assistente 1mo eo quod in functione solemni id fit a diacono ministrante.

(96) In missa lecta pontificali, quaenam regulae sequendae sunt a choro, missae solemnis an lectae? Regulae missae lectae sequendae esse videntur cum missa sit lecta. Sed invaluit usus sequendi regulas missae solemnis, et ita fieri debere docet MM, quem sequimur, quousque aliter declaretur a Concilio Sacris Ritibus praeposito. Sed non est necessarium ut sedeat chorus quoties episcopus se vertit ad altare ad lectiones vel alia breviter legenda, consulto stabit.

(97) Osculum evangelii ante introitum est ritus proprius missae solemnis pontificalis; PR tamen, cum agit de consecratione lecta episcopi, dicit consecratorem debere osculari altare et evangelium; quae quidem rubrica ab auctoribus et ab usu Ecclesiae Romanae ad ceteras missas lectas pontificales extenditur.

(98) Si ordinatio est lecta, omnia legenda sunt, nec fas est episcopo et cantoribus, quaedam pro libitu eligere ut cantu modulentur; sicut non licet missam celebrare partim in cantu, partim sine cantu. Quo tamen non obstante, mos invaluit hic et illic, etiam in alma Urbe, cantandi litanias in ordinationibus lectis. Ratio est quia ordinationes lectae in dies plus invaluerunt (deplorantibus liturgistis!), et si litaniae non cantantur, solemnis ritus prostrationis, maxima ex parte, ruit. Videtur consuetudo approbari posse quoad litanias, et etiam pro *Veni, Creator* dum ungantur manus presbyterorum. Exceptio minime est ad praefationes et ad alia quae in PR notas musicas habent extendenda. Ordinatio fit intra missam uti quid unum; quid proinde sibi vult cantus praefationum ordinationis, et recitatio praefationis missae, quasi missa sit ordinationi inferior.

(99) Juxta rubricas PR, hic et in aliis locis, si functio fiat sine cantu, episcopus ipse recitat litanias. Sed cantus litaniarum pertinet ad cantores; illae tantum invocationes quae personas vel res benedicendas vel consecrandas directe respiciunt ab episcopo sunt dicendae; nec mutant naturam si fiant sine cantu. Praeterea pondus ab episcopo ferendum sufficit, nec debemus ei superimponere, cum sufficienter fatigatur. Proinde, hic et in sequentibus ritibus lectis, facimus capellanos assistentes, vel clericos duos, loco cantorum, litanias recitare, ceteris respondentibus, nisi episcopus eas recitare maluerit.

(100) Ritus ordinationis compositi fuerunt pro functionibus solemnibus et frequenter invenies scopulos per viam, quando debes ritus solemnes ad lectos reducere. Sic cantus epistolae et evangelii sunt proprii missae solemnis; et si missa sit lecta, subdiaconi et diaconi non debent concelebrare cum pontifice, una cum eo epistolam et evangelium legentes. Rubricae clarissime loquuntur; dicunt enim *Interim per unum ex subdiaconis noviter ordinatis cantatur epistola. ...unus ex diaconus noviter ordinatis ...cantat evangelium*, quod a rubricis appendicis confirmatur. Praevalet proinde ratio contraria. Si officium non fit cum cantu unus subdiaconus et unus diaconus non recitant epistolam et evangelium. D 2682, IX, applicari potest ad lectionem privatam epistolae et evangelii, sicut modo diximus.

(101) Rubricae 1ae partis et appendicis PR ubi de communione presbyterorum, explanatione indigent, corrigenda est rubrica appendicis quae praecipit episcopum dicere consuetam formulam pro communione presbyterorum, nam ipsi eam jam una cum episcopo dixerunt.

(102) Rubrica generalis (de ordinibus conferendis) *quando autem Pontifex...* supponit episcopum *vel* conferre tonsuram et ordines minores una cum maioribus intra missarum solemnia, vel extra missam; rubricae appendicis tamen docent episcopum posse tonsuram et ordines minores conferre: 1) intra missam lectam juxta ordinem missae solemnis; 2) ante vel post missam; 3) independenter a missa. Quaeritur quinam sit modus magis juxta sensum liturgicum? LVH dicit ordines minores conferendos esse extra missam, quia, ait, nulla datur relatio missam inter et ordines minores, ex eo quod oratio pro ordinandis in missa omittitur. Argumentum nimis probat, quia si ita esset, ordines minores nunquam deberent conferri intra missam. Sed contrarium videtur verum; nam ordines tum maiores tum minores conferuntur ad sacram liturgiam celebrandam; proinde intimum nexum habent cum missa. Praeterea, si ordines minores dari debent intra missam quando una cum maioribus conferuntur, cur non cum dantur sejunctim ab illis? Proinde dicimus *valde convenire* ut tum tonsura tum ordines minores conferantur intra missam lectam episcopi, quando sine ordinibus maioribus conferendi sunt.

(103) In PR frequenter invenies psalmos, antiphonas, responsoria, ad ritus concomitandos, sicut fit in conlatione tonsurae. Hujusmodi cantus destinantur ad cantores, minime ad episcopum, et supponunt functiones solemnes juxta intentionem illorum qui ritus ordinavere. Quando functiones istae fiunt privatim sine cantu, auctores nec semper scivere quid facerent de canticis; Martinucci et alii faciunt episcopum partem chori recitare antequam incipiat ritum; sed erronea solutio est pontifici tribuere quae ad eum non pertinent. Praestat autem eas partes vel omitti, si desint cantores, vel sine cantu a duobus clericis loco cantorum extra altare recitari. Haec ultima solutio, uti magis consentanea ritibus, praefertur hic, et in ceteris ritibus PR.

(104) Si neo-clerici et promoti ad ordines minores, candelas suas episcopo offerre debent quando ordinantur una cum illis qui ad ordines maiores fuerunt promoti, cur non si seorsum ordinantur? Non videtur ratio destinguendi. Propter quod dicimus donationem candelarum semper fieri debere a clericis et ab ordinatis in minoribus, sive intra, sive extra missam fiat eorum ordinatio.

(105) Non videtur episcopus mitra uti debere in missa lecta, in qua conferuntur ordines minores ex eo quod missa sit lecta; exceptionem fecimus pro benedictione finali, cum debet statim sedere cum mitra. De hac re nihil edixit SRC; D 4035, III, de mitra non adhibenda intra missam lectam, non se refert ad missam ordinationum.

(106) Osculum pacis est ritus proprius missae solemnis; in ritu ordinationis pertinet ad ordines maiores, sicut facile comperiri potest ex cognitione rubricarum tum 1ae partis tum appendicis PR, quae nullam mentionem faciunt de pace danda promotis ad ordines minores, et clare loquuntur de ordinatis in sacris. Quod comprobatur ex eo quod osculum pacis omitti debet quando tonsura et ordines minores conferuntur intra missam lectam sine ordinibus maioribus. In ordinatione solemni tonsurati et ordinati in minoribus recipiunt pacem sicut ceteri omnes in choro. Proinde dicimus in ordinatione lecta ordinatos in sacris tantum pacem recipere debere juxta rubricas.

(107) Juxta CE (II, 23, 3.) laudabiliter episcopus ipse benedicit ignem: sed id obstat quominus ritus jam prolixus facile expediatur, utpote episcopus deberet

quater sacras vestes sumere vel mutare. Proinde facimus ignem ab alio sacerdote benedici, quod CE minime opponitur.

(108) Juxta CE (II, 27, 11) episcopus pro recitatione horae nonae habet assistentiam sacrorum ministrorum in albis; hoc tamen non est consentaneum ceteris partibus CE, cum sacri ministri parati non assistant ad thronum pro horis officii, praesertim si episcopus non sit paratus, et nulla assistentia ipsi datur pro horis canonicis in triduo maiori; praeterea statim finita nona sacri ministri discedunt (juxta MM) et diaconi assistentes inserviunt praeparationi. CE passim statuit ut episcopus praeparationem faciat atque sandaliis induatur dum dicitur officium, quod praesertim in sabbato Sancto fieri convenit propter multiplicationem officiorum diei; praeterea regula CE hujus loci nec Romae servatur, et ab illa discessimus.

(109) MM et LVH statuunt ut ordinandi loca sua in choro occupent ante adventum episcopi, ut officio lucernari intersint. PR tamen dicit clarissime *Officium* (id est, officium ordinationis) *incipitur a prima prophetia;* ordinandi proinde ingressum habent tantum post vestitionem episcopi ante prophetias.

(110) Mandat MR ut litaniae decantentur *revertentibus sacerdote et ministris ad altare,* et non *reversis;* agitur enim de processione, in qua litaniae solent duplicari; sed juxta CE (II, 27, 19) litaniae debent incipi postquam omnes ad altare pervenerint. Tradimus modum Missalis et Memorialis rituum a SRC confirmatum. D 3108, X.

(111) Intimatio generalis fieri nequit post litanias in quibus ordinandi benedicuntur, sed nec ante benectionem fontis, cum qua nulla est conjunctio, at certe omitti nequit; silent auctores; damus modum plus ritibus diei conformem.

(112) Docet MM, quem sequitur LVH, debere presbyterum assistentem librum sustinere cum episcopus canit invocationes super electos; sed hoc ab ipsis non praescribitur quando agunt de ordinatione solemni extra sabbatum Sanctum; praeterea per totam ordinationem pontificale nunquam sustentatur a presbytero assistente, cujus officium est librum sustinere ad thronum et non tempore ordinationum, quibus haud ministrat.

(113) Card. Gasparri (op. cit., n. 1014) et Many (op. cit., n. 292) dicunt verba *Dominus pars* etc. a clerico recitanda pertinere ad essentiam clericatus, sed id non probant; contra, materia et forma poni debent ab eodem ministro; nam Ecclesia est quae ordinat et non clericus; proinde dicimus formam consistere in benedictione seu confirmatione electi in statu clericali; non ita facile tamen determinari potest quaenam e quatuor orationibus ritus habenda sit ut essentialis; Durandus vocat 1mam. *Oremus, fratres carissimi* "praefatio ad clericum faciendum". Andrieu tome III, pg. 336.

(114) Diximus ordines inferiores conferri traditione instrumenti proprii ordinis et benedictione electi in ordine recepto, sed observa:

A — *Quoad traditionem instrumentorum*:

Traditio clavium, uti hodie habetur, est ritus mere symbolicus cum claves ecclesiae de facto non traduntur, ergo saltem pro ostiariatu traditio instrumenti solum *secundum quid* dici potest materia ordinis; praeterea nec semper claves ab episcopo tradebantur, sed ab archidiacono. Canonistae ponunt materiam acolythatus in traditione ceroferarii *et* ampullae. Ita recentissime Cappello (de sacra Ordinatione, n. 152), qui tamen id supponit, non probat, sicut nec Card. Gasparri vel Many, quos sequitur. Sed contrarium eruitur ex antiquis codicibus, ubi fere semper legitur ceroferarium tradi ab episcopo, ampullae ab archidiacono, sicut hodie fit pro subdiaconis. Cft., inter alios, Pont. Eccl. Eboracensis, 1502, Surtees So. vol. 61, pg. 11. Rarius etiam ceroferarium ab archidiacono tradebatur, et id etiam supponit Angelicus, Suppl. quaest. 38, art. 1, ad 2um. Ita Pont. Leofric. Surtees vol. 61, pg. 310; Pont. Eccl. Mediolanensis, ed. Magistretti, pg. 37.

Ex iis enim licet concludere traditionem instrumenti habitam fuisse, ab illis qui ritus construxerunt, ut actionem minus principalem, quae poni poterat ab uno ex assistentibus episcopi. Doctrina postea a scholasticis introducta de necessitate materiae et formae in sacramentis, et quae in re dijudicata transivit, traditionem instrumenti ita exaltavit ut ad essentiam ordinum pertinere ediceret; sed hoc longe distat ab illis qui ritus efformavere.

B — *Quoad formam*:

In antiquis pontificalibus formula traditionis instrumentorum non erat forma ordinationis, simpliciter ex eo quod vel aliquando deerat vel instrumenta ab archidiacono dabantur dum episcopus ordinabat; aliis locis formula, quae generatim recitabatur communiter omnibus, erat indefinita, ut forma PR pro traditione calicis subdiaconis. E contra, tota solemnitas dabatur orationibus quibus clerici benedicebantur in ordine recepto, et quae solebant cani a consecratore in tono praefationis, ad instar ordinum maiorum, sic invocatio *Deum Patrem omnipotentem* vocatur *ordinatio* acolythorum a multis codicibus. Vide Pont. Ecclesiae Eboracensis, Surtees So. vol. 61. Sanctus Thomas hac de re dicit *acolythus accipit characterem* (lege ordinem) *ex verbis episcopi.* Ibidem.

Conclusio est obvia: ordines inferiores constabant essentialiter in oratione Ecclesiae, qua electus confirmabatur in tali ordine; materia erat, ex parte subjecti, voluntas se ecclesiasticis officiis mancipandi; in hoc sensu verba *Dominus pars* quae a neo-clericis dicuntur, dici possunt materia clericatus. Circa Ordines Minores scripsit cl. Andrieu *Les ordres mineurs dans l'ancien Rit romain, Revue des Sciences religieuses,* 1925, pg. 232, quod tamen prae manibus non habuimus.

(115) Subdiaconatus antiquitus erat ordo minor; in jure actuali habetur uti maior, sed quoad obligationes tantum; quoad compositionem ritus, similis est ordinibus minoribus; quoad officia, deficiente subdiacono, suppleri possunt a clericis in minoribus, licet cum quibusdam restrictionibus. D 4181, I, II. Proinde non bene intelligitur cur Many (op.cit. n. 284, 5.°), qui recte ponit subdiaconatum cum ordinibus inferioribus, et dicit orationem *Domine sancte* esse complementum formae, rectius diceret invocationem, doctrinam suam mutet, cum agit de aliis ordinibus inferioribus; dicit enim *verba vero relativa* (traditionis) *constituunt formam sufficientem, etiam*

independenter ab orationibus antiquissimis quae sequuntur. O.c. n. 286, 2.°. Vide notam supra.

(116) Scholastici non pauci putabant sacramenta conferri debere cum formulis imperativis, et ita explicatur introductio in saeculo XII formae *Accipe Spiritum Sanctum* quae habetur in ordinationibus maioribus, et quae relationem nullam habet cum ministerio tradendo; nam ante saeculum XII impositio manus, diaconis et episcopis, fiebat sub silentio, sicut servatum fuit a PR pro presbyteris. Id non valet dicere formulas *Accipe Spiritum Sanctum* nullam significationem habere, quod certe contra Concilium Tridentinum esset (Sess. XXIII, De sacramento ordinis, canon 4); nam revera vult Ecclesia, praeter characterem ordinis, etiam copiosam gratiam Spiritus Sancti ministris suis concedere, juxta gradum hierarchicum uniuscujusque, ut apti inveniantur fungi sanctissimis suis officiis.

(117) Diximus dubia de valore ordinationis presbyterorum propter defectum tactus calicis exponi debere SCS quia fere omnes responsiones hac in re sunt saeculi elapsi, et hodie doctrina de essentia ordinationis per manuum impositionem evasit communis, et proinde moraliter certa, praesertim post publicationem egregiae dissertationis Cardinalis Van Rossum. Hodie vix erit qui defendat necessitatem hostiae super patenam vel vini in calice ad valorem ordinationis, sed SO in eorum defectu praecepit iterare ordinationem. Quidam etiam SO consultaverunt an iteranda esset ordinatio si omissa fuit infusio aquae in vino; et alii utrum iteranda esset ordinatio si copia aquae esset nimis ita ut dubium adesset de statu vini.

Ante constitutionem SCS dubia de ordinationum validitate dirimebantur a SO. Prae oculis habendae sunt responsiones ejus, quae licet semper datae pro casibus particularibus, sunt tamen normae agendi in similibus. Responsiones romanarum congregationum hac de re in unum collegit optimo consilio F.X. Hecht S.J. apud Periodica de re canonica, morali, liturgica, 1934, pg. 73 ss. Vide etiam Bouscaren *Canon Law Digest*, vol. II, pg. 240 ss.

(118) Contrarium censebat cl. Card. Gennari (Il Monitore eccl., t. X, p. II, pg. 164); oleum sanctum de quo loquuntur antiqui pontificales non erat oleum infirmorum sed puerorum, quod vocabatur simpliciter oleum sanctum. Contra Many, op. cit. n. 301, 2. Martène, tomus II, pg. 23; lib. I, c. 8, art. 9, n. 14.

SECTIO III

DE EPISCOPORUM CONSECRATIONE

SECTIO III
DE EPISCOPORUM CONSECRATIONE
TITULUS I
PROLEGOMENA
CAPUT I
DE MINISTRO PRINCIPALI ET DE COADJUTORIBUS CONSECRATIONIS

210 MINISTER CONSECRATIONIS episcopalis est episcopus consecratus. CJC. 951.

Episcopalis consecratio Romano Pontifici reservatur, ita ut nulli episcopo liceat quemquam in episcopum consecrare, nisi prius constet de mandato apostolico. CJC. 953.

Romanus Pontifex aliquando sibi ipsi de facto reservat consecrationem electi in episcopum, utpote quando electus intra patres cardinales almae suae Ecclesiae vel familiae suae adnumeratur, seu quando, specialis benevolentiae argumentum, aliquem consecrare determinat. Ex regula tamen fere generali, Summus Pontifex in bulla nominationis vel confirmationis electo tribuit facultatem eligendi episcopum gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentem a quo extra Urbem sacrari velit.

Quando agitur de consecratione episcopi suffraganei, usus est receptus ut consecratio fiat a metropolita, nisi justa causa aliud suadeat (119).

In Urbe episcoporum consecrationes unice fieri possunt, ex recepto usu a quo non licet recedere, a S.R.E. cardinalibus episcopali charactere auctis, qui ad id deputantur vivae vocis oraculo Summi Pontificis (120).

211 COADJUTORES CONSECRATIONIS, qui a PR assistentes vocantur, ex eo quod sunt assistentes electo, sunt etiam coconsecratores (121); nam, ex vetusto Ecclesiae usu, electus in episcopum non nisi a tribus episcopis consecrari potest.

Coadjutores duo adhibeantur (122) qui sint inferioris dignitatis hierarchicae relate ad consecratorem, et pro regula habeatur ut sint episcopi tantum, et non loci ordinarius vel metropolita; si vero consecrator sit S.R.E. cardinalis, etiam archiepiscopi, extranei vel titulares, invitari poterunt.

Quilibet episcopi consecrati, gratiam et communionem cum Sancta Sede habentes, invitari possunt ad officia assistentium obeunda.

Si Summus Pontifex consecret, coadjutores assumuntur e collegio assistentium pontificio throno vel e familia sua.

Coadjutores seligere pertinet ad consecratorem, qui tamen agere solet juxta mentem consecrandi.

Dissitis in locis, vel tempore persecutionum, aliquando a Sancta Sede conceditur indultum consecrandi episcopum sine coadjutoribus (123), dummodo, adhibita diligentia, coadjutores vel saltem unus coadjutor haberi nullo modo potest; semper tamen sacerdotes duo, vel unus si unus adest episcopus, agunt co-consecratorum ad instar.

CAPUT II

DE SUBJECTO CONSECRATIONIS

212 IDONEITAS — Antequam quis in episcopum assumatur, constare debet, secundum modum a Sede Apostolica determinatum, eum esse idoneum. CJC 330.

Ut quis idoneus habeatur, debet esse:

1 — Natus ex legitimo matrimonio, non autem legitimatus etiam per subsequens matrimonium;

2 — Annos natus saltem triginta.

3 — A quinquennio saltem in sacro presbyteratus ordine constitutus.

4 — Bonis moribus, pietate, animarum zelo, prudentia, ceterisque dotibus praeditus, quae ipsum aptum efficiant ad gubernandam dioecesim de qua agitur.

5 — Laurea doctoris vel saltem licentia in sacra theologia aut jure canonico potitus in athenaeo aliquo vel in instituto studiorum a Sancta Sede probato, vel saltem earundem disciplinarum vere peritus; quod si

ad religionem aliquam pertineat, a suis superioribus maioribus vel similem titulum vel saltem verae peritiae testimonium habeat.

Electus, praesentatus vel quoquo modo ab illis designatus, qui privilegio a Sancta Sede concesso eligendi, praesentandi, seu designandi gaudent, debet memoratis qualitatibus pollere.

Judicare num quis idoneus sit, ad Apostolicam Sedem unice pertinet. CJC. 331.

213 JUSJURANDUM — Consecrandus emitttere debet professionem fidei coram delegato Apostolicae Sedis. CJC. 1406, § 1, 3.º. Professio emittenda ea est quae habetur in initio CJC, seu Pii Papae IX, adjecta alia de modernistarum doctrinis Pii Pape X. AAS. 1910, pg. 669; SO. 22 Martii 1918. AAS. 1918, pg. 136. In locis ubi adest nuntius, internuntius vel delegatus apostolicus, coram eo fit fidei professio, nisi aliter a Santa Sede declaretur.

Insuper consecrandus emittere bedet jusjurandum fidelitatis erga Sanctam Sedem secundum formulam ab ea probatam. CJC. 322, § 2. Formula recepta ea est quae habetur in initio ritus consecrationis electi in episcopum (124), et solet emitti coram delegato Apostolicae Sedis una cum fidei professione et non immediate ante consecrationem.

In Urbe fidei professiones duae emittuntur apud Congregationem Concistorialem; jusjurandum fidelitatis vero coram S. R. E. cardinalibus cancellario et primo diacono.

In jurejurando episcopi locorum ordinarii dicant:

Apostolorum limina singulis quinquenniis..., vel, si degant extra Europam, dicant... *singulis quinquenniis, vel saltem alternis quinquenniis...* CJC. 341.

❯ Si una cum bulla nominationis mittatur formula specialis pro jurejurando fidelitatis, ea erit adhibenda loco formulae PR.

CAPUT III

DE TEMPORE ET LOCO CONSECRATIONIS ET DE JEJUNIO SERVANDO

214 TEMPUS — Nisi legitimo detineatur impedimento, promotus ad episcopatum, etiam si S.R.E. sit cardinalis, debet, intra tres menses a receptis apostolicis litteris, consecrationem suscipere. Cons. Trid. s. XXIII, c. II. CJC. 333.

Episcoporum consecrationes fieri debent diebus dominicis vel natalitiis apostolorum. Excluditur Dominica in Ramis Palmarum, nam officio diei difficile adjungitur consecratio episcopalis; eadem ratione excluditur festum Purificationis B.M.V., quando incidit in dominica. Minus conveniens est episcopos consecrare in dominicis Adventus et Quadragesimae cum consecratio sit ritus festivus.

Festa in quibus commemorantur mysteria vitae apostolorum, uti Conversio sancti Pauli vel Cathedra sancti Petri non sunt apostolorum natalitia.

Consecrationes episcoporum fieri nequeunt diebus natalitiis evangelistarum Lucae et Marci nec sancti Barnabae; nec diebus de praecepto servandis vel de praecepto suppressis, sine speciali indulto apostolico. D. 4304, I, II, III.

Non nunquam petentibus conceditur indultum recipiendae consecrationis in festis solemnibus Domini vel de Beata infra hebbomadam occurrentibus.

Dissitis in locis vel tempore belli solet concedi electo privilegium consecrationis via telegraphica, priusquam litterae apostolicae, jam publici juris factae, ad manus ejus pervenerint.

215 LOCUS — In Urbe episcoporum consecrationes fieri debent in ecclesiis consecratis (D. 5), vel in capella apostolica, generatim Xystina, si fiant a Summo Pontifice.

Extra Urbem consecratio episcopi suffraganei fieri debet in sua ecclesia cathedrali (125), vel in provincia, id est, in ecclesia metropolitana, sed si commode fieri potest, seu causa proportionata excusat. PR h. l. Conc. Trid., s. XXIII, c. II. Unde consecratio fieri debet in ecclesia consecrata, cum de jure ecclesiae cathedrales consecrari debent. CJC. 1165, § 3. Si consecratio justa quadam de causa fieri nequit in ecclesia cathedrali, seligenda erit alia ecclesia, quantum fieri poterit principalis loci et consecrata.

Episcopi titulares in quacumque ecclesia vel oratorio, etiam semipublico consecrari possunt, sed laudabiliter seligatur ecclesia consecrata, juxta regulam antiquam Urbis.

216 JEJUNIUM — Pridie consecrationem consecrator principalis et electus convenienter jejunant. PR.

TITULUS II

DE SOLEMNI CONSECRATIONE AD THRONUM UNIUS ELECTI IN EPISCOPUM

217 Consecrator erit altioris gradus hierarchici quam electus, videlicet:

1) S.R.E. cardinalis. Vide tit. VI, c. II, n. *286*.
2) Metropolita in tota sua provincia.
3) Nuntius vel delegatus apostolicus in loco suae legationis.
4) Episcopus loci ordinarius.

❯ Si electus sit loci ordinarius vel metropolita et consecrator S.R.E. cardinalis vel nuntius seu delegatus apostolicus, omnia fiunt ut infra.

❯ Si electus sit in sede sua, sed nondum capta possessione, habetur uti extraneus, et omnia fiunt ut infra, etiamsi sit metropolita et pallium in Urbe receperit.

❯ Si electus sit loci ordinarius vel metropolita, et consecrator episcopus vel archiepiscopus extraneus, titularis vel suffraganeus, vide tit. VI, c. IV, n. *289*.

CAPUT I

CLERUS CONSECRATIONIS

218 ADERUNT:

Episcopus consecrator.
Episcopi co-consecratores duo.
Presbyter assistens.
Diaconi assistentes.
Sacri ministri.

Magistri caeremoniarum tres:
1us pro consecratore.
2us pro electo cum suis assistentibus.
3us pro ministris et clero.
Cruficer, si celebret metropolita.

Ministri insignium quatuor:
pro mitra, baculo, libro et scotula.

Ministri ad abacum quatuor:
acolythi duo, thuriferarius et minister de gremiali.

Familiares episcopi tres:
Secretarius.
Caudatarius.
Cubicularius.

Schola, vel saltem cantores quatuor.

PRO UNOQUOQUE CO-CONSECRATORE:
Capellani duo pro mitra et pontificali.

PRO ELECTO:
Clerici ad abacum ejus duo, seu capellani.
Secretarius vel cubicularius.

PRO ELEVATIONE SACRAMENTI:
Clerici quatuor, sex vel octo (vide res parandas).

❯ Si frequens aderit clerus assistens deputentur caeremoniarii qui curam de eo habebunt.

CAPUT II

REGULAE SERVANDAE

219 Mitra — 1 — CONSECRATOR utitur mitra e tela aurea simplici toto tempore consecrationis, deponenda dum canit praefationem cum oratione introductoria *Propitiare, Domine*, et ad primam stropham hymni *Veni, Creator* tantum; deponit etiam pro benedictione insignium et vestium electi, si pridie benedictae non fuerint. Consecrator stat sine mitra toto tempore inthronizationis, seu inde ab intonatione hymni *Te Deum* usque ad benedictionem ab electo dandam inclusive.

Mitra pretiosa adhibebitur, dummodo color diei non sit violaceus, ad missam et ad offertorium tantum.

Baculus — 2 — Utitur baculo etiamsi non sit loci ordinarius; tempore consecrationis vero baculus adhibebitur pro cantu invocationum ad litanias tantum.

Intonationes — 3 — Intonat hymnum *Veni, Creator* et antiphonam *Unguentum in capite* ante unctiones; hymnum *Te Deum* et antiphonam *Firmetur manus tua* tempore inthronizationis.

Cantus — 4 — Canit in tono feriali totam praefationem et in tono litaniarum invocationes tres ad litanias; in tono simplici orationum canit invocationem *Oremus, fratres carissimi;* introductionem ad praefationem *Propitiare, Domine,* et orationem *Deus, omnium fidelium* cum suis versibus post *Te Deum*.

Recitationes clara voce — 5 — Cetera omnia recitat clara voce sine cantu, videlicet: interrogationem cum *Deo gratias* et examen ante initium missae; admonitionem *Episcopum oportet;* verba *Accipe Spiritum Sanctum;* formulas unctionum capitis et manuum; formulas benedictionum et traditionum insignium et vestium.

Positio manuum — 6 — Manus extensas ante pectus habebit ad cantum praefationis tantum; pro orationibus et benedictionibus manus junctas ante pectus tenebit.

Quomodo se vertit — 7 — Vide regulas pro ordinationibus datas, n. *81, 7*.

Abstensiones — 8 — Non recitat partes scholae.

Responsiones — 9 — *Amen,* ceteraeque responsiones dicendae post unctiones, traditionem instrumentorum vel vestium, dicuntur ab electo. Responsiones in cantu fiunt a schola.

220 Vestes — 1 — CO-CONSECRATORES utentur manteleto tantum et caudam habitus talaris suspensam habebunt.

Mitra 2 — Ipsi sibi mitram imponunt et auferunt. Tempore consecrationis mitram deponunt pro postulatione; reliquo tempore eam accipiunt vel deponunt una cum consecratore.

Recitationes 3 — Submissa sed clara voce recitant quidquid tempore consecrationis legitur et canitur a consecratore (126), incipientes ab examine, videlicet:

1) *Antiqua sanctorum patrum* usque ad finem examinis.
2) Instructionem *Episcopum oportet*.
3) Invitationem *Oremus, fratres carissimi*.
4) Benedictiones tres ad litanias.
5) *Accipe Spiritum Sanctum*.
6) Orationem *Propitiare, Domine* cum tota praefatione.
7) Formulas et orationes unctionum capitis et manuum.
8) Formulas traditionis baculi, annuli, evangelistarii, chirothecarum et mitrae.

Benedictiones 4 — Benedicunt electo quoties consecrator id facit.

Abstensiones 5 — Non recitant partes missae, partes scholae, benedictiones insignium et vestium nec formulas et orationem ad inthronizationem.

Locus 6 — Ad altare electi 1us. se sistit a dextris ejus, seu a latere epistolae; 2us. a sinistris seu a latere evangelii. Sedentes ad scabella loca sua mutant et 1us. sedet a latere evangelii, 2us. a latere epistolae.

Ad altare maius 1us. se sistit ad scabellum a dextris electi, 2us. ad scabellum a sinistris ejus.

Dum se sistunt a lateribus consecratoris loca sua mutant seu 1us. stat a dextris ejus et 2us. a sinistris.

221 ASSISTENTES NON EPISCOPI, qui specialissimo indulto apostolico aliquando adhibentur, servabunt eodem modo rubricas PR D 3014, III. Proinde etiam manus imponunt, formulas omnes ac orationes recitant, osculum pacis recipiunt.

Quantum fieri poterit, sint in dignitate infulata constituti, id est, sint protonotarii vel abbates benedicti, ut possint uti mitra.

Si assistentes presbyteri alias usu mitrae non gaudeant, nequeunt illa uti pro consecratione, ratione officii. D 3834.

Assistentes presbyteri sunt testes tantum sine intentione consecrandi electum, cum nequeant dare quod non habent; prolatio formae et impositio manus in casu fit solum ratione ritus et concomitantiae.

222 ELECTUS tonsuram aperit ad diametrum octo centimetrorum; utitur habitu praelatitio cum manteleto tantum et caudam habitus talaris non expedit; crucem pectoralem induit post examen; annulum accipit a consecratore ut suo loco dicetur; bireto et pileolo violaceo utitur cum ad ecclesiam accedit, sed utrumque deponit post lotionem manuum; pileolum induit in fine missae cum accepturus erit mitram.

223 INTHRONIZATIO ELECTI, si sit metropolita, vel loci ordinarius, vel episcopus usu throni gaudens, jure communi vel speciali privilegio, fit ad thronum.

Si electus sit episcopus titularis, vel residentialis extra propriam dioecesim, vel si consecratio Romae peragatur, inthronizatio fit ad faldistorium.

Inthronizatio episcopi qui sit vicarius generalis, auxiliaris, vel coadjutor, fit semper ad faldistorium.

224 PRESBYTER ET DIACONI ASSISTENTES tempore consecrationis ad loca sua in choro recedunt, vel, si non aderit chorus, sedere poterunt ad scamnum ministrorum: 1mo. loco presbyter assistens: 2.° loco (in medio) 1us. diaconus; 3.° loco 2us. diaconus, consulto a latere evangelii propter altare electi a latere epistolae positum.

Deficientibus diaconis assistentibus, supplebunt sacri ministri. CE. II, 27, 14. D. 3114, III.

225 SACRI MINISTRI servabunt regulas pro ordinationibus datas, n. *83*.

226 CAPELLANI ET MINISTRI INFERIORES transitum consecratorem inter et electum sive assistentes devitent.

Cruci altaris electi qui ibidem inserviunt, profundam capitis inclinationem conficiunt, id est, cum modica humerorum.

Ministri insignium et abaci sequntur regulas pro ordinationibus datas, n. *86, 87*.

Capellani assistentium: 1mi. inserviunt de mitra et 2di. de pontificali.

Capellani electi duo: 1us sustinet evangelistarium super caput ejus; 2us. inservit de pontificali.

227 **CHORUS**, dum fit consecratio, sedet, assurgit, genuflectit, prout facit consecrator, stat tamen ad postulationem initialem, dum electus praestat jusjurandum et cum fiunt unctiones capitis et manuum; non assurgit ad benedictiones litaniarum. Tempore missae sequitur regulas missae pontificalis.

228 **PULSATOR ORGANI** a pulsatione abstinebit toto tempore consecrationis et concelebrationis ad altare.

CAPUT III

DE PRAEPARANDIS

229 COLOR : pro utroque altari et clero : diei ; pro electo : albus (127).

ART. I — IN SACRARIO

PRO SACRIS MINISTRIS :

Amictus duo; albae duae cum cingulis; stola diaconalis; tunica et dalmatica; bireta duo.

PRO DIACONIS ASSISTENTIBUS :

Dalmaticae duae cum amictibus et bireta.

PRO PRESBYTERO ASSISTENTE :

Pluviale cum amictu et biretum.

PRO SUBDIACONO CRUCIFERO si celebrat metropolita :

Amictus; alba cum cingulo; tunica.
Crux hastata.

PRO MINISTRIS INSIGNIUM :

Superpellicea quatuor; pluvialia quatuor; vela serica duo.

PRO CLERO UNIVERSO :

Superpellicea et libri parvuli cum ritu consecrationis.

PRO THURIFERARIO :

Thuribulum cum navicula.
Vasculum aquae lustralis cum hyssopo.

PRO ELEVATIONE SACRAMENTI :

Funalia sex vel ad summum octo in solemnitatibus; quatuor tantum in dominicis per annum.

230 ART. II — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI

Genuflexorium coopertum tapeto viridis coloris cum pulvinaribus ejusdem coloris, vel violacei si tempus id requirat. Hinc inde retro post genuflexoria tria aequalia cum pulvinaribus duobus in unoquoque pro assistentibus et electo, ejusdem coloris ac pulvinaria consecratoris, vel pulvinaria tria tantum.

Cum episcopi pergunt eo ad orandum, ante et post functionem, accendentur cerei sex altaris.

231 ART. III — IN PRESBYTERIO

ALTARE ornabitur serico pallio et tobaleis tribus; super ipsum aderunt candelabra septem cum cereis, vel sex si celebrans non sit loci ordinarius, et crux; super gradus ejus et in presbyterio sternentur tapeta.

A latere epistolae, facie ad latus evangelii, laudabiliter apponetur parvum suppedaneum, ad altitudinem suppedanei altaris, quo consecratus possit commode missam celebrare et genuflectere.

SUPER ALTARI PRO CONSECRATORE :

Planeta, chirothecae in lance; dalmatica; tunica; stola; alba cum cingulo; amictus; in solemnitatibus formale in lance et pluviale super tunicam; quae omnia gremiali cooperiuntur.

A latere evangelii mitra pretiosa, et a latere epistolae mitra simplex; si color diei sit violaceus aderit mitra simplex tantum a latere evangelii.

Baculus pastoralis aderit a cornu evangelii.

Si celebret metropolita :

Sacrum pallium serico velo coopertum, in lance a latere evangelii altaris; spinulae tres in altera lance.

THRONUS suis vestibus ornatus et scabella tria.

SUPER ABACO MISSAE a latere epistolae alba tobalea circumcirca cooperto :

Candelabra duo acolythorum cum cereis.

Calix et patena cum duabus hostiis, duobus purificatoriis et palla, coopertus velo; desuper bursa cum corporali.
Velum subdiaconi.
Patena alia cum cochleari inaurato pro communione.
Ampullae vini et aquae in pelvicula.
Patera praegustationis.
Calix cum vino et purificatorio pro electo.
Urceus cum pelvi.
Manutergia quatuor in lance.
Campanula.
Caligae et sandalia in lance velo cooperta.
Canon pontificalis.
Breviarium chorale pro cantu capituli tertiae.
Missale cum suo legili vel cussino.
Epistolae et evangelia cum manipulo episcopi.
Formula indulgentiarum.
Scotula cum candela.

SUPER ABACO CONSECRATIONIS alba tobalea circumcirca cooperto:

Ritus consecrationis in folio.
Epistolae et evangelia in folio.

PRO UNCTIONIBUS:

Vasculum sancti chrismatis in lance.
Gossipium solutum in lance.
Mappula linea oblonga, super caput electi firmanda.
Mappula linea oblonga altera maior, circa collum imponenda pro manuum unctione.
Gremiale linteum.
Citreum vel medulla panis in lance.

ELECTO TRADENDA:

Baculus pastoralis, parieti appositus.
Annulus in lance.
Mitra e tela aurea simplici.
Chirothecae in lance.

Vasculum aquae lustralis cum hyssopo, si huiusmodi res erunt benedicendae, super abaco apponetur a thuriferario post introitum consecratoris.

A LATERE EVANGELII si celebret metropolita:

Basis pro infigenda cruce.

SUPER SCAMNO a latere evangelii:

Manipuli diaconi et subdiaconi.

IN MEDIO ANTE GRADUS ALTARIS:

Faldistorium consecrationis sua veste coopertum cum pulvinari.

AD USUM ASSISTENTIUM ET ELECTI:

Pulvinaria quatuor: tria ponentur in plano presbyterii: duo a sinistris faldistorii et unum a dextris pro oratione cum ad ecclesiam accedunt praelati.

SUPER CANONICORUM SUBSELLIA:

Pluvialia, planetae vel dalmaticae juxta ordines cum amictibus.

AD CANCELLOS PRESBYTERII:

Candelabra sex vel octo cum cereis.

PROPE ALTARE:

Scabella tria. Sed si altare electi erit prope altare maius, sufficiunt scabella altaris electi.

232 ART. IV — AD CAPELLAM ELECTI

Versus latus epistolae, ubi commodius juxta loci dispositionem, parabitur capella electi, quae constat altari cum suppedaneo et abaco. Si vero prope presbyterium aderit altare minus immobile, licet extra ambitum presbyterii, ibi convenientissime parabitur capella electi. Vide n. *234*, 1.

ALTARE ornabitur tobaleis tribus et serico pallio. Desuper ponentur candelabra quatuor cum cereis et crux: aderit ara sacra si altare non sit consecratum; coram altari sternetur tapetum.

SUPER ALTARI PRO ELECTO :

Manipulus; planeta; dalmatica; tunica; crux pectoralis; pluviale; stola; alba cum cingulo; amictus.

SUPER ALTARI PRO COADJUTORIBUS :

A latere evangelii pro seniore : pluviale; stola; amictus; mitra alba simplex.

A latere epistolae pro juniore : pluviale; stola; amictus; mitra alba simplex.

ANTE ALTARIS GRADUM :

Scabella tria aequalia.

SUPER ABACO a latere epistolae altaris, alba tobalea cooperto :

Canon pontificalis.
Missale cum legili.
Ritus consecrationis in quarto, tres.
Mandatum apostolicum.
Forma specialis jurisjurandi, si erit adhibenda, intra canonem.
Caligae et sandalia in lance, cooperta velo albo.
Urceus cum pelvi.
Manutergia duo in lance.
Gossipium solutum in lance.
Purificatorium ad unctionem capitis abstergendam.
Medulla panis et citreum in lance.
Vela serica duo pro capellanis de mitra.

PRO OFFERTORIO CONSECRATORI :

Funalia duo.
Panes duo in lance.
Barilia vino plena duo.

233 ❯ Si consecratio fiat in dominicis Adventus (excepto III) vel Quadragesimae (excepto IV), sacri ministri, diaconi assistentes, crucifer si aderit, et canonici diaconi vel subdiaconi, utuntur planetis plicatis; planetae plicatae diaconi et subdiaconi et stola lata diaconi super scamnum locentur.

❯ Si hora tertia cantetur in vestibus choralibus, sacra indumenta canonicorum parentur in sacrario, ad chorum transportanda post tertiam.

❯ Si consecrator se vestit in secretario, sacrae ejus vestes, acolythorum candelabra, epistolae et evangelia cum manipulo, canon cum scotula, urceus alter cum pelvi et manutergium alterum in lance, ac breviarium chorale, ibidem praeparentur; canonicorum vestes parentur in sacrario; pulvinaria quatuor aderunt a latere epistolae, sicut etiam faldistorium.

234 QUOAD RES PRAEPARANDAS OBSERVA :

1 — CAPELLA ELECTI. Cum electus debet ad capellam suam caligas et sandalia induere et deponere, caput tergere, comas ordinare, et alia facere quae consultius non fiunt coram populo, altare ejus convenienter locabitur extra ambitum oculorum populi.

2 — ABACI. Juxta PR abacus electi erit minor et prope altare ejus, est enim pars capellae suae, et non ad latus evangelii, nisi ibidem aderit altare ejus. Prope abacum missae aderit alius minor pro consecratione, cum tot res difficile parari poterunt super unico abaco; praeterea facilius et maiore cum ordine evolvitur ritus, si res consecrationis ponantur separatim a rebus missae.

3 — VESTES SACRAE. Casula electi erit simplicior quam ea quae a consecratore adhibetur.

Pluvialia et stolae assistentium erunt aequalia et simplicia; eorum mitrae in Romana Curia erunt lineae; extra Curiam esse possunt e serico damasceno. Vide notam 23.

4 — INSIGNIA ET VESTES ELECTO TRADENDAE. Expedit ut baculus, annulus, mitra et chirothecae benedicantur pridie consecrationem, quae quidem benedictio fieri potest a consecratore vel a sacerdote ad hoc delegato. Benedictio harum rerum tempore functionis difficultates non paucas secumfert, cum episcopus deberet pluries surgere, mitram et gremiale deponere, iterum sedere, et denuo mitram assumere.

5 — OFFERTORIA. Intorticia solent tradi maiora, videlicet altitudinis unius metri et quatuor librarum, possuntque figuris diversis exornari. Panes solent involvi, unus charta inaurata, alter charta argentata, cum stemmatibus consecratoris et electi, et solent esse formae rotundae. Bariola erunt plena vino, unum inauratum, aliud argentatum, cum stemmatibus consecratoris et electi ad extremitates.

6 — VITTAE seu mappulae duae pro capite et manibus electi cum accipit unctiones, sint e tela linea et non sericae; quae ad caput apponitur erit longitudinis unius metri cum dimidio et latitudinis viginti centimetrorum; quae circa collum ponitur erit longitudinis duorum metrorum et latitudinis triginta centimetrorum; ambae apponuntur plicatae in latitudine circa dimidium. Sex aliae mappulae minores de quibus loquitur PR adhibentur pro abstersione capitis et manuum electi post lotiones et unctiones, sed tres, et purificatorium pro abstersione capitis, sufficiunt (128).

7 — HANC IGITUR. Intra canonem consecratoris et missale electi ponentur chartulae cum oratione *Hanc igitur* ab uno et altero dicenda prout in PR legitur, sed in Dominicis Resurrectionis et Pentecostes et per octavas oratio erit sequens:

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offerimus pro his quoque quos regenerare dignatus est ex aqua et Spiritu Sancto tribuens eis remissionem omnium peccatorum, ac etiam pro hoc famulo tuo vel me famulo tuo, cetera ut in PR.

CAPUT IV

RITUS SERVANDUS

ART. I — PRAEPARATIO AD CONSECRATIONEM

235 A — CONSECRATOR SE VESTIT IN SECRETARIO

In solemnitatibus, vel in Apostolorum natalitiis et dominicis per annum, extra Adventum, Septuagesimam et Quadragesimam, consecrator se vestit in secretario, ibique canitur hora tertia juxta regulam CE II, 8, 2, cui rubricae PR minime se opponunt (129).

Adventus consecratoris.

1 — Post primam, dato signo a caeremoniarum magistro, et accensis candelis altaris secretarii, ssmi. Sacramenti et electi, clerus ecclesiae ibit ad januam vel ad domum episcopalem ad consecratorem consociandum, qui de more pergit ad ecclesiam cum cappa pontificali, vel eam ad ingressum induit; et, facta aspersione, pergit ad altare ssmi. Sacramenti, et demum ad secretarium.

Ad ingressum consecratoris festivo more sonentur sacra aera turris et pulsentur organa.

Adventus assistentium et electi.

2 — Paulo postquam consecrator ad secretarium advenit, intrabunt in ecclesiam episcopi assistentes cum electo et suis familiaribus, ad cujus januam recipientur a caeremoniario 2.° cum rectore ecclesiae et a clericis ipsis ministraturis; rector ecclesiae dabit aspersorium tangendum seniori assistenti, deinde juniori assistenti, demum electo.

Assistentes et electus, praeeuntibus suis familiaribus vel capellanis si aderint, pergent ad altare ssmi. Sacramenti hoc ordine: 1us. assistens in medio cum 2.° assistente a dextris et electo a sinistris suis.

Ad altare ssmi. Sacramenti assistentes et electus genua flectunt ordine quo venerunt; deinde, facta oratione, ad capellam electi *directe* transeunt, et, facta reverentia cruci altaris ab omnibus, electus sedet ad scabellum in medio altari positum, cum seniore episcopo a dextris et juniore a sinistris; clerici cum familiaribus se sistunt ad abacum.

Ad secretarium.

3 — Consecrator incipit horam tertiam, quae cantabitur a canonicis sacris vestibus indutis; interim facit praeparationem ad missam et accipit caligas et sandalia. Postea, lotis manibus, sacras accipit vestes pro fine horae tertiae. Finito officio et deposito pluviali, pontifex ceteras vestes pontificales induit et, si sit metropolita, in sua provincia etiam Pallium assumit; deinde fit introitus solemnis consecratoris cum toto clero, et omnia fiunt de more, sacri ministri tamen non accipiunt manipulos.

Ad capellam electi

4 — Capellanus ejus 1us. cum canone ante electum se sistit, qui sedens legit submissa voce praeparationem ad missam ipse solus. Interim secretarius electi ad eum accedit cum capellano suo 2.°, caligas et sandalia in lance ferente. Secretarius, extractis calceis communibus electi, ei imponit caligas et sandalia missae, primo in pede dextro, deinde in sinistro, quo facto, recedit cum capellano 2.° (130). Andrieu, tome III, pg. 633, n. 4.

Electus, repetita antiphona *Ne reminiscaris,* assurgit cum suis assistentibus cum biretis in manibus, et recitat versus et orationes; iterum sedent et caput cooperiunt; electus recitat orationes vestitionis submissa voce, advertens ut omittat orationes pro chirothecis, mitra et annulo, quae

recitabuntur postea a consecratore; lectis orationibus, recedit capellanus de libro.

Electus deponit biretum et manteletum quae seorsim reponuntur, et, reassumpto bireto, manus lavat, ministrantibus suis capellanis, 1us. cum manutergio, 2us. cum urceo et pelvi, et, finita lotione, ministri recedunt.

Electus deponit biretum et pileolum, quod cum mitra reponitur; interim capellani ejus duo accipiunt successive sacras vestes; 2us. induit eum amictu, alba cum cingulo, stola more sacerdotali, et pluviali, demum ei tradit biretum.

Dum electus incipit vestitionem, episcopi assistentes deponunt biretum, crucem pectoralem et manteletum, quae a suis capellanis seorsum reponuntur, et, ipsis ministrantibus, induunt amictum, crucem pectoralem, stolam, pluviale et mitram, quam sibi ipsi imponunt.

Introitus consecratoris. 5 — Assistentes et electus apud scabella sua sedentes exspectabunt introitum processionis consecratoris.

Sacristae faldistorium in medio suppedanei locant.

Processio consecratoris de more introitum habebit in presbyterium, et omnes, facta reverentia vel genuflexione cruci altaris, ad loca sua accedunt; quod si transeant ante electum cum suis assistentibus eis reverentiam non conficiunt.

Cum crux processionalis presbyterium intrat, electus cum bireto in manu et assistentes cum mitra in capite assurgunt.

Consecrator cum suis assistentibus salutat episcopos, si transit ante eos, secus non; electus et assistentes, retenta mitra, profunda capitis inclinatione salutationi consecratoris respondent.

Ante gradus altaris presbyter et diaconi assistentes recedunt in linea retro post episcopum; diaconus se sistit a dextris ejus et subdiaconus a sinistris; episcopus, reddito baculo, una cum sacris ministris et suis assistentibus, facit cruci altaris profundam reverentiam, ministri inferiores vero genuflectunt.

Pontifex, medius inter suos ministros, ad suppedaneum ascendit, et sedet in faldistorio, et ministri loca sua mutant; quod si utatur mitra pretiosa, ea exuitur a diacono, qui eum induit mitra auriphygiata, et deinde gremio ejus imponit gremiale.

Ministri de libro et scotula et caudatarius ad loca sua se sistunt; ministri de mitra et de baculo versus latus epistolae; presbyter

et diaconi assistentes recedunt ad loca sua in choro vel ad scamnum ministrorum.

Clerici de abaco ponunt scabella tria in medio ante gradus altaris, ita ut scabellum electi sit aliquantulum retro post scabella assistentium.

236 B — CONSECRATOR SE VESTIT IN PRESBYTERIO CUM CANTU TERTIAE.

Si consecratio fiat in dominicis Adventus et Quadragesimae, vel in dominicis tempore Septuagesimae, vel etiam, ex indulto, in aliquo festo duplici, consecrator se vestit in presbyterio, ibique canitur tertia in vestibus choralibus. **CE II, 13.**

Adventus consecratoris. 1 — Subdiaconus missae paratus, sed sine manipulo, vel etiam sine casula plicata, si erit adhibenda, se confert ad scamnum in choro ante consecratoris adventum.

Post primam, dato signo a magistro caeremoniarum, et accensis candelis altarium, maioris videlicet, electi et ssmi. Sacramenti atque abaci, canonici et clerus ibunt ad consociandum episcopum, ad januam ecclesiae; si celebret metropolita, aderit crucifer ejus.

Episcopi assistentes et electus conveniunt in ecclesiam ante adventum consecratoris, et se adjungunt clero ad januam ecclesiae, ubi exspectant ejus adventum.

Consecrator cum advenerit, accepta cappa, seipsum aspergit, deinde tradit aspersorium tangendum 1mo. assistenti, postea 2.° assistenti, ultimo electo, et deinde aspergit ceteros de clero.

Praeibunt familiares, deinde consecrator procedet ipse solus, et post eum assistentes et demum electus; vel si tres simul incedant, assistens 1us. ibit medius, cum assistente 2.° a dextris, et electo a sinistris; sequuntur alii praelati et canonici praesentes, ac ultimo ceteri de clero, sueto ordine.

Ad altare ssmi. Sacramenti assistens 1us. locum sumit a dextris consecratoris; assistens 2us. a sinistris, et electus a dextris 1mi. assistentis.

Ad altare maius. 2 — Ad altare maius consecrator genuflectit ad faldistorium, assistentes et electus super pulvinaria a lateribus faldistorii tradito ordine.

Priusquam assurgat consecrator, assurgunt assistentes et electus, et, facta cruci reverentia, se sistunt in linea a latere epistolae.

Consecrator assurgit, se vertit ad episcopos, quos media capitis inclinatione salutat; isti profunda capitis inclinatione respondent. Consecrator ad thronum ascendit, benedicens clero si transit per eum, sedet, et caput bireto cooperit.

Assistentes et electus cum biretis in manibus, concomitantibus suis capellanis, facta cruci altaris reverentia, si transeant ante eam, ad capellam minorem recedunt, ubi, facta cruci altaris reverentia, assistentes loca sua mutant et sedent ad scabella ante altare posita et caput cooperiunt.

Cantus tertiae et praeparatio.

3 — Diaconi assistentes, debitis cum reverentiis, ad thronum accedunt.

Aliqua interjecta mora, assurgit consecrator cum bireto in manu, et cum eo omnes.

Dictis secreto *Pater* et *Ave,* consecrator canit versum *Deus in adjutorium,* ad quem omnes, etiam assistentes et electus, se signant.

Cantores duo intonant hymnum *Nunc, Sancte, nobis, Spiritus,* ad cuius doxologiam omnes caput profunde inclinant, et post intonationem antiphonae ab illo cujus est officium, incipiunt psalmos tertiae; qui, interposita mora, cantantur, ita ut finem habeant cum episcopus et electus recitaverint praeparationem ad missam et orationes vestitionis.

Incepta antiphona sedent episcopi et chorus.

Ante consecratorem se sistunt ministri de libro et scotula, et episcopus legit praeparationem, stantibus diaconis assistentibus. Interim caligae et sandalia ad thronum deferuntur a subdiacono missae, cum quibus episcopus de more induitur a suo cubiculario.

Eodem tempore capellanus 1us. electi se sistit ante eum cum canone, et, una cum consecratore, electus legit praeparationem ad missam. Interim capellanus 2us. se praesentat cum caligis et sandaliis, quibus electus induitur a suo familiari.

Finita praeparatione, assurgunt pro versiculis et orationibus consecrator, electus et assistentes; quibus lectis sedent iterum, caput cooperiunt et consecrator ac consecrandus legunt orationes vestitionis; electus orationes chirothecarum, mitrae et annuli omittit; finitis lectionibus recedunt ministri qui praeparationi inservierunt.

Hora tertia continuabitur modo statuto ante ordinationem solemnem, a vocatione canonicorum, qui substituere debent diaconos assistentes, ad finem, id est, usque ad preces feriales exclusive, n. *97,* 2.

❯ In dominicis *Gaudete* et *Laetare* sacri ministri, diaconi assistentes, crucifer si celebret metropolita, et canonici diaconi vel subdiaconi, utuntur dalmaticis, in aliis dominicis Adventus vel Quadragesimae induunt planetas plicatas.

Lotio manuum consecratoris.

4 — Omnia fiunt ut in ordinatione solemni, n. *97,* 3.

Lotio manuum electi.

5 — Cum consecrator deponit cappam, electus deponit vestes chorales, quae seorsum reponuntur, deinde, accepto iterum bireto, manus lavat, ministrantibus suis capellanis vel familiaribus tradito ordine, n. *235,* 4.

Vestitio consecratoris et chori.

6 — Omnia fiunt ut in ordinatione solemni, n. *97,* 4, sed sacri ministri se sistunt ad sinistram partem throni, nec accipiunt manipulos sed casulas plicatas tantum, si adhibeantur, et subdiacono non traditur liber evangeliorum.

Vestitio electi et assistentium.

7 — Fit eodem ordine ac pro cantu tertiae in secretario, n. *235,* 4.

Iter episcopi ad altare.

8 — Acolythi locabunt faldistorium in medio suppedaneo altaris.

Consecrator, accepto baculo, ad altare procedit, medius inter presbyterum assistentem a dextris et diaconum a sinistris; subdiaconus ibit ad sinistram diaconi, et diaconi assistentes paulo retro post episcopum; sequentur clerici insignium et caudatarius, caudam vestis talaris sustentans; genuflectit chorus et se inclinant canonici et praelati, si episcopus transeat per eum benedicens.

Ante gradus altaris proceditur ordine tradito, n. *235,* 5.

237 C — CONSECRATOR SE VESTIT IN PRESBYTERIO SINE CANTU TERTIAE.

❯ Extra ecclesias cathedrales, collegiales vel abbatiales, seu ubi non canitur officium, consecrator se vestit in presbyterio.

Omnia fiunt ut in littera B, n. *236*, habetur. Observa tamen:

Incepta praeparatione consecratoris et electi, diaconus missae ad sacrarium recedit ad sacras induendas vestes.

Lectis orationibus vestitionis, consecrator statim deponit cappam et iterum accipit biretum; presbyter assistens ad thronum ascendit et deinde ministri lotionis.

Episcopus de more manus lavat, presbytero assistente mantile ministrante.

Finita lotione, recedunt presbyter et diaconi assistentes ad sacras induendas vestes, et sacri ministri ad thronum ascendunt.

Electus deponit vestes chorales et lavat manus una cum consecratore.

Cetera fiunt ut sub littera B, n. *236*.

❯ Etiamsi hora tertia non cantetur, semper licet consecratori praeparationem facere ad missam et sacras induere vestes in aliqua aula, secretarii ad instar, et, cum suo clero, solemniter ingressum habere in ecclesia, in quo casu omnia fiunt ut in littera A, n. *235*, omisso cantu tertiae.

238 ART. II — POSTULATIO ET EXAMEN

Iter electi ad consecratorem.

1 — Cum quisque ad locum suum accesserit, electus cum bireto in manu et assistentes infulati assurgunt, si erant sedentes, et ad altare se vertunt, assistentes loca sua mutant.

Capellani assistentium et electi se sistunt bini post episcopos, et secretarius electi, cum litteris apostolicis, se sistit a dextris 1mi. assistentis. 2di. capellani assistentium et electi secum portant pontificalia.

Omnes una simul conficiunt reverentiam cruci sui altaris, et pergunt ad altare majus ordine sequenti: medius cum bireto in manu ibit electus; a dextris ejus 1us. assistens, a sinistris 2us. assistens; sequuntur bini capellani assistentium et electi, et versus dexteram retro post episcopos, secretarius electi.

Assistentes cum mitra, electus vero cum bireto in manu, conficiunt una simul consecratori et cruci altaris profundam reverentiam et sedent ad scabella; assistens 1us. a latere epistolae, seu a dextris electi, et assistens 2us. a latere evangelii seu a sinistris electi; electus caput bireto cooperit.

Capellani 1mi. assistentis et electi recedunt aliquos passus versus latus epistolae; capellani 2di. assistentis locum sumunt versus latus evangelii. Secretarius electi prope 1mum. assistentem se sistit.

Facta aliqua pausa, assistentes deponunt mitram, electus biretum, et assurgunt, surgentibus omnibus, uno consecratore excepto.

Postulatio

2 — Assistens 1us. mitram tradit capellano suo 1mo. et, vertens se aliquantulum versus consecratorem, dicit clara voce *Excellentissime et reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia* etc., legens e libro manuali vel e tabella ipsi a caeremoniario 2.° tradita. Diagramma XIV.

Mandatum apostolicum.

3 — Consecrator inquirit: *Habetis mandatum apostolicum?*

Assistens 1us., acceptis litteris a secretario electi, qui recedit, respondet *Habemus*, et, ad consecratorem accedens, ei tradit in manu, sine osculis, litteras apostolicas, quas consecrator tradit caeremoniario 1.°, dicens *Legatur*. Assistens 1us. ad locum suum revertitur.

Assistentes, impositis sibi mitris, et electus atque chorus sedent, et omnes caput cooperiunt.

Caeremoniarius 1us., vel secretarius consecratoris, legit mandatum per totum, in plano a latere epistolae, incipiens a nomine Summi Pontificis; ad quod omnes caput inclinant, sed electus, et qui bireto utuntur, caput aliquantulum nudabunt.

Finita lectione, consecrator dicit *Deo gratias*, et mandatum super abacum consecrationis reponitur.

❯ Si litterae apostolicae non erunt legendae, utpote quia jam lectae fuerint coram capitulo vel consultoribus dioecesanis, consecrator, acceptis litteris, dicit *Deo gratias* et caeremoniario 1.° tradit.

❯ Si jusjurandum erit emittendum, consecrator dicit *Deo gratias* eo emisso tantum.

Fidelitatis jusjurandum. 4 — Fidelitatis jusjurandum Summo Pontifici solet emitti ante consecrationem ut in tit. I, habetur, n. *213;* si tamen, aliqua de causa, praestandum esset ipso die consecrationis, sequens servabitur norma :

Post postulationem, caeremoniarius 2us. ponit scabellum unum in plano ante ultimum gradum altaris et desuper pontificale electi ad jusjurandum apertum, et ante scabellum pulvinar.

Electus biretum caeremoniario 2.° tradit, assurgit ipse solus, et, flexis genibus super pulvinar, manibus super librum positis (131), legit clara voce formam jurisjurandi. Interim sedet chorus.

Jurejurando lecto, assurgit electus, et caeremoniarius 2.° amovet scabellum cum pontificali et pulvinar, dum caeremoniarius 1us. ponit missale apertum super gremium episcopi. Electus, sine reverentia, ad suppedaneum ascendit, ibique, ambabus manibus super librum apertum positis, dicit *Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.* Consecrator respondet *Deo gratias*. Electus manus jungit, in planum descendit, et, facta episcopo reverentia, recedit ad scabellum suum, ubi sedet et caput bireto cooperit. Interim caeremoniarius 1us. librum evangeliorum claudit et amovet a gremio episcopi.

Examen 5 — Ministri de libro et scotula se sistunt ante pontificem, versus sinistram ejus; capellani de libro assistentium et electi locum sumunt unusquisque ante suum episcopum, sed capellanus electi aliquantulum ad ejus sinistran; caeremoniarius 2us. se sistit a dextris electi; 1mi. capellani assistentium et electi remanent suis locis.

Assistentes legunt totum examen cum consecratore, submissiore tamen voce.

Caeremoniarius 2us. a dextris electi pluvialis oram elevat, ut possit facilius caput detegere quoties erit responsurus.

Consecrator legit clara voce, ita ut possit ab electo audiri, introductionem ad examen *Antiqua sanctorum Patrum institutio.*

Electus, detecto capite et aliquantulum assurgens, respondet *Ita ex toto corde* etc.

Sequuntur interrogationes octo de fide et moribus, quibus electus respondet *Volo,* detecto capite et aliquantulum assurgens. Ad nomen Summi Pontificis in 3.ª interrogatione, electus caput detegit, episcopi illud inclinant.

Post octavam interrogationem consecrator benedicit electo dicens *Haec omnia* etc., ad quam benedictionem circumstantes respondent *Amen*.

Sequuntur interrogationes novem circa articulos fidei, ad quas electus, eodem modo detecto capite et aliquantulum assurgens, respondet quoties : *Credo,* vel aliter ut in PR habetur.

Post ultimam interrogationem, consecrator iterum benedicit electo dicens *Haec tibi* etc. et circumstantes respondent *Amen*.

Ministri de libro et scotula consecratoris, et capellani de libro assistentium et electi, recedunt ad loca sua et scotulam ac pontificalia ad abacum deponunt.

Osculum annuli consecratoris. 6 — Electus biretum caeremoniario 2.° tradit, cum assistentibus assurgit, et, medius inter eos, ante consecratorem accedit; deinde solus ad suppedaneum ascendit, et, flexis genibus, annulum consecratoris deosculatur, quasi gratias agens de proxima consecratione. Deinde, vertens se super sinistram suam, descendit versus latus evangelii, et assistentes ad loca sua redeunt.

239 ART. III — MISSA USQUE AD CONSECRATIONEM ELECTI

Initium missae. 1 — Sacri ministri, facta in suppedaneo reverentia episcopo simul et cruci, pergunt per breviorem viam ad scamnum, ubi acolythi brachiis eorum sinistris aptant manipulos; deinde acolythus 1us. tradit subdiacono evangelistarium cum manipulo episcopi, et sacri ministri revertuntur in planum ante altare : subdiaconus a latere evangelii versus sinistram electi, diaconus a latere epistolae.

Presbyter et diaconi assistentes, a 2.° caeremoniario vocati, se sistunt post sacros ministros.

Cum sacri ministri pergunt ad scamnum, caeremoniarius 1us. aufert gremiale e genibus episcopi, qui assurgit, in planum descendit, vertit se super sinistram suam ad altare, et aliquantulum ad diaconum versus, ab eo exuitur mitra, qui ad sinistram electi transit.

Electus accedit ad sinistram consecratoris; sacri ministri stabunt versus sinistram electi et presbyter assistens versus dexteram consecratoris, sed hi tres passum unum retro post episcopum; post consecra-

torem stabunt diaconi assistentes; qui omnes, simul facta profunda reverentia cruci, missam incipiunt.

Episcopi assistentes: 1us. a latere epistolae, 2us. a latere evangelii, se sistunt aliquantulum retro post diaconos assistentes, et, cum suis capellanis flexis genibus utrimque, faciunt confessionem de more.

Ministri quatuor insignium consecratoris locum sumunt versus latus epistolae; capellani electi remanent ad abacum. Diagramma XV.

Priusquam consecrator incipiat missam, acolythi amovent faldistorium et in plano a latere epistolae reponunt, et scabella tria ponunt ante altare electi, vel, si ibi aderint alia, ad latus evangelii vel ubi commodius.

Post *Indulgentiam* electus recedit passum unum ut a subdiacono aptetur brachio consecratoris manipulus.

Dicto *Oremus* a solo consecratore, ipse se vertens aliquantulum versus electum, ei facit parvam reverentiam capitis, cui electus respondet profunda capitis inclinatione.

Iter electi ad capellam suam.

2 — Electus locum sumit in medio altari inter suos assistentes; secretarius electi et capellani eorum stabunt retro post ipsos; omnes una simul conficiunt reverentiam cruci altaris, capellani vero genuflexionem, et recedunt ad capellam electi, ordine quo venerunt, sed caput cooperiunt solum si extra presbyterium accedant.

Thurificatio altaris.

3 — Consecrator ad altare ascendit medius inter suos ministros, sacram mensam deosculatur dicens *quorum reliquiae,* deinde osculatur initium evangelii diei, et altare incensat, et ultimo, accepta mitra, incensatur a diacono, quae omnia fiunt de more.

Iter ad thronum.

4 — Consecrator, recepto baculo, recedit cum suis assistentibus et ministris ad thronum, omissa reverentia electo et assistentibus, etiamsi transeat ante illos; sacri ministri ad scamnum recedunt.

Continuatio missae.

5 — Consecrator prosequitur missam ad thronum sine ulla mutatione et nullo habitu respectu ad electum, ab introitu usque ad *Alleluia* exclusive sive ultimum versum tractus vel ultimam stropham sequentiae exclusive.

Post orationem missae diei, ante omnes commemorationes, consecrator canit orationem *Adesto supplicationibus* pro electo sub unica conclusione cum oratione diei.

❯ Si consecratio, ex privilegio, fiat in die conversionis vel commemorationis sancti Pauli, vel in cathedra seu vinculis sancti Petri, oratio pro electo dicitur ante commemorationem sancti Petri vel sancti Pauli.

Ad capellam electi.

6 — Electus et assistentes, facta reverentia cruci altaris, sedent ad scabella, tergo altari obverso, et assistentes loca sua mutant; capellani eorum, facta eodem modo reverentia, ad altare accedunt.

Capellani electi et assistentium sacras vestes electi ex altari sumunt et se sistunt ante eum, 1mus. tamen manibus liberis ut accipiat pluviale.

Electus exuitur pluviali a suo caeremoniario, qui stolam ejus aptat more pontificali; postea ei imponit crucem pectoralem, tunicam, dalmaticam, casulam et demum manipulum.

Dum electus se vestit, capellanus ejus 1us. pluviale ad sacrarium portat, et deinde super medium altaris ponit legile cum missali, ad missam diei aperto.

Finita vestitione, assurgunt assistentes et electus et ad altare se vertunt: electus et assistens 1us. super sinistram suam, et assistens 2us. super dexteram suam. Assistentes deponunt mitras, et, facta cum electo reverentia cruci, ad altare ascendunt. Electus dicit *Oremus* manus extendens, caputque cruci inclinans, et recitat orationes *Aufer a nobis* et *Oramus te, Domine* de more, quod dum dicit altare osculatur. Diagramma XVI. Vide notam 150.

Electus legit ipse solus introitum, signans se una cum assistentibus.

❯ Si consecrator nondum recitaverit introitum, electus exspectabit paulisper ut simul incipiant.

Electus recitat: *Kyrie, eleison* et *Gloria in excelsis,* si erit dicendum, submissa voce cum suis assistentibus, dum consecrator ea recitat.

❯ Dum electus recitat *Gloria* apponi poterit canon ejus apertus super missale, quod fieri poterit postea pro *Credo*.

Dun canitur *Gloria,* assistentes et electus sedent, assistentes cum mitra, electus cum bireto, ad scabella ante altare, et caput inclinant una cum consecratore, electus vero biretum deponit et caput inclinat, quoties id erit faciendum.

Versus finem *Gloria,* si dictum fuit, assistentes et electus assurgunt, et, facta reverentia cruci, ad altare ascendunt ut prius.

Electus, ad altare versus eoque prius deosculato, dicit submissa voce *Dominus vobiscum* extendens manus, etiamsi consecrator dicat *Pax vobis,* et una cum eo.

Electus deinde recitat submissa voce orationem missae diei, et adjungit collectam *Adesto supplicationibus* pro se ipso sub unica conclusione; demum recitat orationes quae recitandae sunt, extensis de more manibus ante pectus.

Assistentes et electus sedent pro cantu epistolae, et, ea finita, iterum ut prius ad altare accedunt, et electus, eodem tempore ac consecrator, legit epistolam, in cujus fine assistentes dicunt *Deo gratias;* deinde electus legit graduale, *Alleluia,* vel tractum, usque ad ultimum versum exclusive, vel etiam sequentiam, si erit dicenda, sed usque ad ultimam stropham exclusive.

❫ Finita sequentia, si dicenda erit, electus et assistentes sedebunt ad scabella de more dum sedet consecrator, quousque cantus finiatur.

Finita lectione vel cantu, assistentes et electus ante altare descendunt, ubi assistentes loca sua mutant et caput mitra cooperiunt, electus vero biretum manibus tenet.

240 ART. IV — CONSECRATIO ELECTI

Iter consecratoris ad altare.

1 — Cum canitur graduale, vel quod ejus locum tenet, acolythi faldistorium in medio suppedaneo ponunt.

Consecrator, finito cantu, gremiale deponit, et, accepto baculo, assurgit et in planum descendit, iturus ad altare, medius inter diaconos assistentes; praeibit presbyter assistens et sequetur caudatarius caudam habitus talaris ejus sustentans, et post eum ibunt ministri insignium.

Ante gradus altaris presbyter et diaconi assistentes recedunt in linea retro post episcopum, et sacri ministri locum sumunt a lateribus ejus.

Pontifex, reddito baculo, una cum suis ministris et assistentibus, facit reverentiam cruci, ministri insignium et caudatarius genuflectunt; presbyter et diaconi assistentes ad chorum recedunt, et pontifex, medius inter sacros ministros, ad suppedaneum ascendit, ubi ipsi loca sua mutant, et sedet; ministri de libro et scotula ad abacum recedunt et qui de libro sumit pontificale.

Interim ab acolythis ponuntur scabella tria in medio ante altare ordine tradito.

Iter electi ad consecratorem.

2 — Electus, cum bireto in manu et assistentes infulati, sequentibus capellanis et praeeunte caeremoniario 2.°, facta reverentia debita cruci sui altaris, ad altare majus accedunt; 2di. capellani secum portabunt pontificalia.

❫ Licebit electo caput bireto cooperire dum pergit ab uno altari ad alterum, praesertim si unum ab altero distet.

Electus ante altare maius cum advenerit, cum bireto in manu, stantibus utrimque assistentibus infulatis, una cum eis reverentiam cruci et consecratori conficit, capellani genuflectunt et recedunt ad loca sua, ut in n. *238,* 1.

Assistentes et electus sedent ad scabella, et electus caput bireto cooperit.

Instructio.

3 — Ministri de libro et scotula consecratoris se sistunt ante eum versus sinistram, et capellani de libro assistentium coram illis.

Consecrator, facta brevi mora, sedens legit clara voce sine cantu instructionem *Episcopum oportet,* quod submissiore voce legunt etiam episcopi assistentes.

Invitatio ad orandum.

4 — Consecrator et assistentes cum mitris, et electus capite nudato, assurgunt.

Consecrator canit recto tono invocationem *Oremus, fratres carissimi,* quam assistentes submissa voce recitant, et in fine chorus respondet *Amen.*

Cantata invocatione, acolythi ponunt pulvinaria duo super gradus altaris a latere evangelii pro electo, et unum ante unumquodque scabellum pro assistentibus, et scabellum electi amovent; caeremoniarius 1us. ponit pulvinar alterum ante faldistorium.

Litaniae.

5 — Electus biretum tradit caeremoniario suo, et se sistit versus sinistram consecrationis, id est, a latere evangelii (132), ubi se prosternit super gradus altaris, ita ut genua sua sint super unum pulvinar, caput et brachia super alterum.

Minister de libro consecratoris pontificale caeremoniario 1.° tradit, qui illud super faldistorium ponit; deinde cum ministro de scotula ad

abacum redit; ministri de libro assistentium ponunt pontificalia super scabella et ad loca sua recedunt.

Consecrator ad altare se vertit et genua flectit coram faldistorio; sacri ministri loca sua mutant et flectunt genua a lateribus consecratoris. Assistentes genua flectunt super pulvinaria ante scabella sua.

Cantores duo, in medio chori retro post assistentes, cantabunt litanias, omnibus respondentibus, usque ad *Ut omnibus fidelibus defunctis* inclusive. Diagramma XVII.

Benedictio electi.

6 — Cum cantores cantant versum supra, ministri de libro (cum pontificali electi) et scotula se sistunt ante consecratorem.

Assurgit consecrator cum sacris ministris, qui loca sua mutant, et, tergum altari obvertens et accepto baculo, canit in tono litaniarum invocationes tres super electum, dextera illi benedicens dum dicit *benedicere, sanctificare, consecrare*.

Assistentes flexis genibus recitant sine cantu invocationes tres et electo simul cum consecratore benedicunt.

Complementum litaniarum.

7 — Pontifex, reddito baculo, vertit se iterum ad altare cum suis ministris, qui loca sua mutant, et genuflectit cum illis ut prius; et recedunt ministri de libro et scotula. Cantores litanias complebunt.

Finitis litaniis, assurgunt omnes; caeremoniarius 2us. electum in assurgendo adjuvabit et acolythi pulvinaria amovent; cantores ad loca sua recedunt, et caeremoniarius 1us. pontificale e faldistorio amovet et tradit ministro de libro, qui recedit.

Praeparatio ad impositionem manuum.

8 — Consecrator cum suis ministris, qui loca sua mutant, tergum altari obvertit.

Electus se sistit in medio ante gradus altaris, assistens 1us. a latere evangelii et 2us. a latere epistolae prope electum; acolythus 1us. tradit caeremoniario 1.° librum evangeliorum.

Electus et assistentes, sine reverentia, ascendunt insimul ad superiorem gradum altaris; electus genua flectit in ora suppedanei et assistentes ad invicem se vertunt.

Locatio evangeliarii super electum.

9 — Caeremoniarius 1us. tradit consecratori librum evangeliorum (ad evangelium Ascensionis Domini apertum) sed reversis litteris.

Consecrator, adjuvantibus assistentibus, ponit librum apertum super caput et humeros electi, cum parte superiori libri versus humeros, littera ex parte inferiori manente, quem a tergo sustinebit capellanus 1us. electi, apponens manus versus partem quae super humeros jacet, usque ad peractam baculi et annuli traditionem.

Impositio manuum.

10 — Consecrator ponit manus suas extensas super caput electi, physice eum tangens, assistentes deinde ponunt manus suas extensas super electum, ita ut digiti eorum sint super manus consecratoris, et reliqua pars manuum directe super caput electi; tres eodem tempore dicunt clara voce sine cantu, consecrator tamen altiore voce *Accipe Spiritum Sanctum*, quo dicto, manus retrahunt et jungunt ante pectus (133). Diagramma XVIII.

Introductio ad praefationem

11 — Electus, non se vertens, in planum descendit et genua flectit super infimo altaris gradu.

Assistentes loca sua mutant, et recedunt prope scabella sua; capellani eorum cum pontificalibus se sistunt coram eis; ministri de libro et scotula consecratoris se sistunt a sinistris ejus.

Consecrator sedens exuitur mitra a diacono, ac iterum assurgit, et assistentes dimittunt suas; consecrator canit recto tono introductionem ad praefationem *Propitiare, Domine*, quae submissa voce legitur ab assistentibus; ad verbum *benedictionis* consecrator et assistentes electo benedicunt.

1.ª praefationis pars.

12 — Consecrator, extensis manibus ante pectus, canit praefationem in tono feriali usque ad verba *caelestis unguenti rore sanctifica*, quae submissa voce legitur ab assistentibus junctis manibus (134).

Incepta praefatione, caeremoniarius electi aptat vittam super caput ejus, adaptans eam temporibus et firmans retro super occipitium, ita ut extremitates vittae pendeant retro utrimque.

Unctio capitis.

13 — Finita 1ma. parte praefationis, caeremoniarius 1us. ponit pulvinar ante faldistorium et pontificale super ipsum, et caeremoniarius 2us. ponit pulvinaria ante scabella

assistentium; consecrator et assistentes se vertunt ad altare, sacri ministri loca sua mutant, et genuflectunt omnes.

Caeremoniarius 1us. aufert pileolum consecratori et assistentes deponunt sua super scabella; ministri de libro et scotula recedunt.

Consecrator intonat hymnum *Veni, Creator,* qui a schola continuabitur. Finita 1ma. stropha, caeremoniarius 1us. pileolum capiti consecratoris reponit et librum tradit ministro; assistentes pileola reponunt.

Assurgit consecrator cum assistentibus et omnibus, sacri ministri loca sua mutant; consecrator et assistentes sedent, et amoventur pulvinaria.

Diaconus imponit mitram consecratori et assistentes accipiunt suas.

Acolythus 2us. se praesentat ante consecratorem cum lance, et sacri ministri manus consecratoris detegunt; diaconus aufert et reponit annulum.

Recedit acolythus et accedit minister de gremiali; diaconus gremiale lineum ponit super genua episcopi, et, adjuvante subdiacono, faldistorio aptat.

Acolythus 1us. cum vasculo sancti chrismatis transit ad latus evangelii, et genua flectit prope consecratorem, et ministri de libro et scotula se sistunt a sinistris ejus.

Electus ascendit ad supremum altaris gradum et genua flectit in ora suppedanei, ac caput consecratori inclinat.

Consecrator, intincto pollice dextro in sancto chrismate, ungit caput electi super coronam in formam crucis dicens *Ungatur et consecretur caput tuum,* deinde inungit totam coronam liniendo dicens *caelesti benedictione in ordine pontificali*.

Deinde ter electo benedicit dicens *In nomine Pa+tris, et Fi+lii et Spiritus+Sancti,* qui respondet *Amen.* Diagramma XIX.

Pontifex dicit *Pax tibi;* electus respondet *Et cum spiritu tuo,* et recedit acolythus cum sancto chrismate.

Assistentes submissa voce recitant formulam unctionis et cum consecratore electo benedicunt ut supra.

Electus descendit, non se vertens, et genua flectit ubi erat prius.

Pontifex abstergit pollicem cum medulla panis, a 2.° acolytho porrecta, flexis genibus ante eum, deinde sacri ministri solvunt gremiale quod tradunt ministro.

Ad doxologiam hymni omnes caput profunde inclinant, et eo finito, diaconus aufert mitram consecratori, qui assurgit; assistentes una cum eo mitram deponunt et assurgunt.

Continuatio praefationis

14 — Consecrator prosequitur cantum praefationis, extensis manibus ante pectus, quae recitatur ab assistentibus. Conclusio legitur submissa voce a tribus episcopis.

Unctio manuum.

15 — Finita praefatione, consecrator intonat antiphonam *Unguentum in capite,* sedet et accipit mitram, et recedunt ministri de libro et scotula.

Diaconus ei imponit gremiale lineum a ministro porrectum, et, adjuvante subdiacono, faldistorio aptat.

Caeremoniarius electi aptat vittam maiorem ad spatulas ejus, ita ut pendeat in parte anteriore ad altitudinem manuum.

Assistentes una cum consecratore sedent et induunt sibi mitram.

Acolythus 1us. cum vasculo sancti chrismatis transit ad dexteram consecratoris et genua flectit prope ipsum.

Ministri de libro et scotula se sistunt a sinistris consecratoris et capellani duo de libro assistentium coram illis.

Electus assurgit, ad altare ascendit, genua flectit ad oram suppedanei, ac manus suas apertas, junctas in parte inferiori tantum, consecratori ostendit, prima parte manuum intra vittam firmata (135).

Consecrator, intincto pollice dexterae manus in sancto chrismate, inungit manus electi in modum crucis a pollice dexterae manus ad indicem sinistrae, et deinde a pollice sinistrae ad indicem dexterae, dicens *Ungantur manus istae de oleo sanctificato, et chrismate sanctificationis* (136).

Statim inungit totaliter palmas dicens *Sicut unxit Samuel David regem et prophetam, ita ungantur et consecrentur*.

Deinde ter benedicit electo dicens *In nomine Dei Pa+tris, et Fi+lii et Spiritus+Sancti* et prosequitur usque ad finem orationis.

Responso *Amen* ab electo, pontifex adjungit secundam orationem *Deus et Pater* etc., in cujus fine electus iterum respondet *Amen,* et recedit acolythus cum sancto chrismate.

Assistentes submissa voce sedentes recitant cum consecratore formulam et orationes unctionis et electo benedicunt.

Chorus inceptam antiphonam complebit, adjungens ps. 132: *Ecce quam bonum,* cum *Gloria Patri* et repetitione antiphonae in fine, quae quidem repetitio fieri debet versus finem unctionis.

Ad *Gloria Patri* qui actu unctioni versantur non se inclinant, sed tantum chorus et ministri abaci.

Consecratus, finita ultima oratione et non ante, per se ipsum manus suas jungit.

Interim consecrator abstergit pollicem cum medulla panis, a 2.° acolytho in lance porrecta.

Traditio baculi et annuli. 16 — Acolythi duo, 1us. cum baculo consecrati, 2us. cum annulo ejus in lance, transeunt ad latus evangelii et se sistunt prope diaconum.

Consecrator, accepto baculo a diacono sine osculis, eum consecrato tradit dicens *Accipe baculum* etc., quod dum dicit consecratus tangit seu recipit baculum inter indices et medios digitos, manus non disjungens, neque extrahens eas de vitta, et, eo accepto, respondet *Amen;* consecrator baculum reddit diacono, hic acolytho, qui recedit.

Acolythus praesentat pontifici annulum quem pontifex ponit in digito annulari dexterae manus consecrati dicens *Accipe annulum* etc., et ipse respondet *Amen,* sed manus e vitta non extrahit.

Assistentes, ad scabella sua sedentes, recitant formulas traditionis baculi et annuli.

❯ Si baculus et annulus non sint benedicti, pontifex, ante traditionem baculi, dimisso gremiali lineo et mitra, assurgit, et cum eo assurgunt assistentes sine mitra. Clericus cum vasculo aquae lustralis se sistit a dextris diaconi, et acolythi duo, cum baculo et annulo electi, se sistunt ante altaris gradus, versus dexteram consecratoris, qui benedicit, ipse solus sine cantu, baculum cum formula *Sustentator imbecillitatis Deus,* illumque aspergit; deinde benedicit eodem modo annulum, cum formula *Creator et conservator* illumque aspergit. Ad orationes ministri respondent *Amen.* Reddito hyssopo diacono, iterum sedet pontifex, accipit mitram et gremiale lineum, et procedit ut supra.

Traditio evangelistarii. 17 — Tradito annulo, assistentes assurgunt cum mitris, et ascendunt ad superiorem altaris gradum: 1us. a dextris consecratoris, 2us. a sinistris. Consecrator, adjuvantibus assistentibus, accipit librum evangeliorum e scapulis consecrati et eum clausum super genua sua ponit, parte superiore ad se versa, et, una cum assistentibus librum tenentibus, recitat formulam *Accipe evangelium* (137). Consecratus, adhunc junctis manibus intra vittam, tangit librum dum episcopi recitant formulam, et respondet *Amen.* Capellanus 1us. consecrati, tradito libro episcopis, exspectat versus latus epistolae.

Caeremoniarius 1us., facta traditione evangelistarii, illud e manibus pontificis aufert et capellano tradit super abacum reponendum; ministri de libro et scotula recedunt.

Osculum pacis. 18 — Consecrator sedens dat osculum pacis consecrato genuflexo dicens *Pax tibi,* et ille respondet, manus e vitta non amovens, *Et cum spiritu tuo.*

Consecratus assurgit, se vertit ad 1um. assistentem et eodem modo ab eo pacem recipit; ultimo vertit se ad 2um. assistentem, et eodem ordine pacem ab eo accipit.

Cum consecrator dat osculum pacis consecrato, acolythi scabella amovent et ad capellam electi portant, vel, si alia ibi habeantur, ea versus latus evangelii vel ubi commodius ponunt.

Discessus consecrati. 19 — Consecratus cum suis assistentibus ab altari descendit, et, facta in planum cum illis reverentia simul cruci et pontifici, praeeuntibus capellanis, ad capellam suam redit, sine bireto, ordine quo venit.

Lotio manuum consecratoris. 20 — Presbyter et diaconi assistentes de choro descendunt, et reverentur crucem et pontificem; diaconi remanent in plano ante altaris gradus et presbyter ascendit ad dexteram diaconi ministrantis paulo ante eum.

Ministri lotionis, cum 1.° acolytho portante medullam panis et citreum in lance, ante episcopum se sistunt.

Diaconus tollit annulum episcopi, qui manus fricat, lavat, et abstergit, presbytero assistente mantile praesentante.

Recedunt ministri lotionis et sacri ministri solvunt gremiale lineum, quod amovebitur.

Minister de gremiali cum chirothecis in lance se sistit coram episcopo, et sacri ministri eas de more manibus pontificis circumdant et deinde presbyter assistens ei tradit annulum.

Ad capellam consecrati. 21 — Consecratus cum suis assistentibus, facta cruci sui altaris reverentia, sedent ad scabella, et assistentes loca sua mutant; capellani, facta eadem capitis reverentia, ad abacum recedunt.

Caeremoniarius consecrati extrahit vittam e capite ejus, quod medulla panis et purificatorio abstergit, et capillos ejus ordinat si ordinandi sint; dein genibus ejus ponit gremiale sive mantile, et solvit vittam manuum, dum capellani se praesentant pro lotione. Consecratus, deposito annulo, manus suas fricat cum citreo, lavat, et abstergit; ac iterum accipit annulum, a caeremoniario extersum, et recedunt capellani de lotione.

241 ART. V — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

Iter episcopi ad thronum. 1 — Pontifex, accepto baculo, assurgit, et, cum suis ministris et presbytero assistente, in planum descendit, ubi facit cruci altaris profundam reverentiam, alii ministri et assistentes reverentiam vel genuflexionem; sacri ministri ad scamnum recedunt; pontifex, medius inter diaconos assistentes praeeunte presbytero assistente, sequentibus caudatario et ministris insignium ac de gremiali, ad thronum se confert de more, ubi omnes loca sua sumunt.

Pontifex cum suis assistentibus et ministris conficit reverentiam capitis consecrato et assistentibus, si transeunt ante eos, ad quam ipsi assurgunt, reverentiae responsuri; si tamen consecratus sit intentus lotioni manuum, consecrator a reverentia abstinebit.

Cum Pontifex ab altari recedit, acolythi faldistorium amovent.

Ultimus versus gradualis. 2 — Pontifex sedet, reddit baculum et accipit gremiale.

Ministri de libro et scotula se praesentant et pontifex de more legit ultimum versum gradualis, tractus, vel, tempore paschali, ultimum versum et *Alleluia,* vel si sequentia dicta fuit, ultimam stropham ejus, quae a schola cantatur.

Consecrator ad thronum exspectabit paululum quousque consecratus ad suum altare ascenderit, si necesse sit, priusquam incipiat legere versum.

Consecratus, finita lotione manuum, surgit cum suis assistentibus, qui mitram deponunt; se vertit cum illis, qui loca sua mutant, ad altare, et, facta reverentia cruci, ad altare ascendunt; consecratus legit, una cum consecratore, ultimum versum vel stropham legendam.

Evangelium. 3 — Pontifex ad thronum, dicto *Munda cor meum,* legit evangelium.

Consecratus stans inclinatus ad legile dicit *Munda cor meum,* deinde, semper in medio altaris, legit evangelium; in fine dicit *Per evangelica dicta* et osculatur textum, ac respondetur *Laus tibi Christi* ab assistentibus (138).

Finita lectione, assistentes loca sua mutant et cum electo sedent ad scabella et mitram induunt.

Cum consecrator surgit pro cantu evangelii, assistentes mitras deponunt, et cum electo surgunt et stant ante scabella sua, paulo ad diaconum versi.

Evangelium cantatur sueto more a diacono, et, eo finito, consecrator incensatur.

Credo 4 — Incensato consecratore, assistentes loca sua mutant et cum electo ad altare suum se vertunt. *Credo* cantatur de more, et electus cum suis assistentibus submissa voce eum recitat, junctis semper manibus et una cum consecratore, cum quo genuflectit ad *Et incarnatus est.*

Recitato *Credo,* assistentes loca sua mutant et sedent ad scabella.

Offertorium 5 — Post *Credo* consecrator, deposito gremiali, surgit et cantat *Dominus vobiscum; responso a* choro *Et cum spiritu tuo,* cantat *Oremus* et stans legit offertorium, quod interim cantatur a schola, et, eo lecto, sedet, accipit mitram pretiosam, si adhibeatur, secus simplicem, et gremiale linteum a 1.° diacono assistente.

Cum surgit consecrator, assistentes, mitris depositis, surgunt cum electo, loca sua mutant, et, facta reverentia cruci, ad altare accedunt.

Electus, osculatus altare, non se vertens, dicit *Dominus vobiscum;* assistentes respondent *Et cum spiritu tuo,* et consecratus legit offertorium.

Dona consecrati consecratori.

6 — Versus finem *Credo* caeremoniarius 2us. distribuit res offerendas capellanis electi et assistentium hoc ordine:

1mo. capellano electi funalia duo accensa, unum in unaquaque manu.

2do. capellano electi panes duos in lance.

2do. capellano 1mi. assistentis: barilium aureatum.

2do. capellano 2di. assistentis: barilium argentatum, qui omnes, unus post alium, se sistunt prope 1um. assistentem.

Electus et assistentes descendunt ante altare minus, cui faciunt reverentiam; assistentes accipiunt mitram, et ambo ducunt electum sine bireto ad pontificem. Capellani cum donis sequuntur versus dexteram 1mi. assistentis, alius post alium.

Episcopi tres reverentiam cruci altaris maioris conficiunt, clerici cum donis genuflectunt, et omnes ad thronum procedunt (139). Diagramma XX.

Caeremoniarius 1us. ponit pulvinar in ora suppedanei throni.

Episcopi cum ad thronum pervenerint, pontifici reverentiam faciunt, capellani genuflectunt simul.

Consecratus ascendit solus et genua flectit super pulvinar; interim episcopi assistentes permanent facie ad consecratorem versa et retenta mitra.

Clerici cum rebus offerendis ascendunt alius post alium, sine genuflexione, ad dexteram consecrati.

Consecratus, accepto 1.° funali, tradit illud consecratori, deinde idem facit cum 2.°; postea tradit ei panes separatim et barilia vini; ac demum, manum ejus deosculatur (140).

Capellani, donis electo traditis, descendunt, genuflectunt ante consecratorem, et ascendunt ad dexteram 1mi. diaconi assistentis, cui pontifex res tradit et diaconus capellanis, qui eas ad abacum consecrationis portant, ibique remanent; capellanus vero 1us. consecrati, repositis funalibus, ea extinguit; deinde accipit missale cum legili ex altari minore, et in cornu epistolae altaris maioris locat, tergo ad cornu evangelii verso.

Finito offertorio, electus de throno descendit; una cum suis assistentibus salutat consecratorem; pergit ad altare maius, ubi, facta reverentia cruci, accedit ad latus epistolae, et ascendit ad missale suum; assistentes, 1us. a dextris, et 2us. a sinistris, locum sumunt retro post eum in altero gradu, ibique permanent ad peractas ablutiones.

Lotio manuum consecratoris.

7 — Cum discedit consecratus, caeremoniarius 1us. tollit pulvinar; minister de gremiali cum lance accedit et episcopus de more annulum et chirothecas deponit; deinde ministri lotionis se praesentant et pontifex lavat manus, et iterum accipit annulum; diaconus assistens 2us. gremiale linteum aufert, et tradit ministro, qui recedit cum aliis de lotione.

242 ART. VI — CONCELEBRATIO ET COMMUNIO

Iter episcopi ad altare.

1 — Pontifex, accepto baculo, assurgit, et, medius inter diaconos assistentes, praeeunte presbytero assistente, sequentibus caudatario et ministris insignium, ad altare procedit.

Pontifex, dimisso baculo et mitra, facit profundam reverentiam cruci, habens sacros ministros a sinistris et assistentem presbyterum ad dexteram; assistentes mitras suas deponunt una cum consecratore, et capellanis suis tradunt.

Celebratio missae a consecratore.

2 — Pontifex ad altare ascendit et missam sueto more celebrat, advertens ut recitet submissa sed clara voce, ita ut ab electo audiri possit, omnia quae alias secrete recitare deberet; vinum consecret sufficiens pro duobus.

Concelebratio a consecrato

3 — Consecratus sequentes servabit regulas:

1) Totam missam submissa voce legit stans ad missale a latere epistolae, facie versa ad latus evangelii, initium faciens a *Suscipe, Sancte Pater;* quae a consecratore cantantur submissa voce legit (141).

2) Genuflectit, inclinationes facit, altare osculatur, oculos elevat, manus jungit vel extendit, pectus percutit, oblata benedicit, una cum consecratore, sed extendens seu elevans dexteram versus oblata, sinistra altari apposita, cum ea benedicit.

3) Cum consecrator tangit vel accipit hostiam, calicem vel patenam, consecratus manus suas junctas habebit ante pectus.

4) Aquam non benedicit, sed orationem *Deus qui humanae substantiae* recitat.

Assistentes 4 — Locum sumunt a latere epistolae: 1us. a dextris consecrati, 2us. a sinistris prope ipsum, sed in gradu inferiore; non genuflectunt cum consecratore, nec alia signa faciunt; *Sanctus* et *Agnus Dei* conjunctim recitant; ad praefationem pileola dimittunt, et capellanis de mitra tradunt; ad consecrationem genuflectunt suis locis et ea finita assurgunt (142). Diagramma XXI.

Incensatio 5 — Consecratus non benedicit incensum nec recitat orationes incensationis (143), et cum fit incensatio oblatarum et altaris aliquantulum recedit, et capellanus ejus 1us. amovet legile cum missali a cornu epistolae.

Diaconus, incensato consecratore, incensat duplici ductu consecratum, deinde 1um. assistentem, postea 2um. assistentem, qui mitram non induunt. (Vide notam 64, tomi III.) Deinde diaconus incensat assistentes consecratoris, chorum et subdiaconum de more, et reddit thuribulum thuriferario, a quo incensatur.

Lavabo. 6 — Incensato 2.° assistente, consecrator manus lavat; consecratus cum consecratore recitat psalmum *Lavabo,* sed manus non lavat; et, finita lotione manuum consecratoris, ad locum suum revertitur.

Orate, fratres. 7 — Consecratus altare osculatur et recitat *Orate, fratres,* non se vertens.

Secretae. 8 — Additur secreta *Suscipe, Domine* a consecratore et a consecrato, cum mutatione personae, sub unica conclusione cum prima.

Funalia. 9 — Ad *Sanctus* intrabunt clerici cum funalibus pro consecratione, eaque finita recedunt (144).

Te igitur. 10 — Consecrator et consecratus dicunt *et me indigno servo tuo* etc.

Hanc igitur. 11 — Dicitur proprium, et infra octavas Paschae et Pentecostes ut in n. *234,* 7, habetur, quod dum dicit, consecratus habebit manus extensas et junctas versus oblata.

Consecratio. 12 — Consecratus, junctis manibus et inclinatus, recitat verba consecratoria cum consecratore, cum quo genuflectit ante elevationem hostiae, sed surgit tantum cum consecrator surgit post ejus elevationem. Idem facit pro consecratione calicis.

Per ipsum. 13 — Verba *Per ipsum et cum ipso et in ipso,* consecratus recitat junctis manibus.

Libera nos. 14 — Consecratus recitat, manibus ante pectus extensis, *Libera nos,* se signat cum consecratore et iterum manus extendit. Jungit manus ad *Per eundem Dominum nostrum* et sic eas tenet usque ad *Agnus Dei.*

Pax. 15 — Recitata prima oratione communionis, consecratus, sine genuflexione, quia jam genuflexit, transit ad dexteram consecratoris, diacono flexis genibus permanente in ora suppedanei, cum eo osculatur altare, manibus super illud positis, et a consecratore solito more recipitur ad pacem, et ad locum suum revertitur sine genuflexione. Consecratus, a latere epistolae reversus, pacem dabit seniori assistenti, deinde juniori.

Consecrator pacem dat suis assistentibus et ministris de more, et deinde cum consecrato recitat duas sequentes orationes pro communione, manibus super altare positis.

Communio. 16 — Consecrator se signat cum duobus partibus hostiae sed statim deponit dimidium integrum super patenam et sumit dimidium minus; deinde sumit dimidiam partem Sanguinis Domini cum particula consecrata.

Consecratus genuflectit cum consecratore, sed non se signat cum consecrator se signat cum hostia et calice, et junctis manibus recitat orationes.

❯ Si necesse sit, consecrator utetur cochleari ad sumendam particulam consecratam, quae postea ponit super alteram patenam, et purificat cum sumit purificationem.

Sumpto a consecratore Sanguine Domini, diaconus recedit retro versus dexteram et consecratus se sistit a dextris consecratoris, qui, parum ad eum versus, ei dimidiam partem hostiae praebet; deinde tradit ei in manu dextera calicem, et in sinistra patenam, et consecratus, ad altare versus, sumit reliquum sanguinem, et statim ponit calicem et patenam in medio corporali, et, sine ulla reverentia, ad locum suum recedit a cornu epistolae (145).

Purificatio et communio. 17 — Consecrator se purificat de more. Consecratus, ad latus epistolae reversus, accipit calicem cum vino et purificatorium a caeremoniario 2.°, quo se purificat; deinde calicem caeremoniario reddit, qui eum abstergit et ad abacum reportat.

Interim a choro cantatur communio, antequam ab episcopis recitetur.

Assistentes induunt mitram, et cum consecrato in medio, in planum descendunt, deinde transeunt ad extremum cornu altaris a latere evangelii, facta cruci reverentia cum ante eam transeunt.

Capellanus 1us. consecrati portat legile ejus cum missali ad extremum cornu evangelii altaris, dum presbyter assistens missale celebrantis ad latus epistolae portat.

Consecrator solus de more lavat manus, deinde, dimissa mitra, quod et assistentes simul faciunt, legit versiculum communionis una cum consecrato.

Postcommunio. 18 — Celebrans altare osculatus et cantato: *Dominus vobiscum,* canit postcommunionem diei et deinde *Plenam quaesumus* pro consecrato, quae recitatur etiam ab eo; postea dicuntur aliae si dicendae sunt.

Dimissio. 19 — Iterum osculato altari et dicto *Dominus vobiscum* a celebrante, diaconus canit *Ite Missa est,* vel si dictum non fuit *Gloria,* canit *Benedicamus Domino.*

Placeat. 20 — Consecrator et consecratus dicunt *Placeat* et altare osculantur.

Benedictio. 21 — Consecrator, accepta mitra, solus benedictionem impertit. Consecratus et assistentes sine mitra, in linea a latere evangelii profunde inclinati, benedictionem accipiunt et se signant.

❯ Si celebret metropolita, ad benedictionem crucem coram se habebit, propterea mitram deponit.

Indulgentiae. 22 — Si consecrator maluerit indulgentias concedere, presbyter assistens stans a latere epistolae legit formulam consuetam.

243 ART. VII — INTHRONIZATIO ET RITUS FINALES

A — TRADITIO MITRAE ET CHIROTHECARUM

Traditio mitrae. 1 — Pontifex recedit aliquantulum versus latus evangelii et acolythi ponunt faldistorium in medio suppedanei. Consecrator sedet, tradit baculum, et, si sit metropolita, accipit mitram simplicem.

Diaconus se sistit a dextris consecratoris, subdiaconus a sinistris; presbyter assistens descendit in planum; et, facta simul cruci et pontifici reverentia cum diaconis assistentibus, cum illis ad locum suum in choro redit.

Ministri de libro et scotula se sistunt a sinistris pontificis, et acolythi duo, 1us. cum mitra consecrati, 2us. cum chirothecis in lance, transeunt ad dexteram pontificis, et una simul conficiunt genuflexionem cruci et pontifici; acolythi duo ad suppedaneum ascendunt et se sistunt a dextris diaconi.

Caeremoniarius consecrati capiti ejus imponit pileolum violaceum (146); deinde consecratus et assistentes se sistunt ante consecratorem, cui faciunt reverentiam; assistentes, 2us. a dextris consecrati, 1us. a sinistris, ascendunt cum eo ad supremum altaris gradum extra suppedaneum; electus genua flectit in ora suppedanei et assistentes ad invicem se vertunt.

Diaconus, accepta mitra ab acolytho, eam tradit pontifici, cum facie mitrae ad eum versa.

Consecrator mitram consecrato imponit, adjuvantibus assistentibus, qui infulas tenent, dicentes tres insimul formulam *Imponimus, Domine;* consecratus respondet *Amen*.

Traditio chirothecarum. 2 — Caeremoniarius 1us. aufert annulum consecrati et diaconus sumit chirothecas e lance; acolythi ad abacum recedunt. Diaconus tradit pontifici, sine osculis, chirothecam dexterae manus, et consecrator, adjuvante 2.° assistente, eam dexterae manui consecrati imponit; deinde diaconus tradit ei chirothecam sinistrae manus, et pontifex, adjuvante 1.° assistente, eam imponit sinistrae manui consecrati, quod dum facit, recitat semel cum assistentibus formulam *Circumda, Domine,* qua finita, consecratus respondet *Amen,* et recedunt ministri de libro et scotula.

Caeremoniarius 1us. tradit annulum consecratori, qui eum digito annulari consecrati imponit nihil dicens.

Benedictio mitrae et chirothecarum. 3 — ❯ Si mitra et chirothecae non fuerunt prius benedictae (147), pontifex, post benedictionem vel datis indulgentiis, sedet ad faldistorium et reddit baculum.

Acolythi duo, 1us. cum mitra et 2us. cum chirothecis, una cum acolytho cum vasculo aquae lustralis et hyssopo, se sistunt ante episcopum cui faciunt genuflexionem; acolythus ascendit et se sistit ad dexteram diaconi, alii duo genuflectunt in infimo altaris gradu.

Ministri de libro et scotula se sistunt ad sinistram pontificis, qui, deposita mitra, nisi sit metropolita, surgit, et benedicit ipse solus clara voce sine cantu mitram cum oratione *Domine Deus,* eamque aspergit; deinde statim benedicit chirothecas cum oratione *Omnipotens Creator,* easque aspergit, et ministri semel et iterum respondent *Amen.*

Sedet consecrator et accipit mitram; acolythi cum mitra et chirothecis ascendunt ad dexteram diaconi; electus cum assistentibus se praesentant, et omnia fiunt prout supra habetur.

❯ Si inthronizatio facienda sit ad thronum, post impositionem annuli transitur ad n. *245.*

244 B — INTHRONIZATIO AD FALDISTORIUM

Inthronizatio. 1 — Imposito annulo digito consecrati, subdiaconus cum debita reverentia episcopo et cruci, transit ad dexteram diaconi et ambo recedunt aliquantulum versus latus evangelii, ibique se sistit capellanus 1us. consecrati cum baculo ejus. Episcopus assistens 2us., cum debita reverentia celebranti et cruci, ad latus evangelii recedit et se sistit in inferiori altaris gradu seu in plano.

Consecrator dextera sua accipit dexteram consecrati, dum assistens 1us. dextera sua sumit sinistram consecrati.

Assurgunt consecrator et consecratus; consecrator recedit aliquantulum versus latus dexterum (evangelii) et consecratus in suppedaneo ascendit; consecrator vertit consecratum super sinistram suam et eum sedere facit super faldistorio, et ipse se vertit; cum consecratus se vertit, assistens 1us. manum ejus solvit et recedit aliquantulum versus latus evangelii.

Consecrator, accepto baculo consecrati a capellano, eum in manu sinistra consecrati ponit, et recedit capellanus.

Consecrator recedit versus extremum cornu evangelii, facie ad consecratum et cum eo assistentes: 1us. in superiore gradu altaris et 2us. in proximo gradu inferiori vel in plano, unam cum consecratore efformantes lineam, facie ad consecratum versa. Diagramma XXII.

Te Deum. 2 — Diaconus tollit mitram consecratori, et, una cum subdiacono, recedit retro post eum; assistentes sibi ipsi mitram exuunt sed manu retinent.

Consecrator intonat hymnum *Te Deum,* pro quo se praesentant ministri de libro et scotula si necesse fuerit; schola hymnum prosequitur solemniter concomitante organo, etiamsi sit tempus Adventus vel Quadragesimae.

Assistentes, impositis sibi mitris, in planum in medio ante altare descendunt; capellani electi et capellani assistentium se sistunt bini retro post eos.

Consecratus cum baculo et mitra assurgit, descendit in planum, ad altare super sinistram suam se vertit, et, una cum assistentibus, facit primo reverentiam consecratori, deinde cruci altaris; capellani, retro post ipsos, cruci genuflectunt.

Processio benedictionis. 3 — Tres episcopi et capellani se vertunt super dexteram suam et procedunt quo sequitur ordine:

Praeibunt capellani duo consecrati, deinde caeremoniarius ejus; consecratus ibit cum 1.° assistente a dextris et 2.° a sinistris; sequuntur capellani duo 1mi. assistentis et ultimo capellani duo 2di. assistentis.

❯ Si locus sit exiguus, consecratus ibit solus et post eum assistentes.

Processio ibit per mediam ecclesiam, usque ad januam principalem, et eodem ordine eademque via ad altare maius revertetur. Consecratus populo dextera benedicit, et ad benedictionem omnes genuflectunt, licet non sit loci ordinarius; canonici et praelati in choro se inclinant cum per chorum transit benedicens.

Cantores advertant ut versus *Te ergo quaesumus* cantetur cum consecratus, ad altare reversus, genua flexerit cum suis assistentibus; quod si necesse sit, interponant organorum sonus ut cantus protrahatur.

Te ergo quaesumus

4 — Caeremoniarius 1us. pulvinar in suppedaneo ante consecratorem ponit, et acolythi ponunt pulvinaria tria super infimum altaris gradum. Ad altare cum pervenerint consecratus et assistentes reverentiam cruci conficiunt, deinde consecratori, capellani vero genuflectunt semel tantum.

Caeremoniarius 2us. aufert mitram consecrato, assistentes auferunt suas, quas tamen manibus retinent.

Ad *Te ergo quaesumus* genuflectunt omnes; caeremoniarius 1us. aufert pileolum a consecratore, caeremoniarius 2us. a consecrato, et assistentes sua, et, finito versu, pileolum reponunt, et surgunt omnes.

Complementum hymni.

5 — Caeremoniarius 2us. mitram consecrato reponit, qui in suppedaneum ascendit, et, vertens se super sinistram suam ne tergum vertat consecratori, sedet in faldistorio, retento baculo.

Assistentes sine mitra se sistunt versus latus evangelii a dextris consecratoris, situ quo prius, et capellani assistentium et consecrati, ad abacum recedunt.

Interim a schola complebitur cantus hymni.

Complementum inthronizationis.

6 — Versus finem hymni, ministri de libro et scotula, facta genuflexione cruci, ad suppedaneum ascendunt et se sistunt ante consecratorem, qui, eo finito, intonat antiphonam *Firmetur manus tua,* et ministri de libro et scotula recedunt versus latus evangelii.

Cantores antiphonam complebunt, et cantabunt doxologiam *Gloria Patri,* ad quod omnes caput profunde versus crucem altaris inclinant, excepto consecrato, qui caput inclinat sedens cum mitra.

Repetita antiphona, ministri de libro et scotula iterum coram consecratore se sistunt qui canit *Domine, exaudi* et *Dominus vobiscum,* et deinde in tono simplici collectam *Deus omnium fidelium... hunc famulum tuum* etc., ad inthronizationem complendam, et recedunt ministri de libro et scotula.

Dum repetitur antiphona, caeremoniarius 2us. ponit canonem pontificalem, ad benedictionem solemnem apertum, in medio ante altare.

Benedictio a consecrato.

7 — Consecratus, reddito baculo caeremoniario suo, assurgit cum mitra, et ab acolythis amovetur faldistorium; deinde ad altare super dexteram suam se vertit, ne terga consecratori obvertat, et solemniter impertit benedictionem pontificalem cum cantu, dicens *Sit nomen Domini benedictum,* quod dum dicit signat se cum pollice dexterae manus ante pectus, sinistra altari apposita; signat se deinde a fronte ad pectus cum dicit *Adjutorium nostrum;* extendit, elevat et jungit manus cum dicit *Benedicat vos;* ac caput cruci inclinat cum dicit *Deus;* accipit subinde baculum ac se vertit ad populum pro triplici benedictione dicens *Pa+ter et Fi+lius et Spiritus+Sanctus;* ante et post benedictionem se vertit versus latus evangelii, ne terga consecratoribus obvertat. Vide notam 183.

Ad benedictionem consecrator et assistentes vel canonici et praelati in choro se inclinant, ceteri genuflectunt, et omnes signo crucis se muniunt.

Data benedictione a consecrato, ad acclamationes proceditur ut in n. *246*.

245 C — INTHRONIZATIO AD THRONUM

Iter episcoporum ad thronum.

1 — Consecratus, accepto annulo, assurgit et descendit in planum versus latus epistolae cum suis assistentibus: 1us. a dextris, et 2us. a dextris 1mi.

Consecrator assurgit, et, cum suis ministris, descendit in planum in medio ante altare, ad quod se vertit; sacri ministri, facta reverentia, ad scamnum recedunt.

Consecratus se sistit a dextris consecratoris et, una cum eo et suis assistentibus, conficit reverentiam cruci.

Consecrator se vertit super dexteram suam; consecratus et assistentes super sinistram; consecrator sinistra sua sumit dexteram consecrati, assistens 1us. sumit, dextera sua, sinistram ejus, et procedunt ad thronum; assistens 2us. ibit ad sinistram 1mi.; sequuntur ministri insignium consecratoris cum caudatario, et capellanus 1us. consecrati cum baculo.

Dum episcopi ad thronum procedunt, festivo more sonentur sacra aera turris.

Cum episcopi ab altari recedunt, acolythi faldistorium ad latus epistolae amovent.

Inthronizatio.

2 — Consecrator et 1us. assistens cum consecrato ad thronum ascendunt, qui, solvens manum sinistram a manu assistentis, super dexteram suam se vertit et sedet; postquam

sederit, consecrator manum ejus solvit, et, accepto baculo a capellano, eum consecrato tradit.

Consecrator se sistit in suppedaneo throni a dextris consecrati, assistens 1us. a dextris ejus in superiore gradu, et assistens 2us. in proximo gradu a dextris 1mi. qui omnes, aliquantulum ad consecratum versi, unam efformant lineam. Diagramma XXIII.

Te Deum.

3 — Caeremoniarius 1us. aufert mitram consecratori et assistentes auferunt suas, sed manibus retinent; ministri de libro et scotula se sistunt ante consecratorem qui intonat hymnum *Te Deum,* et recedunt; assistentes mitras suas induunt, et se sistunt: 1us. a dextris consecrati et 2us. a sinistris.

Consecratus cum mitra assurgit et cum suis assistentibus de throno descendit, consecratore in loco suo permanente sine mitra.

Processio benedictionis.

4 — Consecratus et assistentes, quibus se adjungent in medio choro capellani duo consecrati et capellani quatuor assistentium, facta in medio reverentia cruci, et genuflexione a capellanis, per mediam ecclesiam procedunt, ut in n. *244,* 3.

Te ergo quaesumus.

5 — Caeremoniarius 1us. ponit pulvinar ante consecratorem et acolythi ponunt pulvinaria tria super gradum introitus presbyterii, seu ubi commodius, juxta locorum adjuncta.

Ad versum *Te ergo quaesumus* consecrator genua flectit a latere dextero suppedanei throni et caeremoniarius 1us. ei aufert pileolum. Consecratus mitra et pileolo exuitur a suo caeremoniario; assistentes sibi ipsi auferunt mitras (quas tamen manibus retinent) et pileola, et omnes genua flectunt super pulvinaria. Finito versu, assurgunt omnes, consecratori reponitur pileolum et assistentes sibi reponunt sua; consecratus induit pileolum et mitram.

Complementum hymni.

6 — Consecratus ad thronum revertitur cum suis assistentibus et sedet, retenta mitra et baculo; assistentes se sistunt a dextris consecratoris ut antea; capellani assistentium et electi ad abacum recedunt.

Interim a schola complebitur cantus hymni.

Complementum inthronizationis.

7 — Omnia fiunt ut in n. *244,* 6, sed ministri de libro et scotula ad thronum se sistunt, ibique peragitur cantus antiphonae et orationis.

Iter epicoporum ad altare.

8 — Cantata oratione, caeremoniarius 1us. mitram imponit consecratori et minister de baculo ei tradit baculum; assistentes imponunt sibi mitras; assurgit consecratus et cum consecratore in planum descendit; omnes ad altare procedunt quo sequitur ordine: praeibunt consecrator et consecratus, ille a dextris, iste a sinistris, sequuntur assistentes duo, et post eos ministri insignium; caudatarius ibit sustentans caudam habitus talaris consecratoris, et ultimo capellani assistentium de mitris.

Ad altare maius.

9 — Ad altare maius episcopi reverentiam cruci conficiunt, ceteri genuflectunt; consecratus reddit baculum caeremoniario suo et ad suppedaneum ante medium altaris ascendit.

Sacri ministri ad altare accedunt, et, facta reverentia, se sistunt a lateribus consecratoris, qui reddit baculum ministro, et a diacono mitra exuitur, dum assistentes deponunt suas, quas tamen manibus retinent; consecrator ad extremum latus evangelii ascendit, facie ad latus epistolae versa, et assistentes ascendunt a dextris ejus, unam cum eo efformantes lineam; sacri ministri recedunt retro post consecratorem.

Benedictio a consecrato.

10 — Cum omnes ad loca sua pervenerint, consecratus, ad altare versus, solemniter in cantu impertit benedictionem, dicens *Sit nomen Domini benedictum,* uti in n. *244, 7.*

246 D — RITUS FINALES

Acclamationes.

1 — Diaconus mitram consecratori imponit et assistentes sibi induunt suas.

Consecratus, cum mitra et baculo, ad extremum latus epistolae recedit, descendit in superiore gradu, genua flectit in ora suppedanei, et cantat *Ad multos annos,* cum flexione finali vocis ad tonum cum dimidio.

Assurgit, procedit paulo ante medium altaris, iterum genua flectit, et elevando vocem dimidium toni iterum canit *Ad multos annos.* Assur-

git, procedit ante pedes consecratoris, genua flectit, et tertio canit, elevando vocem dimidium toni, *Ad multos annos*.

Amplexus. 2 — Assurgit consecratus, baculum caeremoniario suo tradit, et a consecratore recipitur ad amplexum; descendit in gradum ad amplexandum 1um. assistentem, et deinde in ultimo gradu 2um. assistentem amplexatur.

Recedit consecratus. 3 — Consecratus cum suis assistentibus se sistit in medio ante gradus altaris; capellani eorum loca sua sumunt retro post ipsos.

Caeremoniarius 2us. tradit baculum consecrato, qui de more se signat dicens *Initium sancti evangelii secundum Joannem,* retenta mitra.

Consecratus et assistentes reverentiam cruci et consecratori conficiunt, capellani vero semel genuflectunt, et procedunt ad altare minus; interim consecratus recitat initium evangelii Sancti Joannis.

Ad altare minus. 4 — Ante altare minus, consecratus, assistentes et capellani, reverentiam cruci conficiunt; caeremoniarius aufert mitram consecrato, et assistentes deponunt suas; genuflectunt omnes ad *Et Verbum caro factum est;* consecratus et assistentes acceptis mitris, se vertunt renibus ad altare, et ante scabella sua exspectant salutationem consecratoris, si transeat ante eos; cum sedet consecrator, sedent et ipsi.

Ad altare maius. 5 — Presbyter et diaconi assistentes de locis suis in choro descendunt, et se sistunt ante gradus altaris.

❯ Si consecrator sit metropolita, responsa salutatione episcoporum, exuitur mitra, et deinde pallio a diacono, adjuvante subdiacono, quod super altare reponitur.

Consecrator, dimissa mitra, ad altare se vertit, dicit *Dominus vobiscum* et incipit evangelium sancti Joannis; iterum accipit mitram et baculum, et, medius inter sacros ministros, in planum descendit, vertit se ad altare, et reverentiam cruci facit; presbyter et diaconi assistentes, retro post eum, faciunt cum eo reverentiam vel genuflexionem, et ministri insignium ac caudatarius genuflectunt.

Pontifex ad thronum revertitur, medius inter suos ministros, praeunte presbytero assistente, sequentibus diaconis assistentibus, et post eos caudatarius et ministri insignium. Ad thronum pontifex, dimissa mitra, genuflectit ad *Et Verbum caro factum est,* sedet et reddit baculum.

❯ Si ultimum evangelium sit proprium, capellanus 1us. consecrati ponit missale ejus apertum super legile in medio altaris minoris, et dum consecrator legit evangelium ad altare maius, consecratus idem facit, adstantibus utrimque assistentibus, ad altare suum.

Ad thronum. 6 — Consecrator sacras dimittit vestes, ministrantibus sacris ministris sine manipulis.

Cum pontifex ad thronum sederit, presbyter assistens, officio suo expleto, et diaconi assistentes, debitis cum reverentiis, recedunt ad vestes sacras dimittendas et ad chorales accipiendas.

Crucifer, si celebret metropolita, dimittit vestes sacras et accipit *croceam* seu cappam; ministri insignium dimittunt pluvialia et vela; canonici in choro, sacris vestibus dimissis, accipiunt chorales.

Sacri ministri recedunt ad scamnum, accedunt diaconi assistentes, et episcopus, suspensa cauda habitus talaris, accipit cappam et biretum.

Pontifex legit gratiarum actionem, dimittit sandalia et caligas, ministrante subdiacono; accipit calceos usuales et sacri ministri ad sacrarium redeunt.

Ad altare minus. 7 — Caeremoniarius 2us. accipit baculum consecrati eique sacras aufert vestes quas capellanis tradit, qui eas supra altare ponunt; deinde vestes chorales, annulum, crucem pectoralem et biretum ei tradit.

Capellanus 1us. cum canone ante consecratum se sistit, qui gratiarum actionem legit, dum cubicularius seu secretarius ejus aufert sandalia et caligas, eique calceos usuales reponit.

Episcopi assistentes, adjuvantibus suis capellanis, deponunt vestes sacras, quae super altare ponuntur, et accipiunt chorales et biretum.

Discessus. 8 — Acolythi ponunt faldistorium in plano ante altare pro consecratore, et pulvinaria tria pro consecrato et assistentibus, ut in principio functionis.

Consecratus, medius inter suos assistentes, pergit prope altare maius, consecratorem exspectans.

Diaconi assistentes, debitis cum reverentiis, ad loca sua in choro redeunt.

Consecrator surgit, et, ipse solus, caudatario caudam cappae sustinente, cum bireto in manu, de throno descendit, et, facta inclinatione capitis episcopis, cui ipsi respondent profunda capitis inclinatione, coram faldistorio genuflectit; assistens 1us. genuflectit a dextris ejus, assistens 2us. a sinistris, consecratus a dextris 1mi. assistentis. Facta oratione assurgunt omnes et discedunt ordine quo venerunt.

Consecratus pro more suis consecratoribus gratias agat, et quotannis, ad normam legum liturgicarum, anniversarium suae consecrationis celebret.

TITULUS III

DE SOLEMNI CONSECRATIONE AD FALDISTORIUM UNIUS ELECTI IN EPISCOPUM.

CAPUT I

PRAENOTANDA ET REGULAE SERVANDAE

247 ❯ Si consecrator sit episcopus extraneus vel titularis, coadjutor, auxiliaris, vel vicarius generalis, celebret ad faldistorium.

❯ Si electus sit consecratori superior, videlicet, ordinarius loci vel metropolita, nuntius vel delegatus apostolicus, consule tit. VI, cap. IV, n. *289*.

❯ Si electus sit loci ordinarius, sed nondum capta possessione, in jure habetur ut extraneus et omnia fiunt ut infra.

❯ Praelatus consecratori superior abstinebit ab interveniendo consecrationi, ne ordo rituum turbetur; vel, si placet, assistat sine cappa pontificali in 1.° loco chori, seu ad genuflexorium a latere evangelii, nec partem ullam habebit in missa vel consecratione.

1 — CLERUS CONSECRATIONIS idem erit ac pro consecratione ad thronum, n. *218,* demptis diaconis assistentibus et crucifero.

2 — REGULAE SERVANDAE pro consecratore, electo et assistentibus, eaedem sunt ac pro consecratione ad thronum, nn. *219, 220, 221, 222*. Quomodo consecrator se vertat habes ubi de ordinatione ad faldistorium, n. *118,* 1.

3 — PRESBYTER ASSISTENS tempore consecrationis recedit ad 1mum. locum chori vel ad scamnum, vel ponatur pro eo scabellum in plano a latere evangelii.

4 — SACRI MINISTRI servabunt regulas pro ordinationibus datas, n. *83.*

5 — MINISTRI INFERIORES regulas pro ordinationibus datas observabunt, n. *86, 87.*

6 — CHORUS ET PULSATOR ORGANI videant regulas pro consecratione ad thronum, n. *227, 228.*

7 — CONSECRATORI fit semper ab omnibus profunda capitis inclinatio, cum ad eum se conferunt, ab eo recedunt, vel ante eum transeunt.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

248 COLOR : pro utroque altari et clero : diei ; pro electo : albus.

ART. I — IN SACRARIO

Omnia ut in tit. II, n. *229,* sed exclude vestes pro diaconis assistentibus, pro crucifero et pro ministris insignium ; pro elevatione Sacramenti aderunt tantum funalia quatuor.

249 ART. II — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI

Si episcopi pergant eo ante functionem, parabitur genuflexorium oblongum sufficiens pro quatuor praelatis, cum pulvinaribus duobus, viridis vel violacei coloris, pro unoquoque ; vel parentur genuflexoria quatuor aequalia cum iisdem pulvinaribus vel saltem pulvinaria ; candelae altaris accendentur cum praelati ibidem orant.

250 ART. III — IN PRESBYTERIO

Omnia ut in tit. II, n. *231,* sed super altari aderunt tantum candelabra sex cum cereis.

Omittentur res necessariae pro cantu horae tertiae, videlicet, pluviale cum formali, et breviarium chorale ; res praegustationis, videlicet : patera, 2.ª hostia et 2um. purificatorium ; tabella indulgentiarum pariter omittetur.

Candelabra ad cancellos non apponentur, nec sacrae vestes canonicorum, nec basis pro cruce.

Vela serica duo pro mitra et baculo super abacum ponentur et pulvinaria quatuor aequalia super infimum altaris gradum.

A LATERE EPISTOLAE PROPE GRADUS ALTARIS :

Faldistorium missae sua veste coopertum cum pulvinari. Si faldistorium sit nimis depressum aderit suppedaneum altitudinis 1mi. gradus altaris. Faldistorium alterum seu consecrationis ponetur prope parietem.

251 ART. IV — AD CAPELLAM ELECTI

Capella electi parabitur a latere evangelii, ibique aderunt omnia ut pro consecratione ad thronum, n. *232.*

❯ Si sacri ministri utuntur planetis plicatis, parentur super scamnum cum planeta revoluta diaconi seu, ut aiunt, stola lata.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

252 ART. I — PRAEPARATIO AD CONSECRATIONEM

❯ Consecrator se vestit in presbyterio post tertiam.

Episcoporum adventus. 1 — Consecrator, assistentes et electus, simul ad ecclesiam accedunt, ubi recipiuntur a rectore et ab aliis ministris inservientibus.

Rector tradit hyssopum tangendum consecratori, 1.º assistenti, 2.º assistenti, et ultimo electo.

Proceditur ad altare ssmi. Sacramenti ordine sequenti : praeibit consecrator solus, sequuntur assistentes duo, 1us. a dextris, 2us. a sinistris, ultimo procedit electus, et post eum clerus qui aderit et inservientes.

Ad altare ssmi. Sacramenti genuflectunt a sinistris ad dexteram : electus, 2us. assistens, 1us. assistens, consecrator ; et, facta oratione, ad altare maius procedunt.

❯ Praelati poterunt etiam intrare bini, videlicet, consecrator cum 1.º assistente a sinistris ; 2us. assistens cum electo a sinistris ; in quo casu duo primi genuflectunt in duobus genuflexoriis in medio positis ; assistens

2us. in genuflexorio a dextris consecratoris, et electus in genuflexorio a sinistris 1mi. assistentis.

Ad altare maius. 2 — Ad altare maius quatuor praelati genua flectunt super pulvinaria posita in infimo gradu altaris, eodem ordine ac ad altare ssmi. Sacramenti; clerus ad loca sua in choro recedit et inservientes ad abacum; capellani assistentium et electi genua flectunt in medio presbyterio post episcopos.

Episcopi, facta oratione, assurgunt; assistentes et electus salutabunt consecratorem et iste illos; consecrator recedit ad faldistorium missae ibique sedet; assistentes, 1us. a dextris, 2us. a sinistris electi, pergunt cum eo, sequentibus suis capellanis, ad altare minus, ubi, facta cruci reverentia, assistentes loca sua mutant et sedent ad scabella cum electo in medio, et capellani recedunt ad abacum electi.

Praeparatio consecratoris. 3 — Presbyter assistens in habitu chorali se sistit a sinistris consecratoris, et ministri de libro et scotula ante eum; consecrator solito more legit praeparationem ad missam.

Interim acolythus 1us. portat caligas et sandalia in lance ad consecratorem, quibus induitur a suo familiari vel cubiculario; finita vestitione ac repetita antiphona, consecrator assurgit sine bireto ad versiculos et preces recitandas; sedet et legit orationes vestitionis, quibus dictis, discedunt ministri de libro et scotula.

Cum consecrator incipit praeparationem, sacri ministri in sacrario induunt sacras vestes, sine manipulis, vel etiam sine casulis plicatis, si eo die adhibeantur, et, finita praeparatione, debitis cum reverentiis, ad presbyterium accedunt, et loca sua sumunt ad scamnum.

Lotio manuum consecratoris. 4 — Consecrator lavat manus ordine tradito pro ordinatione ad faldistorium, n. *122*, 3.

Vestitio consecratoris. 5 — Proceditur ut in ordinatione ad faldistorium, n. *122*, 4.

Versus finem vestitionis, acolythi ponunt faldistorium consecrationis in medio suppedanei altaris.

Ad capellam electi. 6 — Electus, eodem tempore ac consecrator, legit praeparationem ad missam, accipit caligas et sandalia, manus lavat, et sacris induitur vestibus, et assistentes accipiunt suas, quae omnia fiunt ut in consecratione ad thronum, n. *235*, 4.

Iter episcopi ad altare. 7 — Cum omnia parata sunt, consecrator cum assistente presbytero a dextris et sacris ministris a sinistris, accepto baculo, ad altare accedit, salutans chorum; caudatarius et ministri de mitra et baculo episcopum sequuntur.

Ante altare, consecrator reddit baculum, et cum suis ministris salutat crucem; presbyter assistens ad chorum a latere evangelii recedit, et consecrator, medius inter sacros ministros, ad altare ascendit, et sedet ad faldistorium cum isti loca sua mutant.

Si consecrator indutus sit mitra pretiosa, exuetur ea a diacono et induetur mitra simplici, et deinde accipit gremiale.

Minister de mitra se sistit versus latus evangelii, et minister de baculo versus latus epistolae, alter alterum aspiciens; caudatarius recedit.

Clerici de abaco ponunt scabella tria ante gradus altaris ut in consecratione ad thronum.

253 ART. II — POSTULATIO ET EXAMEN

Omnia fiunt ut in consecratione ad thronum, n. *238*.

254 ART. III — MISSA USQUE AD CONSECRATIONEM ELECTI

Initium missae. 1 — Ad altare proceditur ut pro consecratione ad thronum, exceptis quae ad diaconos assistentes se referunt, n. *239*, 1, 2, 3.

Iter episcopi ad faldistorium missae. 2 — Consecrator, recepta incensatione et accepto baculo, descendit cum assistente et ministris ante gradus altaris, ubi facit cum illis reverentiam cruci, et ad faldistorium missae recedit.

Continuatio missae. 3 — Consecrator missam prosequitur ad faldistorium de more, nulla habita ratione ad electum, usque ad *Alleluia*, sive ultimum versum tractus, vel ultimam stropham sequentiae exclusive.

Post orationem diei canitur alia pro electo ut in n. *239*, 5 habetur.

Ad capellam electi. 4 — Omnia fiunt ut in consecratione ad thronum, n. *239*, 6.

255 ART. IV — CONSECRATIO ELECTI

Iter episcopi ad altare. 1 — Dum canitur graduale vel quod ejus locum tenet, acolythi faldistorium consecrationis in medio suppedanei altaris locant.

Consecrator, finito cantu, deponit gremiale, accipit baculum, assurgit, et ad altare procedit ordine jam tradito, n. *252*, 7.

Consecratio. 2 — Ad consecrationem proceditur ritu tradito pro functione ad thronum, n. *240*, 2 ad finem.

256 ART. V — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

Iter episcopi ad faldistorium missae. 1 — Consecrator, accepto baculo, assurgit, et, cum suis ministris et presbytero assistente, in planum descendit.

Sacri ministri se sistunt a sinistris pontificis et assistens presbyter a dextris; caudatarius et ministri de mitra et baculo retro post eum stabunt; consecrator cum assistente et ministris cruci altaris debitam facit reverentiam, ceteri genuflectunt, et ad faldistorium missae recedit, sine reverentia electo, cum non transeat ante eum.

Interim ab acolythis amovebitur faldistorium consecrationis.

Ultimus versus gradualis. 2 — Consecrator sedet, reddit baculum et accipit gremiale; diaconus se sistit a dextris ejus, subdiaconus a sinistris, et presbyter assistens a sinistris subdiaconi ad librum; ministri de libro et scotula se praesentant et consecrator legit ultimum versum gradualis, vel qui alias legendus erit, qui a schola cantatur.

› Si consecratus nondum ad suum altare accesserit, consecrator exspectabit paulisper quousque accedat.

Continuatio missae. 3 — Missa prosequitur ad faldistorium sueto more usque ad cantum offertorii inclusive.

Ad altare consecrati. 4 — Consecratus, cum ad altare suum accesserit, procedit sicut in consecratione ad thronum usque ad cantum offertorii inclusive, n. *241*, 2 ad 5.

Offertorium electi consecratori. 5 — Dona offerenda distribuuntur capellanis ut in n. *241*, 6, habetur.

Pulvinar locetur ante faldistorium missae et diaconus ponit gremiale linteum super gremium episcopi et faldistorio aptat.

Diaconus se sistit a dextris consecratoris et subdiaconus a sinistris, sed ambo aliquantulum retro; presbyter assistens recedit versus latus epistolae.

Consecratus ad consecratorem ducetur ut in n. *241*, 6 habetur; sed, facta reverentia cruci altaris maioris, accedunt omnes ante faldistorium missae, ubi reverentiam consecratori conficiunt; assistentes se sistunt: 1us. a dextris consecrati, 2us. a sinistris, facie ad consecratorem et retenta mitra.

Consecratus genuflectit super pulvinar, cum capellanis a dextris, alius post alium, et dona sua consecratori tradit prout in functione ad thronum n. *241*, 6.

Capellani, rebus pontifici datis, transeunt ad dexteram diaconi, a quo illas iterum recipiunt, et ad abacum consecrationis portant, vel a latere epistolae reponunt.

Capellanus 1us. consecrati legile cum missali electi ab altari ejus ad extremum cornu epistolae altaris maioris transfert.

Offertorio expedito, electus assurgit; assistentes et electus, facta reverentia conscratori, ad cornu epistolae accedunt, ubi consecratus accedit ad missale, assistentes loca sumunt in inferiori gradu retro post eum, ibique permanebunt ad peractas ablutiones.

Lotio manuum consecratoris. 6 — Cum discedit consecratus, caeremoniarius 1us. tollit pulvinar; acolythus de gremiali cum lance se sistit coram consecratori qui annulum et chirothecas deponit; recedit acolythus et accedunt ministri lotionis, et consecrator de more lavat manus, ministrante mantile presbytero assistente, qui ei imponit annulum; diaconus aufert gremiale linteum et ministro tradit, qui recedit cum ministris lotionis.

257 ART. VI — CONCELEBRATIO ET COMMUNIO

Iter episcopi ad altare. 1 — Pontifex, accepto baculo, assurgit et pergit ad altare ordine jam tradito, n. *252*, 7.

Concelebratio. 2 — Omnia fiunt ut in consecratione ad thronum, n. *242*, sed observa :

1 — Ad *Sanctus* intrabunt clerici quatuor tantum cum funalibus.
2 — Consecrator, data pace consecrato, eam dabit presbytero assistenti, ad chorum transmittendam, et ultimo sacris ministris.
3 — Consecrator benedictionem dabit cum mitra.
4 — Indulgentiae non publicabuntur.

258 ART. VII — INTHRONIZATIO ET RITUS FINALES

Traditio mitrae et chirothecarum. 1 — Proceditur ut in functione ad thronum, n. *243*.

Inthronizatio. 2 — Ad faldistorium consecrationis proceditur ut in functione ad thronum, n. *244*.

Acclamationes et amplexus. 3 — Fiunt ut ibidem habetur, n. *246*, 1, 2.

Recedit consecratus. 4 — Ut ibidem, n. *246*, 3. Consecrator ad altare maius procedit ut in n. *246*, 4.

Ad altare maius. 5 — Consecrator, dimissa mitra, ad altare se vertit, et in cornu evangelii recitat more solito initium evangelii sancti Joannis, vel proprium, si erit eo die legendum. Interim presbyter assistens locum sumit ante gradus altaris a latere epistolae. Finito evangelio, consecrator accipit mitram et baculum et descendit in planum cum suis ministris; ante gradus altaris sacri ministri se sistunt a sinistris ejus et assistens presbyter a dextris, et, facta ab omnibus debita reverentia cruci, ad faldistorium recedit et sedet.

Ad faldistorium. 6 — Presbyter assistens, debitis cum reverentiis, ad sacrarium recedit ad sacras dimittendas vestes.

Sacri ministri ad scamnum deponunt manipulos, vel etiam casulas plicatas si eo die adhibeantur, et ad consecratorem iterum accedunt, ubi diaconus, adjuvante subdiacono, exuit episcopum sacris vestibus.

Sacri ministri, debitis cum reverentiis, ad sacrarium recedunt, et presbyter assistens in habitu chorali se sistit a sinistris pontificis, qui sueto more, acceptis vestibus choralibus, legit gratiarum actionem, interim dimittens sandalia et caligas, et accipit calceos usuales.

Ad altare consecrati. 7 — Proceditur ut in functione ad thronum, n. *246*, 7.

Discessus. 8 — Acolythi ponunt pulvinaria quatuor super infimum altaris gradum; consecratus et assistentes se sistunt versus sinistram consecratoris, qui assurgit, et, facta mutua reverentia, cum illis ad altare accedit, et genuflectunt eodem ordine ac in ingressu; deinde, ordine quo venerunt, facta oratione ad altare ssmi. Sacramenti, recedunt in pace.

❯ Consecratus suis consecratoribus pro recepta consecratione gratias agat, cujus anniversarium erit quotannis celebrandum juxta leges liturgicas.

TITULUS IV

DE CONSECRATIONE LECTA UNIUS ELECTI IN EPISCOPUM

CAPUT I

PRAENOTANDA

259 MISSA LECTA PONTIFICALIS. Episcoporum consecratio est ritus solemnis, qui intra missarum solemnia fieri debet. **CJC 1006 § 1.** Verba *missarum solemnia* in jure intelligi debent de missa cantata cum sacris ministris, haec enim a rubricis MR *missa solemnis* vocatur, prout opponitur missae privatae seu lectae. Rubricae PR tamen admittunt consecrationem privatam seu sine cantu, intra missam lectam, justa interveniente causa, seu cum solemnitas haberi non potest, sive defectu cantorum seu ministrorum, sive alia de causa.

Consecratio solemnis supponit missam solemnem, et consecratio lecta, missam lectam; consecratio enim fit intra missam, cum qua unum quid efformat; propterea sicut non licet facere officium consecrationis sine cantu intra missam solemnem, sic non licet facere officium consecrationis cum cantu intra missam lectam. Optandum proinde ut episcoporum consecrationes fiant solemniter, sicut natura ipsius ritus postulat, nisi, justa et rationabili de causa, fieri aliquando debeat privatim sine cantu prout infra habetur. Vide n. *160* (148).

CAPUT II

CLERUS CONSECRATIONIS ET REGULAE SERVANDAE

260 ADERUNT :

Consecrator.
Co-consecratores duo.
Capellani assistentes duo.
Caeremoniarum magistri duo.
Ministri insignium quatuor :
pro mitra, baculo, libro et candela.
Ministri ad abacum tres :
unus pro gremiali et duo acolythi.
Familiares consecratoris tres :
Secretarius ;
Cubicularius ;
Caudatarius si celebrans caudam cappae seu habitus talaris explicet.

PRO ELEVATIONE SACRAMENTI :
Clerici duo pro funalibus.

PRO UNOQUOQUE CO-CONSECRATORE :
Capellani duo pro pontificali et mitra.

PRO ELECTO :
Clerici ad abacum ejus duo.
Secretarius vel cubicularius.

› Si celebrat metropolita, crucifer aderit cum *crocea* sive cappa.

261 REGULAE SERVANDAE

1 — CONSECRATOR servabit regulas in consecratione solemni traditas, n. *219;* sed quae ibi cantantur, vel tantum intonabit, vel integre elata voce recitabit ut suis locis dicetur.

Consecrator caudam habitus talaris solvit, etiamsi non sit loci ordinarius, nisi functio sit privata.

2 — CO-CONSECRATORES servabunt regulas in consecratione solemni traditas, nn. *220, 221.*

3 — ELECTUS servabit regulas consecrationis solemnis, n. *222.*

4 — CAPELLANI ASSISTENTES DUO, si consecratio fit in ecclesia cathedrali, canonici sunto, quod servabitur, quantum fieri poterit, in aliis ecclesiis civitatis episcopalis cum suis suburbiis.

Capellani tempore missae inserviunt juxta regulas missae lectae, et servabunt regulas traditas pro ordinatione lecta, n. *162,* 3.

5 — MINISTRI INSIGNIUM ET ABACI AC CAPELLANI consulant regulas traditas pro ordinatione lecta, n. *162,* 5, et pro consecratione solemni, n. *226*.

6 — CHORUS tempore missae servabit regulas missae solemnis (vide notam 96) ; tempore consecrationis servabit regulas in consecratione solemni datas, n. *227.*

7 — PULSATOR ORGANI videat regulas consecrationis solemnis, n. *228.*

CAPUT III

DE PRAEPARANDIS

262 COLOR : pro utroque altari et consecratoribus : diei ;
pro electo : albus.

ART. I — IN SACRARIO

PRO CAPELLANIS ET INSERVIENTIBUS :
Superpellicea.

PRO CLERO UNIVERSO :
Superpellicea et libri parvuli cum ritu consecrationis.

PRO RECEPTIONE CONSECRATORUM :
Vasculum aquae lustralis cum hyssopo.

PRO ELEVATIONE SACRAMENTI :
Funalia duo vel quatuor.

SI CELEBRET METROPOLITA :
Crux hastata.

263 ART. II — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI

Prout consecrator erit praelatus maior relate ad alios, vel non, parentur genuflexoria ut in consecratione solemni, nn. *230* et *249* et accendantur cerei altaris cum episcopi ibi pergant ante et post consecrationem.

264 ART. III — IN PRESBYTERIO

AD ALTARE.

Parentur omnia ut in consecratione solemni, demptis pluviali et formali, n. *231*.

THRONUS. Si consecratio fit a loci ordinario in ecclesia cathedrali, thronus suis vestibus ornabitur, sed non apponentur scabella.

Si consecratio fit extra ecclesiam cathedralem, et consecrator jus habeat ad thronum, poterit apponi pro maiore solemnitate.

SUPER ABACO MISSAE a latere epistolae, alta tobalea circumcirca cooperto:

Candelabra duo acolythorum cum cereis.
Calix paratus suo velo coopertus, desuper bursa cum corporali.
Patena alia cum cochleari pro communione.
Calix cum purificatorio pro electo.
Ampullae vini et aquae.
Campanula.
Urceus cum pelvi.
Manutergia in lance.
Caligae et sandalia in lance velo cooperta.
Missale cum legili vel cussino.
Epistolae et evangelia cum manipulo episcopi.
Canon pontificalis.
Formula indulgentiarum, si erunt concedendae.
Scotula cum candela.

SUPER ABACUM CONSECRATIONIS :

Omnia ut in consecratione solemni, n. *231*.

A LATERE EPISTOLAE :

Faldistorium sua veste coopertum cum pulvinari.

SUPER ULTIMUM ALTARIS GRADUM :

Pulvinaria quatuor aequalia.

A LATERE EVANGELLI si celebrat metropolita :

Basis pro infigenda cruce.

❯ Si consecrator se vestiat ad thronum, faldistorium ponetur in medio ante gradus altaris, et retro post pulvinaria duo a dextris pro assistentibus, et pulvinar unum a sinistris pro electo; quod servabitur etiam si consecrator sit praelatus maior relate ad alios, licet non utatur throno.

❯ Si consecrator non sit loci ordinarius, nec ei superior, faldistorium pro vestitione ponetur a latere epistolae facie ad latus evangelii, aliquantulum ante gradus altaris.

265 ART. IV — AD CAPELLAM ELECTI

Omnia ut in consecratione solemni, n. *232*.

❯ Si capella electi distat ab altari maiore, a latere evangelii prope altare maius parentur alia scabella tria, ne teneantur capellani scabella ab uno ad aliud altare transportare.

❯ Quoad res parandas vide observationes pro consecratione solemni, n. *234*.

CAPUT IV

RITUS SERVANDUS

ART. I — PRAEPARÁTIO AD CONSECRATIONEM

266 A — SI CONSECRATOR SIT LOCI ORDINARIUS VEL PRAELATUS SUPERIORIS GRADUS

Adventus consecratoris. 1 — Dato signo a magistro caeremoniarum et accensis candelis altarium et abaci, clerus ibit ad consociandum episcopum ad januam ecclesiae; si celebret metropolita suus crucifer aderit.

Episcopi assistentes et electus in ecclesia conveniunt ante adventum consecratoris, et se adjungent clero ad januam ecclesiae.

Consecrator, accepta cappa, seipsum aspergit, deinde tradit aspersorium tangendum 1.° assistenti, postea 2.°, ultimo electo, et aspergit clerum de more.

Consecrator procedit ipse solus, caudatario caudam cappae sustentante; post eum procedunt assistentes duo, 1us. a dextris, 2us. a sinistris,

et ultimo electus; vel si tres simul incedunt, assistens 1us. ibit in medio cum 2.° assistente a dextris et electus a sinistris; sequitur clerus solito ordine.

Ad altare maius. 2 — Ad altare ssmi. Sacramenti et ad altare maius proceditur ut in n. *236,* 1, 2, et consecrator pergit ad thronum vel ad faldistorium ut infra.

267 B — SI CONSECRATOR SIT EPISCOPUS EXTRANEUS VEL TITULARIS.

Adventus episcoporum. 1 — Proceditur ordine tradito pro consecratione solemni ad faldistorium, n. *252,* 1.

Ad altare maius. 2 — Proceditur ut in n. *252,* 2, ubi de consecratione ad faldistorium, sed facta oratione ad altare maius, consecrator pergit ad faldistorium ut infra, n. *269.*

268 *I — Praeparatio ad thronum*

Capellani assistentes consecratoris, debitis cum reverentiis ad thronum accedunt.

Consecrator legit praeparationem, induit caligas et sandalia, solvit caudam habitus talaris, manus lavat, et demum sacras induit vestes, quae omnia fiunt ordine tradito pro ordinatione lecta, n. *166,* 2.

❯ Si celebrans sit metropolita, crucifer crucem locabit in sua basi versus latus evangelii, ibique per totam functionem permanebit, una benedictione finali excepta, et cum episcopus sacras induit vestes, ipse, deposita cappa vel *crocea,* induit superpelliceum.

269 *II — Praeparatio ad faldistorium*

Praeparatio consecratoris. 1 — Facta oratione ad altare maius, assurgunt praelati; consecrator salutabit assistentes et electum, qui ei respondebunt, et recedit ad faldistorium a latere epistolae positum, facie ad latus evangelii, ubi sedet et caput bireto cooperit; assistentes et electus ad altare minus recedunt ordine tradito, n. *252,* 2.

Capellani assistentes consecratoris ad eum cum reverentiis accedunt, et consecrator facit praeparationem et cètera omnia uti habetur pro ordinatione lecta, n. *166,* 2, 3, 4.

Ad capellam electi. 2 — Electus, medius inter suos assistentes, legit praeparationem ad missam, accipit caligas et sandalia, manus lavat et vestes sacerdotales induit, dum assistentes accipiunt suas; quae omnia fiunt ut in consecratione solemni ad thronum, n. *235,* 4, et eodem tempore ac consecrator.

Iter consecratoris ad altare. 3 — Acolythi ponunt faldistorium in medio suppedaneo altaris.

Consecrator, accepto baculo, assurgit, et, medius inter suos capellanos, caudatario caudam habitus talaris sustentante, sequente ministro de baculo, ad altare procedit.

Consecrator ante altare reddit baculum capellano 2.°, qui eum tradit ministro, et facit cruci profundam reverentiam; ceteri genuflectunt.

❯ Capellani, si sint canonici in sua dioecesi vel praelati, reverentiam profundam facient cruci loco genuflexionis.

Consecrator cum suis capellanis ad altare ascendit et sedet in faldistorio, dum capellani loca sua mutant.

Minister de baculo recedit, et se sistit versus latus epistolae prope ministrum de mitra; caudatarius se sistit prope abacum.

270 ART. II — POSTULATO ET EXAMEN

Omnia fiunt ut in consecratione solemni ad thronum, n. *238.*

271 ART. III — MISSA USQUE AD CONSECRATIONEM ELECTI

Initium missae. 1 — Consecrator, deposito gremiali, assurgit, et cum suis capellanis in planum descendit, ubi ad altare super sinistram suam se vertit; capellanus 2us. transit ad sinistram electi et 1us. ad dexteram consecratoris eique aufert mitram.

Electus accedit ad sinistram consecratoris, cum eo profundam reverentiam cruci facit et pontifex incipit missam, cui electus respondet.

Capellani assistentes, aliquantulum retro post consecratorem, 2us. a sinistris electi, 1us. a dextris consecratoris, genua flectunt, etiamsi sint canonici vel paelati, et cum electo consecratori respondent. Ceteri ministri et caeremoniarii recedunt.

Episcopi assistentes stantes, 1us. a latere epistolae, 2us. a latere evangelii, congruo spatio retro post consecratorem faciunt de more confessionem, cum suis capellanis flexis genibus utrimque ipsis respondentibus. **Diagramma XXIV.**

Acolythi faldistorium amovent et in plano a latere epistolae ponunt, et scabella ad latus evangelii vel ad altare minus.

Dicto *Indulgentiam*, capellanus 2us. surgit, et, recedente aliquantulum electo, manipulum sinistro brachio consecratoris aptat, recedit et iterum genuflectit.

Dicto *Dominus vobiscum* praelati ab inclinatione cessant; electus consecratorem profunda capitis inclinatione salutabit, cui ille respondebit.

Iter electi ad capellam suam. 2 — Omnia ut in consecratione solemni, n. *239*, 2.

Consecrator exspectat 3 — Cum discedit electus, consecrator, accepta mitra, recedit cum suis capellanis ad faldistorium in plano a latere epistolae et sedet; ibique exspectat quousque electus pontificales vestes induat (149).

Interim minister de libro ponit missale apertum super legile a latere epistolae, et canonem pontificalem in medio altaris, et minister de candela eam a latere epistolae prope missale deponit.

Ad capellam electi. 4 — Omnia fiunt ut in consecratione solemni, n. *239*, 6, sed electus surgit cum consecratore cum quo legit missam inde ab *Oremus, Aufer a nobis* ut infra, et prosequuuntur semper insimul (150).

Continuatio missae. 5 — Finita vestitione electi, minister de libro cum evangelistario se sistit a sinistris 2di. capellani; consecrator surgit et ad altare accedit, ubi, deposita mitra, facit cruci profundam reverentiam, capellani et minister de libro genuflectunt.

Consecrator, dicto solito more *Oremus*, ad suppedaneum altaris ascendit dicens orationem *Aufer a nobis;* cum dicit *Oramus te, Domine*, osculatur altare, et, oratione finita, capellanus 2us. a sinistris initium evangelii diei deosculandum tradit, et reddit librum ministro, qui recedit.

Consecrator solito more missam prosequitur, adstantibus suis capellanis, 1us. a dextris et 2us. a sinistris, et, post orationem diei, recitat alteram pro electo.

Dum consecrator legit epistolam, acolythi ponunt faldistorium in medio suppedaneo et scabella tria in plano ante altare, sicut pro examine posita fuerunt, et minister de libro canonem ab altari amovet.

Cum consecrator pervenerit ad ultimum versiculum gradualis vel tractus, vel ad ultimam stropham sequentiae, missa interrumpitur.

Consecrator sedet ad faldistorium et accipit mitram simplicem; capellani assistentes loca sua mutant, seu 1us. transit ad latus evangelii, 2us. ad latus epistolae; minister de candela eam ex altari accipit et minister de libro sumit pontificale.

272 ART. IV — CONSECRATIO ELECTI

Iter electi ad consecratorem. 1 — Fit sicut in consecratione solemni, n. *240*, 2.

Instructio. 2 — Fit ut in consecratione solemni, n. *240*, 3.

Invitatio ad orandum. 3 — Dicitur ut in consecratione solemni, n. *240*, 4, sed clara voce sine cantu a consecratore, et submissiore voce ab assistentibus.

Litaniae. 4 — Litaniae recitantur recto tono a duobus clericis in medio presbyterio retro post assistentes, omnibus respondentibus; vel, si maluerit consecrator, recitabit ipse litanias, ceteris respondentibus.

Ad benedictiones assurgit consecrator solus cum suis capellanis et ministris de libro et scotula, et clara voce recitat invocationes tres, omnibus respondentibus.

Cetera fiunt ut in consecratione solemni, n. *240*, 5, 6, 7.

Impositio manuum. 5 — Omnia fiunt in consecratione solemni, n. *240*, 8, 9, 10.

Praefatio. 6 — Introductio ad praefationem et praefatio dicuntur ut in consecratione solemni, n. *240*, 11, 12, sed consecrator omnia recitat clara voce sine cantu, co-consecratores vero submissiore sed clara voce.

Unctio capitis. 7 — Omnia fiunt ut in consecratione solemni, n. *240*, 13, sed consecrator incipit hymnum: *Veni, Creator*, qui recitabitur alternatim a clero in choro vel a duobus clericis ad instar cantorum.

Finita unctione capitis, consecrator inceptam praefationem eodem modo complebit, n. *240*, 14.

Unctio manuum. 8 — Omnia fiunt ut in consecratione solemni, n. *240,* 15, sed consecrator incipit antiphonam : *Unguentum in capite,* quae recitabitur, cum illis quae sequuntur, a clero in choro vel a duobus clericis ad instar cantorum.

Cetera omnia. 9 — Cetera omnia, usque ad discessum consecrati ad suam capellam, fiunt ut in consecratione solemni, n. *240,* 16 ad 19.

Lotio manuum consecratoris. 10 — Ministri lotionis, cum acolytho ferente medullam panis et citreum in lance, ad faldistorium se sistunt, et consecrator digitos fricat, et manus lavat ac abstergit, ministrante mantile capellano assistente 1.°.

Finita lotione, ministri discedunt; capellani solvunt gremiale linteum, quod amovebitur; deinde minister de gremiali cum chorothecis in lance accedit et consecrator eas iterum induit; ultimo capellanus 1us. digito ejus imponit annulum, et recedit minister cum lance.

Ad capellam consecrati. 11 — Omnia fiunt ut in consecratione solemni, n. *240,* 21.

273 ART. V — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

Continuatio missae. 1 — Finita lotione manuum consecratoris et consecrati, consecrator mitram deponit, assurgit, et se sistit ad missale a latere epistolae.

Cum assurgit consecrator, acolythi faldistorium a suppedaneo amovent.

Consecrator resumit missam, quam solito more prosequitur usque ad versum offertorii inclusive.

Ad capellam electi. 2 — Cum assurgit consecrator, surgunt assistentes (sine mitris) et consecratus, qui se vertunt ad altare, et, facta reverentia, ascendunt, mutantibus loca sua assistentibus. Consecratus in medio altari prosequitur missam clara sed submissa voce una cum consecratore usque ad versum offertorii inclusive; inclinatus in medio dicit *Munda cor meum* et ibidem legit evangelium in cujus fine osculatur librum dicens *Per evangelica dicta* et assistentes respondent *Laus tibi, Christe;* non se vertit ad *Dominus vobiscum* post evangelium, sed altare osculatur et manus extendit de more.

Dona electi consecratori. 3 — Lecto offertorio, consecrator ad latus evangelii se sistit dum acolythi ponunt faldistorium in medio suppedaneo; deinde sedet et accipit mitram pretiosam, vel, si color diei sit violaceus, simplicem; caeremoniarius 1us. ponit pulvinar in superiori altaris gradu, vel, si locus id permittat, in ora suppedanei.

Incepto *Credo,* 2us. caeremoniarius distribuit dona consecrati capellanis prout in consecratione solemni habetur, n. *241,* 6.

Electus, medius inter suos assistentes, ad altare procedit, ordine tradito pro offertorio ad thronum, n. *241,* 6.

Ante altare electus et assistentes una simul conficiunt reverentiam cruci et consecratori dum capellani genuflectunt.

Proceditur ad offerenda dona ordine tradito, n. *241,* 6, sed consecrator reddit dona capellano suo 1.°, qui ea tradit capellanis, ad abacum consecrationis reponenda. Diagramma XXV.

Donis traditis, consecratus assurgit, in planum descendit, facit cum suis assistentibus reverentiam conjunctim cruci et consecratori, et ad extremum cornu epistolae altaris, cum suis assistentibus, accedit, ordine in consecratione solemni tradito, n. *241,* 6.

Lotio manuum consecratoris. 4 — Cum discedit consecratus, caeremoniarius 1us. aufert cussinum, et minister de gremiali se praesentat cum lance ad chirothecas recipiendas, quas assistentes auferunt, et recedit minister.

Ministri lotionis ad faldistorium accedunt et consecrator solito more manus lavat; finita lotione consecrator iterum accipit annulum et dimittit gremiale linteum et recedunt ministri.

274 ART. VI — CONCELEBRATIO ET COMMUNIO

Celebratio missae a consecratore. 1 — Consecrator, deposita mitra, quam deponunt etiam assistentes, surgit et recedit versus latus evangelii, dum ab acolythis amovetur faldistorium; deinde versus ad altare sueto more missam celebrat, advertens ut partes secretas pausatim et clara voce recitet, ut consecratus possit cum eo omnia legere. Capellanus 2us. vinum in calice sufficiens pro duobus episcopis infundit.

Concelebratio a consecrato. 2 — Consecratus omnia agit ut in consecratione solemni, *242,* 3. Diagramma XXVI.

Assistentes. 3 — Agunt ut in consecratione solemni, *242,* 4.

Incensatio. 4 — Omittitur.

Lavabo. 5 — Consecrator accipit mitram pretiosam, vel simplicem juxta tempus, et proceditur ut in consecratione solemni, n. *242,* 6.

Orate fratres 6 — Ut in consecratione solemni, n. *242,* 7.

Secretae. 7 — Ut in consecratione solemni, n. *242,* 8.

Funalia. 8 — Ad *Sanctus* intrabunt clerici, cum funalibus pro consecratione, et, ea finita, recedunt.

Canon Missae. 9 — Ut in consecratione solemni, n. *242,* 10 ad 14.

Pax. 10 — Capellanus assistens 2us. recedit aliquantulum cum accedit consecratus ad pacem recipiendam.

Consecrator pacem consecrato dabit, et hic assistentibus, ut in consecratione solemni, n. *242,* 15.

❯ Pax minime dabitur ministrantibus vel choro, nisi cum instrumento episcopis forte praesentibus.

Communio. 11 — Omnia fiunt ut in consecratione solemni, n. *242,* 16; capellanus 2us. assistens recedit versus latus epistolae cum accedit consecratus ad communionem recipiendam.

Purificatio et communio. 12 — Omnia fiunt ut in consecratione solemni, n. *242,* 17, cantu omisso.

Consecrator, pro lotione manuum, accipit mitram pretiosam (vel simplicem), deinde eam deponit.

Communio recitabitur a consecratore de more, et a consecrato a latere evangelii.

Postcommunio. 13 — Consecrator legit postcommunionem diei cum alia pro consecrato sub eadem conclusione, et adjungit alias si erunt dicendae. Consecratus ad suum missale a latere extremo evangelii idem facit.

Dimissio et Placeat. 14 — Consecrator dicit *Ite Missa est,* vel si dictum non fuit *Gloria, Benedicamus Domino,* et dicit orationem *Placeat,* quae omnia eodem tempore a consecrato recitantur.

Benedictio. 15 — Dabitur a solo consecratore ordine tradito pro consecratione solemni, n. *242,* 21, sine cantu tamen.

Indulgentiae. 16 — Consecrator, si gaudeat facultate, indulgentias dabit clero et populo, quae publicentur a capellano assistente 1mo. in loco suo.

275 ART. VII — INTHRONIZATIO ET RITUS FINALES

Traditio mitrae et chirothecarum. 1 — Servabitur ordo in consecratione solemni traditus, n. *243,* sed ubi dicitur *diaconus,* lege *capellanus assistens 1us.,* et ubi dicitur *subdiaconus,* lege *capellanus assistens 2us.,* nec recedunt diaconi assistentes, quia ibidem non sunt.

Inthronizatio. 2 — Inthronizatio fit ad faldistorium ordine tradito pro functione solemni, n. *244* sed sine cantu, videlicet:

1 — *Te Deum* recitabitur alternatim sine cantu a clero in choro.
2 — Antiphona *Firmetur manus tua,* cum *Gloria Patri* et iteratione antiphonae, recitabitur clara voce sine cantu a consecratore, qui in eodem tono legit versiculos et orationem.
3 — Benedictio solemnis dabitur a consecrato pariter sine cantu (151).

Acclamationes et amplexus. 3 — Consecratus eadem clara voce sine cantu dicit ter *Ad multos annos,* et proceditur tradito ordine, n. *246,* 1, 2.

Recedit consecratus. 4 — Consecratus cum suis assistentibus recedit ad altare suum ordine tradito pro consecratione solemni, n. *246,* 3.

Ultimum evangelium. 5 — Deinde consecrator ad altare super sinistram suam se vertit, et de more legit initium evangelii sancti Joannis.

› Si ultimum evangelium sit proprium, legitur a consecratore a latere evangelii, et eodem tempore a consecrato in medio sui altaris.

Interim acolythi ponunt faldistorium in plano a latere epistolae facie ad latus evangelii ut ad initium functionis, nisi consecrator utatur throno.

Consecrator, lecto evangelio, accipit mitram pretiosam (vel simplicem) et baculum, et, medius inter suos capellanos, in planum descendit, ubi, facta cruci reverentia, et genuflexione a capellanis, ad faldistorium redit, ubi sedet et reddit baculum.

Consecrator, ministrantibus suis capellanis, sacras dimittit vestes et accipit chorales. Deinde solito more legit gratiarum actionem, dum a suo familiari sandaliis et caligis exuitur, et accipit calceos usuales.

› Si consecrator usus est throno pro vestitione, ad eum accedit ad sacras dimittendas vestes et pro gratiarum actione post recitationem ultimi evangelii ad altare.

Ad altare consecrati. 6 — Proceditur ut post functionem solemnem, n. *246, 7*.

Discessus. 7 — Consecratores et consecratus discedunt, vel ordine tradito post functionem ad thronum, n. *246*, 8, vel ordine tradito post functionem ad faldistorium, n. *258*, 8, prout consecrator erit loci ordinarius vel praelatus superioris gradus vel non.

TITULUS V

DE CONSECRATIONE PLURIMORUM ELECTORUM IN EPISCOPOS

CAPUT I

PRAENOTANDA ET REGULAE SERVANDAE

276 › Consecratio plurimorum episcoporum, praesertim si sint plus quam tres, non commendatur, nam ritus consecrationis prout exstat in PR supponit consecrationem unius: concelebratio ad aliud altare vel ad altare maius, communio ex eadem hostia, eodemque calice, inthronizatio, et alia plurima, optime fiunt pro uno, difficile pro pluribus; tamen consecratio plurimorum episcoporum a jure non prohibetur, immo PR id permittit (152).

1 — CLERUS CONSECRATIONIS idem erit ac in consecratione unius ad thronum, ad faldistorium, vel privatim. Unusquisque electus habebit suum caeremoniarium et capellanos duos inservientes.

2 — REGULAE SERVANDAE eaedem sunt ac in consecratione unius.

3 — CO-CONSECRATORES DUO inserviunt etiam ut assistentes omnium consecrandorum.

4 — PRAECEDENTIA. Praecedunt archiepiscopi electi, deinde episcopi. Inter electos ejusdem ordinis praecedit prius promotus, vel si in eodem concistorio promoti fuerint, standum ordini concistorii. DD 270; 4133. Vide tom. III, n. *19*, 7.

5 — PLURALI NUMERO. Consecrator vel co-consecratores recitabunt plurali numero uti in appendice PR habetur:

1 — Benedictiones duas examinis *Haec omnia* et *Haec vobis*.

2 — Orationem *Oremus, fratres carissimi* ante litanias.

3 — Benedictiones ad litanias.

4 — Orationem *Propitiare* cum praefatione.
5 — Benedictiones vestium et insignium.
6 — Orationem *Deus omnium fidelium* in fine inthronizationis.
Cetera omnia dicuntur singulari numero. Vide n. *220,* 3, 5.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

277 Parentur omnia ut in consecratione unius, prout functio erit solemnis vel lecta, praeterea observa :

I — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI.

Apponentur tot genuflexoria cum pulvinaribus quot erunt electi, vel scamnum oblongum cum pulvinaribus sufficiens pro omnibus.

II — IN PRESBYTERIO.

SUPER ABACUM MISSAE aderunt calices cum vino et purificatoria, tot quot erunt consecrandi ; hostia erit formae maioris, sufficiens pro omnibus, vel plures hostiae prout erunt electi.

SUPER ABACUM CONSECRATIONIS *pro unoquoque electo* :

Mappulae seu vittae pro capite et manibus.
Epistolae et evangelia vel missale.
Baculus, annulus, mitra, chirothecae.

A LATERE EPISTOLAE vel ubi commodius *pro unoquoque electo* :

Pulvinaria duo.
Scabellum unum, nisi utantur scabellis altaris minoris.
Faldistorium suis vestibus coopertum pro inthronizatione.

❯ Ad latus epistolae apponetur suppedaneum ad altitudinem suppedanei altaris, quo consecrati possint commode celebrare et genuflectere.

III — AD CAPELLAM ELECTORUM.

ALTARE erit sufficiens pro omnibus electis cum duobus assistentibus ; aderunt quatuor tantum cerei cum cruce.

ABACUS erit sufficiens pro omnibus.

SUPER ALTARE parentur sacrae vestes pro unoquoque prout pro consecratione unius habetur.

ANTE GRADUS ALTARIS statuentur tot scabella quot erunt electi et duo pro assistentibus.

SUPER ABACUM disponentur pro unoquoque electo omnia quae habentur pro consecratione unius, et vela serica duo pro capellanis assistentium.

PRO OFFERTORIO CONSECRATORI parentur pro unoquoque electo quae pro uno praescribuntur.

❯ Si necessitas id exigat, unum missale vel unus canon pro duobus sufficit, vel unus calix pro purificatione ; et dona offerenda pro uno tantum ut infra habetur.

❯ Licet etiam plura altaria minora parare loco unius, ita ut unusquisque habeat suum cum suo abaco ; vel unum altare pro duobus vel tribus, si sint quatuor vel sex consecrandi.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

278 ART. I — PRAEPARATIO

1 — Ad introitum consecrator ibit solus, et post eum (vel postea) assistentes duo, 1us. a dextris et 2us. a sinistris ; sequentur electi bini, digniores primi.

2 — Ad altare ssmi. Sacramenti et ad altare maius consecrator genuflectit in medio cum 1.° assistente a dextris et 2do. a sinistris, et post eos electi, qui a dextris a dextris, qui a sinistris a sinistris.

3 — Ad altare suum electi se sistunt in ordine, dignior a dextris ; assistens 1us. stabit a latere extremo epistolae et 2us. a latere extremo evangelii.

4 — Post reverentiam cruci omnes terga ad altare vertunt et sedent inverso ordine, id est, 1us. assistens a latere extremo evangelii, et sequuntur electi a seniore ad juniorem, et ultimo sedet assistens 2us. a latere extremo epistolae.

279 ART. II — POSTULATIO ET EXAMEN

1 — Ad altare maius electi sedent in linea a dextris (epistola) ad sinistram (evangelium).

2 — Postulatio a 1.° assistente fit numero plurali.

3 — Jusjurandum legitur alta voce a seniore electo; ceteri, flexis genibus ante se habentes scabellum suum cum pontificali, lectionem submissiore voce sequuntur.

Jurejurando lecto, senior electus ad altare ascendit, et, flexis genibus coram consecratori, manibus super evangelium positis, dicit clara voce: *Et ego N. electus ecclesiae N.* etc. ut habetur in appendice PR. Quo facto, ad scabellum suum recedit et exspectat stans.

Accedunt ceteri, alius post alium et faciunt similiter, et cum recedit postremus, sedent omnes et caput bireto cooperiunt.

4 — Examen legitur a consecratoribus in numero singulari et semel tantum, ut jacet in 1ma. parte PR, se benedictiones dicuntur in plurali.

Electi, alius post alium, incipientes a seniore, assurgunt aliquantulum, caput detegunt, et consecratoribus respondent singulari numero.

5 — Finito examine, electi singulariter ad altare ascendunt et annulum consecratoris deosculantur.

280 ART. III — MISSA USQUE AD CONSECRATIONEM ELECTORUM

1 — Electi se sistunt in linea a sinistris consecratoris, aliquantulum retro post eum, et ei simul respondent.

❯ Si multi sint consecrandi, digniores locum sumant a dextris consecratoris, ceteri ad sinistram; sacri ministri et presbyter assistens se sistunt utrimque post consecratorem.

2 — Ad altare suum, electi se sistunt ordine tradito pro initio et loca sua mutant quando sedent. Vestitione finita, assurgunt, et iterum loca sua mutant. Ascendunt omnes ad altare et unusquisque missam ex suo missali legit. Dum electi missam legunt, assistentes se sistunt 1us. a latere extremo epistolae, 2us. a latere extremo evangelii, alter alterum aspiciens.

281 ART. IV — CONSECRATIO ELECTORUM

1 — Ad litanias electi se prosternunt super infimum gradum altaris, digniores a dextris (epistolae). Si vero sint duo vel tres tantum, se ad

latus evangelium prosternunt, ordine tradito pro uno, dignior consecratori proximus.

2 — Impositio evangelistarii et manuum fit singulariter singulis, et unusquisque habebit suum evangelistarium apertum usque ad finem consecrationis, id est, usque ad traditionem annuli inclusive. Post impositionem manuum unusquisque ad locum suum revertitur et exspectat genuflexus.

3 — Unctio capitis fit singulis singulariter; cantores attenti erunt ut cantus hymni protrahatur usque ad finem unctionum, et tunc canitur doxologia. Licet versus hymni repetere, si necesse sit, excluso semper primo et ultimo. Finita unctione, unusquisque ad locum suum revertitur et exspectat stans.

4 — Unctio manuum fit singulariter singulis; cantores antiphonam *Unguentum in capite* repetent versus finem unctionis manuum ultimi electi, vel, si necesse sit, poterunt illam repetere post singulos vel binos versus psalmi, ne sine cantu prosequatur functio. Andrieu tome III, pg. 384; Catalanus PR tom. I, pg. 233. Post unctionem unusquisque ad locum suum revertitur et exspectat stans.

5 — Baculi et annuli, si sunt benedicendi, simul a solo consecratore benedicuntur ante traditionem, primo baculi, deinde annuli.

6 — Senior consecratus ad altare ascendit et consecrator ei tradit baculum, annulum et evangelistarium; deinde recipit eum ad osculum pacis, et postea assistentes idem faciunt; descendit consecratus et sedet ad scabellum suum; ascendit 2us. et pro omnibus fit similiter.

282 ART. V — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

1 — Continuatio missae fit de more.

2 — Donorum traditio fit ab unoquoque consecrato.

Capellani cum donis se sistunt in linea a dextris episcoporum, videlicet, primi cum cereis in linea, deinde alii cum panibus, ultimo qui barilia portant, capellani senioris episcopi a sinistris, deinde alii per ordinem.

Consecrati ascendunt alius post alium, et singuli agunt ut pro consecratione unius.

❯ Si plures sint consecrandi et deficiant dona offerenda, senior consecratus dona offerat nomine omnium, sed omnes ad altare accedunt, et, facta oblatione a seniore, ceteri ascendunt ad osculum annuli consecratoris (153).

283 ART. VI — CONCELEBRATIO ET COMMUNIO

1 — Rebus pontifici datis, consecrati locum sumunt, meliore quo fieri poterit modo, versus latus epistolae altaris, incipientes a seniore, qui erit proximus consecratori; sed si numerus consecrandorum id exigat, seniores se sistent a latere epistolae et juniores a latere evangelii. Assistentes stabunt retro post consecratos, ubi melius conveniat juxta locorum diversitatem et numerum consecrandorum. Vide notam 142.

2 — Consecrator consecrabit vinum sufficiens pro omnibus. Si plures sint consecrandi, duae vel tres hostiae adhibeantur; si vero duo sint electi, consecrator communicat ex parte minore, et dividit partem alteram in partes duas.

3 — Pax dabitur a consecratore eodem modo singulis consecratis, qui omnes, alius post alium, osculantur altare, et ad locum suum revertuntur. Senior consecratus tantum pacem dabit episcopis assistentibus (154).

4 — Communio fit primo a seniore consecrato sub utraque specie, qui deinde ad latus epistolae recedit, ubi sumit purificationem e calice a 1.° capellano suo tradito; deinde ceteri per ordinem communicant sub utraque specie; et recedunt ad purificationem sumendam uti fecit 1mus.

5 — Consecrati transeunt ad latus evangelii dum consecrator transit ad latus epistolae pro communione et postcommunione legenda.

❯ Si multi sint consecrati, ita ut juniores starent toto tempore a latere evangelii, in fine missae quisque loco suo permanet, ita ut cornu epistolae remaneat liberum pro consecratore.

284 ART. VII — INTHRONIZATIO ET RITUS FINALES

1 — Si mitrae et chirothecae benedicendae sunt, benedicuntur simul mitrae omnes, deinde chirothecae, a solo consecratore.

2 — Senior consecratus ad altare ascendit et mitram ac chirothecas recipit; descendit, et se sistit versus latus evangelii; deinde accedunt ceteri, et pro singulis fit similiter; et omnes, prout recedunt, se sistunt a dextris ultimi infulati.

3 — Omnibus infulatis, assurgit consecrator et ad latus evangelii recedit, dum ab acolythis faldistoria locantur in suppedaneo, et, si necesse sit, faldistoria juniorum locentur in plano a latere epistolae.

Senior consecratus ad supremum gradum altaris extra suppedaneum ascendit, ubi recipitur a consecratore et a 1.° assistente, a quibus inthronizatur in 1.° faldistorio, et consecrator ei tradit baculum in manu sinistra. Ascendunt ceteri et pro singulis fit similiter. Consecrator a latere evangelii reversus intonat *Te Deum.*

4 — Ad processionem per ecclesiam, senior procedit medius inter assistentes, qui tamen ibunt aliquantulum retro post eum. Sequuntur alii singulariter; capellani duo senioris consecrati praecedunt et sequuntur capellani quatuor assistentium; magistri caeremoniarum consecratorum ibunt a sinistris eorum, sed aliquantulum retro.

5 — Dicta a consecratore oratione *Deus, omnium fidelium,* consecrati assurgunt, in planum descendunt et se sistunt in linea a latere epistolae, ubi a suis caeremoniariis exuuntur mitris, excepto seniore, qui eam retinet.

Interim faldistoria e suppedaneo altaris amoventur.

Senior consecratus ad altare ascendit et de more dat benedictionem, facit acclamationes et a suis consecratoribus recipitur ad amplexum; deinde se sistit in plano a latere epistolae post 2um. assistentem ubi mitram deponit et iterum accipit baculum. Ascendit 2us., accepta mitra, et postea alii, et singuli dant benedictionem, faciunt acclamationes, recipiuntur ad amplexum, et recedunt post seniorem consecratum. Data benedictione ab ultimo, ceteri a suis caeremoniariis mitram accipiunt.

6 — Consecrati, facta reverentia consecratori et cruci, ad altare suum revertuntur. Cetera fiunt de more et episcopi, ordine quo venerunt, recedunt.

TITULUS VI

DE RITIBUS ALIQUANDO OBSERVANDIS

CAPUT 1

285 **DE EPISCOPORUM CONSECRATIONE A ROMANO PONTIFICE**

) Episcoporum consecrationes Summo Pontifici a jure reservantur, qui sat frequenter personaliter eas persolvit, praesertim si consecrandi sint e familia vel domo sua, seu S.R.E. cardinales (155).

1 — Consecrationes a Summo Pontifice fieri solent intra missam lectam, praesertim propter duo, 1.° quia missa solemnis Papae est nimis prolixa, et 2do. quia solus Papa consecratur ad altare papale, ubi Papa solet solemniter celebrare. Vide notam 145.

2 — Summus Pontifex induitur omnibus vestibus pontificalibus et expedit caudam habitus talaris. Capellani assistentes erunt episcopi duo ex assistentibus ad solium papale vel e familia sua, qui utuntur superpelliceo super rochetum et cruce pectorali.

3 — Papa consecrationem exsequitur juxta PR; facit praeparationem et se vestit ad thronum, ubi in fine sacras deponit vestes.

4 — Vittae lineae capiti et humeris electi imponuntur ab uno e subdiaconis apostolicis. Pius XI, *Ad incrementum decoris,* n. 78.

5 — Super dona offerenda stemmata Summi Pontificis tantum apponentur.

6 — Inthronizatio, quicumque sit electus, fit ad faldistorium, adstante Papa ad parvum thronum in suppedaneo a latere evangelii.

CAPUT II

286 DE EPISCOPORUM CONSECRATIONE
A S.R.E. CARDINALI

℣ Extra Urbem consecratio solemnis fit ad thronum. In Urbe, extra ecclesiam titularem consecratoris, consecratio solemnis fit ad faldistorium, sed usus throni non raro conceditur liberalitate Summi Pontificis, praesertim si ecclesia sit interna, in quo casu licentia solet praesumi.

I — PRAEPARANDA.

1 — Juxta usum romanum, super panes et in utraque extremitate bariliorum vini, stemmata cardinalis tantum apponuntur.

2 — Ad altare ssmi. Sacramenti aderit genuflexorium cardinalitium, ubi cardinalis solus genuflectit; retro post ponentur genuflexoria simplicia cum pulvinaribus, vel pulvinaria tria in plano pro assistentibus et electo; duo a dextris et unum a sinistris cardinalis.

3 — Ad altare maius aderit faldistorium pro oratione consecratoris et pulvinaria tria in plano retro post, duo a dextris et unum a sinistris cardinalis pro assistentibus et electo.

4 — Ad altare aderunt sex candelabra cum cereis, vel septem si cardinalis sit loci ordinarius.

II — IN FUNCTIONE.

1 — Cardinali obviam ibunt assistentes et electus.

2 — Cardinalis facit aspersionem more loci ordinarii.

3 — Cardinalis praeibit ipse solus, et post eum sequuntur assistentes et electus, uti habetur pro functione ad thronum.

5 — Assistens 1mus. ad postulationem dicit *Eminentissime et reverendissime Pater*.

℣ Si consecratio fit vivae vocis oraculo Summi Pontificis, ad interrogationem consecratoris assistens 1us. respondet *Habemus oraculum vivae vocis,* cui cardinalis respondet *Deo gratias,* vel si jusjurandum erit emittendum, id dicit eo finito tantum.

6 — Consecratus, cum daturus est benedictionem, dicto *Benedicat vos* et accepto baculo, reverentiam cardinali conficiet, quasi permissum petens. Cetera fiunt de more.

CAPUT III

DE CONSECRATIONE S.R.E. CARDINALIS

287 A — AB ALIO CARDINALI

℣ Consecratio cardinalis S.R.E. fieri solet a Summo Pontifice, vel, eo impedito, ab alio cardinali episcopali charactere ornato, qui, etiam extra Urbem, celebrat ad faldistorium.

I — PRAEPARANDA.

1 — Super dona offerenda apponuntur stemmata utriusque cardinalis.

2 — Ad altare ssmi. Sacramenti aderit genuflexorium cardinalitium sufficiens pro duobus, et retro post genuflexoria simplicia cum pulvinaribus, vel pulvinaria tantum pro assistentibus.

3 — Ante altare maius aderunt duo faldistoria aequalia pro cardinalibus, et, in plano retro post, pulvinaria duo pro assistentibus.

4 — Ad altare electi aderunt candelabra sex cum cereis; et altare, si fieri possit, locetur a latere evangelii.

II — IN FUNCTIONE.

1 — Cardinales pergent simul ad ecclesiam; a dextris ibit cardinalis senior in sacro collegio, qui alterum praecedit, licet sit tantum electus in episcopum. Si vero electus sit hospes consecratoris, vel vice versa, hospiti conceditur praecedentia ex urbanitate. CE. I, 13, 8.

2 — Extra Urbem ambo utuntur cappa.

3 — Rector ecclesiae dat aspersorium cardinali a dextris qui eum defert tangendum alteri, deinde seipsum aspergit, et tangendum defert assistentibus. Si unus cardinalis sit loci ordinarius vel in suo titulo, hospes, accepto aspersorio, illud alteri cardinali defert.

4 — Ambo a benedictione populi ad ingressum abstineant.

5 — Si consecrator vel electus sit metropolita, a cruce sua deferenda abstinebit, sed utetur pallio si sit consecrator.

6 — Electus ad ecclesiam accedit cum cruce pectorali, annulo et pileolo; quaeque omnia deponit una cum vestibus choralibus, post consecrationem de more recipienda; crucem pectoralem vero assumit post examen, cum extendit stolam.

7 — Nulli cardinali fit genuflexio a ministrantibus sed tantum reverentia, et stantes ministrant etiam lotionem.

8 — Electus tum ad suum altare, tum tempore consecrationis ad altare maius, sedebit super faldistorium alba veste coopertum, loco scabelli.

9 — Etiam electus uti poterit candela, sed consultius ambo ab ejus usu abstinebunt.

10 — Quoties electus genua flectere debet extra missam id facit super pulvinar.

11 — Licebit consecrato accipere mitram pretiosam et ea uti, si eo die consecrator ea utatur.

12 — Consecrator assurgit, retenta mitra, quoties debeat reverentiae electi respondere.

13 — Ad postulationem assistens 1us. dicit, stante electo sine bireto *Eminentissime ac reverendissime Pater, ... praesentem presbyterum, eminentissimum ac reverendissimum S.R.E. — episcopum — presbyterum — diaconum cardinalem...* Cetera de more.

14 — Ad examen electus caput tantum bireto detegit cum consecratori respondet, et in fine manum ejus non osculatur.

15 — Ad litanias ponetur scabellum in superiore gradu altaris ad latus evangelii, cum pulvinaribus duobus, ibique electus genuflectit.

16 — Consecratus non genuflectit cum dona sua consecratori tradit, nec manum ejus osculatur.

17 — Inthronizatio loci ordinarii, vel cardinalis titularis, si consecratio peragatur in suo titulo, fit ad thronum.

18 — Consecratus inclinatus tantum dicit acclamationes.

19 — In discessu servabitur ordo ingressus. Cetera fiunt de more.

288 B — AB EPISCOPO

› Si aliquando acciderit fieri extra Urbem consecratio cardinalis S.R.E. ab episcopo non cardinali, sequentes observentur normae.

1 — Electus gaudet praecedentia super consecratorem, etiamsi sit loci ordinarius, ad accessum ad ecclesiam et cum discedit, et consecrator cum assistentibus ei obviam ibit.

2 — Consecrator, etiamsi sit loci ordinarius, celebrabit ad faldistorium, nec utetur cappa vel candela; sed si sit loci ordinarius aderunt candelabra septem super altari et cappa uti poterit sine tamen caudatario.

3 — Super dona offerenda aderunt tantum stemmata electi.

4 — Ad altare ssmi. Sacramenti et ad altare maius pro accessu cardinalis parentur quae habentur in n. *286*, II, sed cardinalis genuflectit ad faldistorium sive genuflexorium cardinalitium.

5 — In accessu ad ecclesiam cardinalis ibit solus, et post eum consecrator, medius inter assistentes.

6 — Regulae servandae a cardinali eaedem sunt ac pro consecratione ab altero cardinali, n. *287*, III.

7 — In functione omnia fiunt ut sub littera A, n. *287* habetur, sed assistens dicit *Excellentissime et reverendissime Pater* etc. ut supra.

CAPUT IV

CONSECRATIO LOCI ORDINARII IN ECCLESIA SUA

289 › Si electus sit consecrandus in ecclesia sua (156), debet, die quo maluerit, per se vel per procuratorem, ante diem consecrationi assignatum, canonicam possessionem dioecesis sumere per praesentationem litterarum apostolicarum capitulo ecclesiae cathedralis, vel consultoribus diocesanis. CJC 334, § 3; 427.

› Licebit electo solemniter ingressum habere in sua ecclesia cathedrali pridie consecrationem, vel quando maluerit, omissa tamen inthronizatione, quae fit post consecrationem tantum. Receptio solemnis est veluti initium ritus cujus complementum erit inthronizatio; in casu tamen cum inthronizatio fit post consecrationem, solemnis ingressus non est praeceptivus, immo consultius simpliciter omittatur. Ritus in receptione servandus habetur in tomo III, n. *194.*

1 — Si consecrator sit metropolita, nuntius vel delegatus apostolicus in loco suae legationis vel S.R.E cardinalis, gaudet praecedentia super electum (CJC 347), proinde celebrabit ad thronum ritu ordinarii, uno septimo candelabro excepto.

2 — Si consecrator sit archiepiscopus vel episcopus extraneus seu titularis, ad accessum vel recessum ibit post electum, qui praecedentia

gaudet, et celebrabit ad faldistorium sine candela; sed loci ordinarius laudabiliter episcopo extraneo eum consecraturo concedit usum sui throni, quasi esset metropolita, cujus revera vices agit (CJC 337, § 3); etiam metropolita laudabiliter concedit usum throni suo consecratori, dummodo non sit auxiliaris vel vicarius generalis (157).

3 — Electus utitur cappa pontificali extensa et procedit prout in titulo II habetur pro consecratore, n. *235*, 1.

❯ Si consecrator utatur throno, habebit cappam extensam, et ad introitum procedit una cum electo, sed a sinistris ejus; ambo genuflectunt in eodem genuflexorio ad altare ssmi. Sacramenti, et in duobus faldistoriis ad altare majus; vel, si magis placet, electus ad ecclesiam accedit solus, sequentibus assistentibus et clero; ad altare ssmi. Sacramenti se confert, et, facta ibi oratione, ad altare suum recedit; postea introitum habebit consecrator de more.

❯ Si electus sit metropolita et pallium jam recepit, ibit solus et jubebit ante se ferre crucem ad introitum, ad recessum, et cum impertit benedictionem post inthronizationem; tempore consecrationis vero crucifer ejus cum cruce ad sacrarium recedit.

4 — Ad consecrationem proceditur solito more.

5 — Inthronizatio ordinarii fit ad thronum, et benedictio solemnis datur ad altare, quicumque sit consecrator.

6 — Ordinarius ab indulgentiis concedendis abstinebit.

7 — Ordinarius post consecrationem, ad altare suum et non ad thronum, sacras deponit vestes et gratiarum actionem legit.

8 — Discessus fit ordine in introitu servato.

❯ Metropolita, etiamsi Romae vel alibi sacrum receperit pallium, minime poterit cum eo consecrari vel inthronizari, et contrarius est abusus eliminandus. Sed si electus pallium recipere velit a commissario finita consecratione, laudabiliter id fieri potest post inthronizationem, ut in sectione sequenti, n. *315*, habetur.

290 CONSECRATIO LEGATI APOSTOLICI

❯ Nostris temporibus nonnumquem accidit ut delegati, internuntii vel nuntii apostoloci promoveantur *in loco* ubi legationi inserviunt, ibique in episcopum consecrentur.

❯ Si consecratio fit *ante* captam possessionem muneris sui, proceditur in omnibus ut habetur in titulis II, III vel IV, prout functio erit solemnis vel lecta; si autem consecratio fit *post* captam possessionem muneris sui, ita ut electus gaudeat praecedentia super consecratorem, etiamsi iste sit loci ordinarius vel metropolita, servandae erunt normae in hoc capite traditae pro consecratione loci ordinarii.

TITULUS VII

291 DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS

CAPUT UNICUM

1 — Canon 1002 CJC se refert etiam ad consecrationem episcoporum, proinde vide n. *199*.

2 — Materia consecrationis episcopalis est impositio manuum, vel saltem unius manus super caput electi; forma habetur in oratione praefatoria. Quoad modum ponendi materiam et formam et de morali unione inter illas, consule quae de ordinibus maioribus dicta sunt, n. *201*.

3 — Si error vel omissio deprehendatur tempore consecrationis, id est, ante initium offertorii missae, corrigi debet et suppleri quando deprehenditur.

4 — Partes diversae ejusdem ritus nequeunt separari, proinde si pars aliqua omissa fuit, totus ritus erit iterandus; sic si facta quidem fuit unctio capitis vel manuum, sed omissa forma, unctio cum forma erit repetenda.

5 — Omissio fidei professionis vel jurisjurandi erit quantocius post consecrationem supplenda. SCFP. 15-I-1875.

6 — Si omissa fuit impositio manuum, vel saltem unius manus et praefatio, tota consecratio erit absolute repetenda. Si omissa fuerunt verba *Accipe Spiritum Sanctum,* suppleri debent cum nova impositione manuum. Vide notam 133.

7 — Si unctiones capitis et manuum facta quidem fuerunt, sed cum oleo infirmorum, erunt postea iteranda cum sancto chrismate ritu supra tradito. Item, saltem probabilius, si unctiones facta fuerunt cum oleo puerorum loco sancti chrismatis.

8 — Si impositio evangelistarii omissa fuit, et error deprehendatur ante finem consecrationis, id est, ante ejus traditionem, opponendum erit quando deprehenditur omissio, sed partes actae non erunt iterandae. SO 30-VII-1901, ASS., vol. 34, pg. 419.

9 — Errores minores uti traditio baculi, annuli et evangelistarii, suppleri possunt ante traditionem mitrae, si tempestive deprehendantur.

10 — Ritus omissi, sive maiores uti unctiones, sive minores ut vestitiones, et omissione finita tantum consecratione deprehensa, supplendi erunt die sequenti intra missam lectam ejusdem vel alterius consecratoris, adstantibus saltem duobus presbyteris; nam in episcoporum consecratione nulla ratione licet ritus omittere, CJC 1002.

11 — Iteratio consecrationis quamprimum et a quocumque episcopo fieri potest et debet, et, praesertim si aderit scandalum, fiat secreto. Si dubitetur utrum consecratio iteranda erit necne, ad S.C. de disciplina Sacramentorum erit quamprimum recurrendum. CJC. 299, § 3.

291 A EXCURSUS — DE CONSECRATIONE SUMMI PONTIFICIS

Juxta caeremoniale apostolicum Jacobi Caitani Cardinalis Stefaneschi (Ordo XIV Mabillon), Avenione scriptum anno circiter 1311, consecratio Papae sic fiebat:

Aliis praetermissis, incipiebatur a litaniis; illis expeditis, Papa sedens ad faldistorium prope altare papale, tergo ipsi obverso, consecrabatur, et episcopi omnes praesentes partem habebant in consecratione.

Episcopus Albanensis dabat collectam missae pro electo, et episcopus Portuensis introductionem ad praefationem *Propitiare;* deinde episcopus Ostiensis, principalis consecrator, ponebat evangelistarium super humeros electi, et, *nihil dicens,* imponebat manum dexteram capiti ejus, quod et ceteri episcopi successive faciebant.

Consecrator praefationem consecrationis Papae cantabat, et, facta unctione manuum, Papae tradebat annulum et evangelistarium; deinde ei imponebatur sanctum pallium a cardinali protodiacono. Post osculum pacis fiebant acclamationes.

Papa deinde solemniter missam celebrabat ad altare papale, in qua episcopus Ostiensis, qui pontificem consecraverat, indutus superpelliceo (sic) et pluviali, fungebatur munere presbyteri assistentis. MPL., 78, 1140; Mabillon, Museum Italicum, tom. II, pg. 241. Andrieu tome II, pg. 374 et 534.

Juxta caeremoniale apostolicum Patrizi, Papa sic consecratur:

Cardinalis Ostiensis celebrat ad faldistorium; incipit missam cum Apostolico, qui deinde missam legit ad thronum. Papa sedens in sede sua (et non ad altare) consecratur, ibique offert munera sua consecratori. Tempore actionis, Papa concelebrat ad altare papale a latere epistolae, ut a PR praescribitur, ibique communicat. CR tom I, pg. 23; PR Pii IV, 1561, folium 39.

Ultimus pontifex ex ordine sacerdotali electus fuit camaldulensis Capellari, Gregorius XVI, cui visum fuit minime convenire Summo Pontifici celebrare ad latus epistolae, cardinali in medio altaris stante; proinde, ad antiquiorem usum rediens, voluit consecrari ante missam, omnibus pontificalibus vestibus indutus. Finita consecratione, Gregorius ipse solus, accepto pallio, solemniter celebravit ad altare papale, ubi etiam fuit eodem die coronatus. Apud Cardinalem Wiseman, *Recollections of the last Four Popes*, pg. 269. Ut facile videtur, post exsilium paparum ad aquas rhodanicas, caeremoniarii apostolici conati sunt reducere consecrationem summi pontificis ad simplicem consecrationem aliorum pontificum, paucis mutatis. Gregorius XVI, optimo sane consilio, ad digniorem traditionem iterum devenit; non fuit tamen ad altare papale consecratus sed ad sedem suam seu thronum; usus erat receptus ut non nisi postquam electus sacro pallio indutus esset, ad sedem papalem accederet. Andrieu tome II, pg. 274: Ordo Gregorii X *Qualiter Romanus Pontifex consecretur;* Mabillon, Ordo XIII, ibidem, pg. 525; MPL. 78, 1105. Vive notam 141.

NOTAE AD SECTIONEM III

(119) Benedictus XIII jussit ut mandatum de consecratione suffraganei dirigeretur ad ejus metropolitam, et mandatum de consecrando metropolita ad seniorem suffraganeum; tamen tempore Benedicti XIV mandata omnia jam dirigebantur ad voluntatem consecrandi. Benedictus XIV, *In postremo,* § 16. Opera, tom. 17, 2, pg. 393.

(120) Benedictus XIV statuit ut consecratio episcoporum in Urbe vel fieret a cardinalibus episcopali dignitate fulgentibus, vel ab uno e quatuor patriarchis in ea residentibus; sed si agebatur de consecratione suffraganei, cujus metropolita in Urbe praesens erat, metropolita et non alius suum suffraganeum debebat consecrare. *In postremo,* § 16. Ex quo concludere licet voluntatem esse Ecclesiae ut suffraganei consecrentur a suo metropolita saltem obsequii causa. Hodie patriarchae in Urbe residentes non solent episcopos consecrare, sed tantum patres cardinales.

(121) Episcopi assistentes suntne revera co-consecratores, an testes consecrationis tantum? Respondet Cl. Martène: *...citra omnem dubitationis aleam, non tantum testes sed cooperatores,* id est, co-consecratores. T. II, p. 28. Fere unanimis est ecclesiastica traditio de electis in episcopos consecrandis a tribus saltem episcopis, tum ad maiorem solemnitatem et securitatem sacramenti, tum ad vitandas consecrationes fraudulentas: regula enim erat juris *Ut unus episcopus episcopum non ordinet.* Hac super re maiores in fide ita conscientias suas efformabant, ut non solum illicitae, sed etiam invalidae, haberentur consecrationes ab uno tantum episcopo factae. Privilegium erat apostolicum, et quidem exclusivum, consecrandi episcopos sine coadjutoribus. Scripsit enim quidam romanus liturgista circa annum 925 "et benedicit eum Dominus apostolicus per semetipsum (id est solus)... nam a ceteris episcopis benedici non potest minus quam a tribus". British Museum MS. Addit 15222, fl. 15 r. Apud Ellard, *Ordination Anointings,* pg. 76. Privilegium apostolicae plenitudinis, amore forsan uniformitatis, inde a saeculo XI reliquerunt summi pontifices. Quis scit utrum ad tam singulare privilegium revertentur aliquando Petri successores! Vide excursum *De consecratione summi pontificis,* n. *291 A.*

(122) Juxta PR: *Adsint duo ad minus episcopi assistentes;* sed tum sequentes rubricae, tum receptus usus, et bullae promotionis ipsae, duos tantum admittunt episcopos assistentes; plusquam duos adhibere proinde non licet; quod confirmat CJC 954. Tamen in ritu consecrationis Summi Pontificis legitur *Si aderunt alii episcopi parati, poterunt et ipsi manus imponere et omnia legere.* CR tom. I, pg. 94. Andrieu tom. II, pg. 373. Juxta Durandum aderunt duo episcopi ductores, sed omnes

episcopi praesentes manus imponunt et omnia recitant, propterea librum pontificalem secum portant. Andrieu tome III, pg. 378 et 382.

(123) Leo Papa XIII apostolicis litteris *Trans oceanum* (18-IV-1897, acta, tom. 17, pg. 100), privilegium concessit electis episcopis Americae Latinae consecrari ab uno episcopo cum assistentia presbyterorum, si alii episcopi reperiri nequeant absque gravi incommodo. Indultum tamen non amplius viget et in dies rarius conceditur, nisi urgente necessitate; sic Pius XII, g.r., anno 1942 indulsit ut canonicus Emmanuel Galea, episcopus auxiliaris Archiepiscopi Melevitani consecraretur cum duabus dignitatibus capituli, loco episcoporum, qui in insula Melevitana desiderabantur. In locis missionum vero indultum dari solet in ipsis litteris electionis episcopi. Vide Bouscaren *Canon Law Digest*, vol. II, pg. 237. De hac re agit Benedictus XIV, De Synodo dioecesana, 1. XIII, c. XIII, n. 2-10. Opera, tom. 11, pg. 573.

(124) In locis haereticorum verba jurisjurandi *Haereticos... persequar et impugnabo* solent a Sancta Sede expungere; alias, obsequii causa erga potestatem civilem, additur a Sancta Sede in fine jurisjurandi *Omnia et singula eo inviolabilius observabo, quo certior sum nihil in illis contineri, quod fidelitati meae serenissimo Principi ejusque successoribus ad thronum, adversari possit*. Ita indulsit, inter alios, Pius IX anno 1853 episcopis provinciae Neerlandiae.

(125) Si episcopus residentialis consecretur in ecclesia sua, ritus finalis inthronizationis devenit inthronizatio in sede sua, quod non habetur cum aliunde consecratur nisi figurate. Praeterea rubrica PR de consecrando episcopo in ecclesia sua antiquissimam tradit regulam canonicam. Vide hac de re Catalanum, in PR h. 1.

(126) Rubrica PR *Assistentes vero episcopi submissa voce dicunt quaecumque dixerit consecrator* maximi momenti est et antiquissima (Andrieu PR, tom. II, pg. 355; tom. III, pg. 383); et licet verba sequentia se referant ad examen, rubrica est generalis pro tota consecratione. In antiquo ordine papali sic legebatur *Episcopi quoque in hac (oratione) et in aliis ipsum prosequuntur voce suppressa usque in finem consecrationis*. Apud Martène, vol. II, pg. 76. In ritu consecrationis Summi Pontificis legitur: *...Accipe Spiritum Sanctum, quod tamen consecrator alte dicit, alii submisse, sicut alia omnia.* PR ed. Pii IV, 1561. Ita etiam legas in fere omnibus codicibus; secus assistentes non essent revera co-consecratores.

(127) Consecrator et omnes utuntur colore diei, electus vero semper albo; color diei etiam pro electo, juxta regulam statutam pro ordinationibus et pro concelebratione, magis esset juxta liturgicum colorum sensum, sed standum rubricae PR a SRC confirmatae. D 1265, II. Optandum tamen ut in definitiva editione PR uniformitas colorum habeatur etiam pro electo, seu color tempori congruens, sicut antiquitus in consecratione summi pontificis fieri solebat. Ordo Gregorii X, n. 19. Andrieu PR, tom. II, pg. 530. Usus albi coloris tamen in usu erat in consecratione ceterorum episcoporum etiam ante Pontificale Durandi; sic in PR saeculi XIII (nota saeculi XIV) legis: *Ordinator utitur paramentis coloris congruentibus tempori, sed ordinandus (in episcopum) coloris albi propter reverentiam consecrationis*. Andrieu tome II, pg. 353. Regula PR tardius ad electum in abbatem extensa fuit; propter reverentiam benedictionis, an ratione uniformitatis cum electis in episcopos?

(128) Rubrica PR *Ponuntur* (pro electo vel pro unoquoque si plures) *octo mappulae ex duabus cannis panni linei subtilis, per medium scissis in longitudinem, quarum duae sint longitudinis sex palmarum quaelibet, aliae vero sex aequalis sint quantitatis*, explanatione indiget, nam obscuritate laborat.

Et primo quoad earum numerum. Duae sint longitudinis sex palmarum, et adhibentur alia ad caput, altera ad manus cum fiunt unctiones, earum usus enim a rubricis determinatur. De usu aliarum sex tamen tacent rubricae, et necesse est codices antiquos perscrutare; agitur enim de vetustissima rubrica a saeculis immutata, licet obsoleta, cujus origo seu ratio a caeremoniarum magistris ignoratur.

In pontificali Curiae Romanae saeculi XIII legis: *Provideat electus...* et deinde octo admunerantur tobaleae, videlicet, 1ma. *pro manibus;* 2.ª *pro gremio consecratoris;* 3.ª *ad pectinandum* (post unctionem capitis); 4.ª et 5.ª: *duo brachia tele de cortina* (sic) *ad circumligandum caput* in unctione (tacet rubrica vittam ad manus); 6.ª et 7.ª: *magni panes involuti duabus tobaliis;* 8.ª tobalia qui (sic) *servit electo de libro*. Andrieu, tome II, pg. 354. Nescitur cur electus providere debeat tobaleam pro gremio consecratoris; forsan agitur de quodam errore, et legere debes *pro gremio suo, videlicet consecrati* sicut paulo infra habetur in benedictione abbatis. Sic enim mysterium explanatur: Ecclesia enim noluit rubricas PR mutare, etiamsi, prout in casu, earum lateret ratio.

Ad quaestionem facilius intelligendum juvat hic etiam agere de tobaleis in benedictione abbatis adhibendis. Dicit rubrica: *Ponuntur* (pro electo vel pro unoquoque si plures) *quinque mappulae aequalis mensurae, factae ex una canna cum dimidia panni linei subtilis*. Etiam hic, quoad eorum numerum, rubrica PR concordat cum rubrica pontificalis Curiae Romanae saeculi XIII; ibi enim praecipiuntur parandae longe a sede pontificis pro electo: 1.ª *tobalea ad abluendum manus;* 2.ª *ad tergendum os et vultum, quam tenet clericus unus sibi assistens;* 3.ª *ad ponendum super genua electi;* 4.ª et 5.ª *duo panes tobaleis duabus cooperti*. Andrieu tome II, pg. 408. Vide notam 210.

Sed quid sibi vult: *ex duabus cannis panni linei per medium scissis in longitudinem* vel pro abbatibus *ex una canna cum dimidia*? Teste Du Cange in suo Glossario canna est mensura agri, vel etiam architectonica. Exemplum dat de quodam dormitorio altitudinis quinque cannarum. Sed haec explicatio excluditur eo quod rubrica statim dat longitudinem mapparum, sint sex videlicet palmarum. Canna est etiam cantharus seu vas oblongum seu vinarium, vel fistula qua sanguis Christi a communicantibus hauriebatur, quaeque omnes significationes a contextu excluduntur. Numerum explanavimus tobalearum, sed scopulum per viam invenimus in re tam parvi momenti, quem alius forsan amovebit. Durandus rubricas de rebus parandis simpliciter e suo pontificali delevit.

(129) Sic etiam fieri praecepit, et recte quidem, Durandus in suo pontificali. Andrieu tome III, pg. 378; ibidem pg. 496. Re quidem vera vestitio episcopi ad altare a Durando approbari nequit. Vide notam 92.

(130) Juxta PR, si missa sit lecta, electus facit praeparationem ad missam et accipit caligas et sandalia una cum consecratore; si vero missa cantetur, hoc facit electus post orationes initii missae. Ratio PR ea esse videtur ut electus vestes pontificales accipiat post examen tantum. In praxi praeparatio post examen nunnulla incommoda secumfert; nam, electus debet missam cum consecratore incipere inde ab introitu,

nec debet consecrator exspectare quousque electus sit paratus; praeterea, si missa sit brevis, uti quando cantus gregorianus adhibetur, impossibile erit electo praeparationem facere, caligas et sandalia induere, ceteras vestes mutare, introitum et *Kyrie* recitare, priusquam consecrator incipiat *Gloria;* jubemus proinde electum legere praeparationem ad missam et induere caligas et sandalia una cum consecratore; nam facilius et perfectius evolvitur ritus, nec ullam patitur moram.

(131) MM quem sequitur LVH, concedunt electo pulvinum ad genuflectendum pro jurejurando, pro formula finali ejus, ac pro offertorio, sed quoties electus genuflectere debet in suppedaneo pro ritibus consecrationis, pulvinum non apponunt; putamus apponendum pro jurejurando cum sit prolixum, et pro offertorio donorum.

(132) Juxta PR electus ad litanias se prosternere debet a sinistris consecratoris; sed intellige, juxta acceptum usum romanum, a latere evangelii. Prope episcopum genuflectit subdiaconus (si consecratio sit lecta capellanus 2us), qui minime cedere debet locum suum electo; nam subdiaconus praecedentiam habet in casu *quia* ministrat consecratori, a quo nunquam separatur; praeterea si electus se prosterneret immediate a sinistris consecratoris, ut quandoque fit, difficilis evaderet ritus benedictionis mox faciendus.

(133) Romae, saltem usque ad initium saeculi XIV, manus imponebantur episcopis sicut hodie imponuntur sacerdotibus, videlicet prius consecrator, deinde omnes episcopi praesentes, imponebant manum dexteram tantum *sub silentio*: consecrator canebat praefationem, quae ab aliis episcopis recitabatur submissa voce. Andrieu tome II, pg. 373. Verba: *Accipe Spiritum Sanctum* inveniuntur extra Romam versus finem saeculi XIII, et in nonnullis condicibus pro ipsis diaconis, sine iis quae sequuntur: *ad robur*... Ad rem ait Cl. Martène: *Verba illa*: *Accipe Spiritum Sanctum... in quibus formam episcopatus reponunt scholastici recentiores, toti antiquitati ignota fuerunt*: *adeo ut vix in ullo pontificali annos* 400 *attingente reperiantur... sed neque antiquiores scholastici ullam eorum verborum mentionem faciunt.* Tomus II, pg. 26, Cf. etiam Ordinem Romanum ab ipso editum, vol. 2, pg. 72, et Ordinem Romanum XIV Mabillon. "*Accipe Spiritum Sanctum* n'apparaît guère avant Durand de Mende". Leroquais, tome I, pg. LXXXVII.

(134) De interruptione praefationis pro capitis unctione, haec habet Leroquais: "Vers la seconde moitié du Xe. siècle, quelqu'un inséra, au beau milieu de la prière de consécration, l'onction de la tête qui jusque là avait été reléguée après. La prière fut de la sorte coupée en deux. Cette scission s'opéra, semblet-il, em même temps en Allemagne et en Angleterre: À Worms et à Winchester ainsi qu'à Sherborne. La brèche était ouverte. Sur la fin du XIII siècle, Durand de Mende l'agrandit encore en faisant chanter le *Veni Creator,* ou, plus exactement, le *Veni Sancte Spiritus* pendant l'onction de la tête. (Andrieu tome III, pg. 383). La seconde partie de la prière de consécration, dont le début avait peut-être occasioné la coupure: *Hoc, Domine, copiose in ejus caput influat,* se vit reléguée après l'onction de la tête". Tome I, pg. LXXXVIII. Exemplum antiqui ritus Romani unctionis capitis, *finita praefatione,* habes in Pontificali Ecclesiae Mediolannensis saeculi IX, pg. 53 editionis Magistretti.

(135) PR praecipit ut *ante* unctionem manuum consecrati, imponatur ad collum ejus altera ex longioribus mappulis, et rubrica post unctionem praecipit impositionem manuum mappulae. Haec mappula valde utilis est *dum* fit unctio manuum, nam consecratus super eam firmat primam partem manuum, quas extra illam tenet junctas et apertas; ita enim consecrator facile eas inungit, absque sinistra sua ad eas subtus firmandas. Talis enim est mens rubricae; secus sufficeret mappulam apponere post unctionem. Modus traditus non solum consonat rubricis, sed antiquitus sic semper fiebat, etiam in Urbe, quod comprobatur figuris antiquorum pontificalium. Vide, inter alia, ed. Venetiis 1520, et 1572, apud Alcuin Club, Pont. Services, vol. III, pg. 41; ed. PR Pii IV, Venetiis 1561, pg. 30 v. Post unctionem consecratus *manus suas imponit mappulae,* id est, retrahit eas, ita ut digiti tantum extra vittam remaneant.

(136) Romae et alibi usque ad saeculum XIII formula pro manuum unctione erat perpulchra oratio quae sequitur: *Deus et Pater... qui te ad pontificatus sublimari...,* Andrieu tom. I, pg. 149; tom. II, pg. 362. Formula quae praecedit, ad instar formae quae in sacerdotali ordinatione adhibetur, supponit antiquum ritum aliquibus in locis observatum de unctione cum oleo sanctificato (puerorum) et chrismate sanctificationis una simul, quod tamen haud intelligitur. In pontificali Durandi legis "In quibusdem tamen ecclesiis palma dexterae manus inungitur tantum cum chrismate et oleo simul mistis, primo per consecratorem, postea per omnes episcopos successive, deinde pollex ejusdem manus inungitur cum chrismate tantum per solum consecratorem". MSS. vat. 4744, apud Catalanum ed. Parisiensis, pg. 380. Andrieu tome III, pg. 385; etiam pg. 384, linea 32. Oleum non amplius adhibetur, sed formula permansit: exemplum de rubricarum mutatione sine pari mutatione formularii. Casus similis habetur in ordinatione acolythi, vide notam 67. De unctionibus in consecratione episcopi consule Leroquais, pg. LXXXVIII, et Andrieu, apud Revue d'Hisotire ecclésiastique 1930, pg. 348 (quod tamen prae manibus non habui) sed praesertim consulendum est singulare opus Geraldi Ellard s. j.: *Ordination Anointings in the Western Church before* 1000 *A. D. The Mediaeval Academy of America, Cambridge Mass,* 1933. Sacerdotales unctiones suum habuere momentum etiam apud regum et imperatorum historiam!

(137) Diaconis et episcopis traditur evangelistarium, sed illis ad legendum in Ecclesia Dei, istis ad praedicandum, cum praedicatio evangelii imprimis pertineat ad episcopos. Conc. Trid. ses. XXIV. IV. Presbyterorum et episcoporum unguntur manus, sed illorum cum oleo catechumenorum, horum vero cum sancto chrismate, quod est maius.

(138) Docet MM. evangelium diei esse deosculandum ab electo si consecratio sit lecta, non tamen, si sit cum cantu: sed cur talis distinctio? Missa, sive lecta sive solemnis, legitur ab electo ad altare suum ritu missalis, nihil praetermisso. Comparatio cum missa solemni in qua evangelium osculatur tantum ab illo qui praeest, in casu non valet, nam electus concelebrat cum suo consecratore et nihil omittere debet, propterea habet missale suum; in missa solemni qui praeest, in casu consecrator, post cantum osculatur textum ex quo evangelium fuit decantatum, electus osculatur suum, sed post lectionem.

(139) Facimus offertorium ad thronum, nam rubrica post offertorium dicit: ...*accedit ad altare,* proinde ibi non erat. Vide notam 79.

(140) Debetne consecratus manum consecratoris osculari cum ei tradit cereos, panes et barilia, prout docet LVH, an tantum in fine traditionis? PR dicit ...*et consecratoris praedicta recipientis manum reverenter deosculatur*, id est, postquam praedicta omnia tradidit, osculatur manum ejus; res enim traduntur per modum unius. Andrieu tome II, pg. 365. Cerei, juxta figuras antiquas pontificalium, traduntur una simul. Teste Durando, harum rerum oblatio a papa Melchiade inducta fuit.

(141) "Cette célébration simultanée ou concélébration est relativement moderne. Pour trouver une veritable concélébration il faut arriver au pontifical romain du XII siècle". Leroquais tome I, pg. XCI. Andrieu tome I, pg. 151. Id etiam explicat introductionem concelebrationis in consecratione summorum pontificum post eorum exsilium ad aquas rhodanicas. Vide excursum de consecratione summi pontificis, no. *291 A*. Concelebratio in ordinatione presbyteri antiquior est, et diaconus in papam electus concelebrabat cum in presbyterum ordinabatur. Andrieu tome II, pg. 530. Tamen Durandus presbyterorum concelebrationem pro uniuscuiusque libitu relinquit. Andrieu tome III, pg. 370.

(142) Sic enim res disposuit Durandus, nam in pontificali Curiae Romanae saeculi XIII electus concelebrat a latere altaris ...*habens juxta se capellanum unum indutum superpelliceo qui serviat ei*. Andrieu tome II, pg. 365; tome III, pg. 387. Juxta rubricas co-consecratores fungi debent etiam officio capellanorum assistentium electo, quod certe est quaedam hierarchici ordinis inversio. Praeterea vix unquam aderit spatium sufficiens pro assistentibus, praesertim si duo vel tres episcopi simul consecrentur. In praxi solent assistentes in inferiore gradu stare et caeremoniarius electi ei inservit; optandum ut in definitiva editione PR res meliore forma disponantur.

(143) De orationibus incensationis ab electo non recitandis, sicut etiam a neosacerdotibus, sequimur MM, sed quaestio controvertitur. Benedictio aquae et incensi fit a solo consecratore, sufficit enim.

(144) Non putamus missam interrumpi debere pro cantu: *Sanctus* et *Agnus Dei*, nam horum cantus non impedit quominus duo celebrantes se invicem audire possint, cum sint apud idem altare; quaestionem hanc solvat magister caeremoniarum.

(145) Romae saeculo XIII, dominus apostolicus electo dabat hostiam integram, diaconus ministrans calicem cum sanguine Christi. Id etiam probat episcoporum consecrationes intra missarum solemnia, id est cum cantu et sacris ministris a summo pontifice fieri consuevisse. Andrieu tome II, pg. 366.

(146) Ait PR: *Consecratus parvum biretum in capite tenens*...; agitur de pileolo (vulgo zucchetto, calotte,) quod, juxta rubricas et usum antiquissimum, semper poni debet subtus mitram, ne maculetur.

(147) Si licet baculum et annulum benedicere ante functionem, et expedit omnino, licet etiam, commoditatis gratia, illos una simul benedicere, deinde consecrato tradere, ne teneatur pontifex iteratis vicibus mitram deponere et assurgere; quod valet etiam pro benedictione mitrae et chirothecarum. In consecratione virginum vestes et insignia omnia simul benedicuntur, quod certe hic licet propter allatas rationes.

(148) Frequenter vidimus consecrationem solemnem et missam lectam singulari quodam modo fusas; at rubricae PR sunt clarae, sic dicunt litanias debere cani quando officium fit in cantu, secus legantur; ad antiphonam: *Firmetur manus tua* dicit rubrica: *consecrator dicit, vel si officium fit in cantu, incipit*. Principium est romanae liturgiae, per totum CE et MR explanatum, quod officia *vel* sunt solemnia cum cantu, *vel* lecta sine cantu; sic non licet cantoribus quaedam pro libitu seligere ut cantentur, alia ut recitentur; obstantibus rubricis tamen MM in consecratione privata facit canere litanias, praefationem et partes scholae; ergo licet consecratori, prout maluerit, partes quasdam cantare, et recitare, licet teneatur totam missam legere? Erronea certe conclusio. Tota ratio differentiae apparet ex eo quod sensim sine sensu introducta fuit consecratio episcoporum intra missam privatam; nam saeculo praesertim elapso cantus missarum abusive protrahebatur per horas plurimas, ita ut non solum populus, sed ipse clerus ab illis abhorrebat; et contra, in consecratione episcoporum per integrum lecta, ruit tota solemnitas ritus. Consecratio solemnis, praesertim adhibito cantu gregoriano, fieri potest quam expeditissime, optandum proinde ut fiat etiam quam frequentissime.

(149) MM facit consecratorem solemniter ad faldistorium sedere in suppedaneo facie ad populum versa dum electus se parat in pontificalibus. Modus hic traditus nobis videtur magis consentaneus ritui: consecrator debet missam inde ab initio celebrare cum electo, praeterea exspectatio in suppedaneo evadit solemnis nimis.

(150) Consecrandus dicere debet: *Oremus* de more ante: *Aufer a nobis* quia est pars seu initium orationis, a qua non debet separari.

(151) Cum ex una parte ritus inthronizationis sit diversus a ritu consecrationis, seu inthronizatio fit finita missa et consecratione, et ex alia inthronizatio lecta caret solemnitate, quasi rationem suam amittens, solet semper post consecrationem et missam lectam, fieri inthronizatio solemnis cum cantu, quod positive condemnari nequit: sed magis ad rem liturgicam fieret etiam consecrationem solemniter habere.

(152) Ritus appendicis de consecratione plurimorum episcoporum est ritus 1mae partis PR, in quo orationes positae fuerunt in numero plurali, sed nunquam fuit speciali modo a Sancta Sede approbatus; ex ipso, quaedam fuerunt male redactae; sic rubrica 1mae partis ubi de examine dicit: ...*legi debet semper sicut jacet, in singulari, etiam si plures simul examinentur*: in appendice vero posuerunt examen in singulari ut jacet, et benedictiones duas in plurali, sed in 1ma. legis: ...*cetera bona tribuat tibi Dominus et custodiat vos*... Ubi de traditione baculi et annuli rubrica facit benedicere baculos eosque tradere, benedicere annulos, eosque tradere, et ultimo tradere evangelistarium, quod devenit nimis morosum et in praxi fieri nequit.

(153) Juxta MM et LVH si singuli episcopi non habeant dona consecratori offerenda, debent singuli rursus offerre dona a seniore jam data. Sed quis non videt in tali oblatione donorum alterius inhaerere falsitatem et diminutionem ritus, qui mysterio non caret, ad simplicem caeremoniam, sibi ipsi contradicentem? Ut vidimus, cum ageretur de ordinationibus, sufficit ut unus, si sint multi, faciat oblationem candelae nomine omnium sui ordinis; ratio hic fere eadem est, videlicet, si deficiant munera, unus offert nomine omnium, et sufficit.

(154) Debentne singuli consecrati pacem dare assistentibus, sicut docet MM, an senior tantum? Dicimus senior tantum; Imo quia contrarium non positive eruitur ex appendice PR, et in corpore PR nihil habes hac de re. Praeterea, comparatio cum pace danda, finita consecratione, post traditionem evangelistarii, claudicat; nam tunc consecrator *et* assistentes pacem dant singulis consecratis ut res quaedam sua, sicut amplexum post acclamationes; hic agitur de pace missae a celebrante tantum danda, quam consecratus senior dat assistentibus, quia a celebrante eam recepit. In casu assistentes potius accipere deberent pacem ab ipso celebrante, sed eam a seniore consecratore recipiunt, qui eam a celebrante recepit; consecratus agit potius uti transmissor rei receptae; nunquam in romana liturgia pax celebrantis datur plusquam semel eidem personae.

(155) Apud APC (1907 pg. 96) habes relationem episcoporum a summis pontificibus consecratorum; ibi videbis quam frequenter id fiebat. Gregorius XVI consecravit episcopum unum ad altare papale, contra regulam generalem. Die 25 Februarii 1906, in dominica quinquagesima, Pius X quatuordecim episcopos Galliae consecravit; die 28 Octobris 1926, in festo SS.AA. Simonis et Judae, Pius XI sex episcopos e Sinis sacravit; et in festo ssmae. Trinitatis anni iubilaei 1933 quinque episcopos e locis missionum nativos (Cina, India, Annam). Demum in festo D.N. Jesu Christi Regis anni 1939 Pius XII g.r. in Basilica sancti Petri duodecim sacravit episcopos missionarios, quos in perpulchra homilia salutavit. AAS 1940, pg. 595.

(156) In praxi consecratio electi in sua cathedrali, licet a Concilio Tridentino commendetur, rarissime fit, cum nonnullis incommodis et difficultatibus afficiatur; nam facilior devenit tum consecratio ipsa, tum solemnis introitus in ecclesia sua, si electus extra eam consecretur. Praeterea id comprobatur toto capitulo II libri I CE, in quo supponitur episcopus in ecclesia sua vel provincia solemniter ingressurus, jam fuisse consecratus; secus enim uti nequiret mitra pretiosa et ceteris vestibus pontificalibus. Diximus consecrationem electi in sua cathedrali pluribus difficultatibus obstringi, praesertim ex eo quod electus gaudet praecedentia super consecratorem, quod revera eum in dificili positione ponit, nam ex ipsa natura ritus, consecrator plus est quam electus.

(157) Diximus electum posse concedere usum throni consecratori, quia, si in jure hoc conceditur, videtur id praesertim fieri debere pro suo consecratore. CJC, 337 § 3.

SECTIO IV

DE SACRO PALLIO

SECTIO IV
DE SACRO PALLIO

TITULUS I
PROLEGOMENA

CAPUT I

DE SACRI PALLII CONFECTIONE ET BENEDICTIONE

292 Inter res sacras Ecclesiae, quas speciali amore prosequitur, eminentem locum tenet sacrum pallium, nam curam ejus gerit inde a praeparatione lanae ex quo confici debet, usque ad ejus sepulturam.

Pallia conficiuntur, ex parte saltem, lana duorum agnorum, qui in die festo sanctae Agnetis, v. et m., super altare basilicae ejus ponuntur, et ab abbate ejusdem benedicuntur oratione *Omnipotens... qui per famulum tuum Moysen* etc.

Pallia fabricata benedicuntur prope tumulum sancti Petri post primas vesperas festi, vel ab ipso summo pontifice si maluerit, vel a cardinali archipresbytero Basilicae Vaticanae, cum oratione *Deus, pastor aeterne animarum,* a Benedicto XIV composita.

Pallia benedicta, quousque postulentur, super limina apostolica asservantur in arcula argentea, singulare donum Benedicti XIV, qui specialissimo amore pallia sacra prosequebatur (158).

CAPUT II

293 DE SUBJECTO SACRI PALLII

Sacrum pallium, teste Benedicto XIV, nativo jure pertinet ad summum pontificem tamquam insigne ejus praecipuum et signum sollicitudinis Christi in grege suo et apostolicae successionis (De Synodo, l. XIII, c. 15, n. 7), propterea eo in universali Ecclesia utitur et quidem quoties

se vestit in pontificalibus, nec unquam celebrat solemniter sine pallio (159).

Archiepiscopi residentiales, quatenus jurisdictione gaudent in suis suffraganeis, de auctoritate et sollicitudine apostolica quodammodo participant; oportuit proinde ut ipsi speciali modo sacro ornarentur pallio ad significandam admirabilem unitatem Ecclesiae Christi, cujus origo est Petrus, e cujus sepulchro pallium sumitur et ipsis imponitur.

In archiepiscopis proinde pallium *plenitudinem pontificalis officii cum archiepiscopalis nominis appellatione* significat et est. *Formula traditionis;* CJC 275. Sequitur litteras apostolicas nominationis ad sedem archiepiscopalem suum plenum effectum sortiri solum post pallii receptionem. Cum tamen eorum jurisdictio in Ecclesia quibusdam limitationibus circumscripta sit, eo uti possunt cum restrictionibus loci et temporis, ut in cap. IV habetur.

Tituli patriarchae et primatis in Ecclesia Latina, cum sint honoris et praecedentiae tantum (CJC 271), minime secum ferunt usum pallii extra provinciam cujus sunt metropolita, sine speciali indulto apostolico.

Privilegio pallii singulari quodam modo ornantur episcopi, pro tempore exsistentes, nonnullarum sedium episcopalium (160) sine praejudicio juris metropolitae (161), et sub conditionibus privilegio annexis. Aliquando etiam episcopi residentiales pallio a Sancta Sede ornantur ad personam, specialis benevolentiae gratia.

Patriarchae orientales catholici, saltem inde a Clemente XI, jus et officium habent postulandi pallium latinum; postulatio fieri solet in ipso concistorio in quo patriarcha a summo pontifice confirmatur (162).

Ante receptionem pallii jusjurandum fidelitatis summo pontifici erit emittendum; fidei professiones vero emittuntur antequam electus possessionem sedis metropolitanae, vel episcopalis cum privilegio sacri pallii, capiat. CJC 1406 § 1, n. 3.

Praecedentia inter archiepiscopos sumitur a die et juxta ordinem praeconizationis vel nominationis, nulla habita ratione pallii. Vide n. *276,* 4.

CAPUT III

294 **DE SACRI PALLII POSTULATIONE**

Qui sacro ornantur pallio illud postulare debent solemniter in concistorio secreto instanter, instantius, instantissime.

Metropolita tenetur, intra tres a consecratione menses, vel, si jam consecratus fuerit, a provisione canonica in concistorio, per se vel per procuratorem, ad pallium a romano pontifice petendum. CJC. 275. Usus receptus est ut petitio fiat in ipso concistorio in quo electi nominantur, vel in proximo immediato.

Archiepiscopus in postulatione pallii negligens dignitate archiepiscopali privari potest. Card. Gasparri, De ss. Eucharistia, vol. 2, n. 275.

Episcopi qui, ex privilegio sedis, pallio utuntur, illud in concistorio postulare tenentur; tamen tempus utile pro postulatione a jure non determinatur, nequeunt tamen privilegio sedis renuntiare. Etiam episcopus qui ratione personae pallio ornatur, illud postulare debet in concistorio, nisi summus pontifex sponte suo pallium ad eum mittat.

In jure non determinatur intra quot tempus patriarchae petere debeant pallium, sed usus est receptus ut eum postulent cum petunt confirmationem electionis rite factae.

S.R.E. cardinales in concistorio praesentes personaliter pallium petunt; absentes commissionem dant alteri cardinali ut nomine suo illud postulet.

Patriarchae in concistorio praesentes pallium personaliter postulare possunt; si vero absentes, nomine eorum postulationes faciunt advocati concistoriales.

Archiepiscopi, et episcopi omnes, etiamsi praesentes in concistorio sint, pallium impetrunt per advocatum concistorialem. Benedictus XIV, *Inter conspicuos*, n. 17. Sed recentissime etiam archiepiscopi in concistorio praesentes pallium personaliter postulavere. AAS. 1933, pg. 141; 1937, pg. 461 (163).

CAPUT IV

DE USU ET CUSTODIA SACRI PALLII

295 ART. I — ANTE RECEPTIONEM

Archiepiscopus residentialis electus, sive sit consecratus sive non, post captam possessionem sedis ad quam promotus fuit, usquedum pallium recipiat, nequit:

1 — Nomen archiepiscopi, primatis vel patriarchae assumere, sed vocari debet *N. electus ad sedem N.* PR de Pallio, CE, I, 16, 6. Nequit proinde suis stemmatibus apponere insignia archiepiscopalia, vi-

delicet geminam crucem, pileum cum flocculis viginti, vel pallium ipsum (164).

2 — Licite actus jurisdictionis metropolitanae in dioecesibus suffraganeis exercere, qui in canone 274 CJC adnumerantur.

3 — Concilium provinciae convocare (165).

4 — Ritus PR exercere pro quibus pallium requiritur, videlicet: ordines maiores conferre; episcopos consecrare; abbates vel abbatissas benedicere; virgines velare; ecclesias consecrare (166); sacra olea conficere. CJC 276. D. 443.

5 — Crucem ante se ferre.

6 — In dioecesibus suffraganeis praecedere ordinarium loci.

Archiepiscopus electus tamen potest actus de quo in n. 4 ponere extra suam provinciam, servatis servandis, vel alium episcopum deputare ad eos ponendos in sua dioecesi.

Archiepiscopo electo permittitur, ante receptionem pallii, missam pontificali ritu celebrare pro defunctis, vel etiam missas de tempore vel de festivitatibus, sed sine caligis et sandaliis. PR (167).

Episcopus pallio ornatus, ratione sedis vel personae, cum illud recipere debet ad honorem tantum et non in partem apostolicae sollicitudinis, licite ante ejus receptionem ponit actus omnes qui a jure ei permittuntur.

Nonnumquam archiepiscopis electis indultum conceditur in forma rescripti ut licite poni possint ab eis actus omnes, vel aliqui, pro quibus pallium requiritur, praesertim cum celebratio concistorii in mora est; standum in singulis casibus conditionibus rescripto appositis.

296

ART. II — DE SACRI PALLII USU

Pallium est quam strictissime personale et locale, proinde metropolita, postquam illud legitime receperit:

Extra suam provinciam eo uti nequit, etiamsi intercedat permissum loci ordinarii (D 2730), vel si metropolita sit S. R. E. cardinalis cum missione legati apostolici extra provinciam suam; neque in dioecesibus alterius provinciae, etsi earum administratio ei tribuatur ab Apostolica Sede; proinde nullus exstat casus in quo liceat metropolitae sacro pallio extra suam provinciam uti (168).

Pallium nequit commodari, neque transferri ex una sede ad aliam cum transfertur archiepiscopus, qui ad novum postulandum tenetur. CE I, 16, 6.

Metropolita pallio legitime utitur in omnibus ecclesiis seu oratoriis, etiam exemptis, totius provinciae suae, id est, etiam in dioecesibus, praelaturis vel abbatiis nullius suae provinciae. CJC 277.

Pallio utitur archiepiscopus supra planetam ubi sit pontificalibus vestibus paratus, quoties debet missarum solemnia celebrare ad:

1 — Ordines maiores conferendos.
2 — Episcopos consecrandos.
3 — Abbates vel abbatissas benedicendas. Vide notas 209 et 235.
4 — Virgines velandas.

Quod quidem servabitur etiamsi functiones hujusmodi celebrentur intra missam lectam pontificalem.

Praeterea metropolita pallio utitur:

1 — Ad missam pontificalem pro aperitione concilii provincialis, quaecumque sit missa. CE. I, 31, 13; vel etiam pro aperitione concilii plenarii, si legatus sit ipse metropolita.

2 — Ad missam pontificalem post dedicationem ecclesiarum suae dioecesis vel provinciae celebrandam, etiamsi consecratio ab alio facta fuit.

3 — Ad missam pontificalem ab ipso solemniter celebrandam, diebus qui sequuntur:

I — In Dominicis Resurrectionis et Pentecostes cum feriis 2.ª et 3.ª et in Dominica in albis.

II — In quinque maioribus festivitatibus D.N. Jesu Christi, videlicet: Nativitate, Circumcisione, Epiphania, Ascensione, Festo Corporis Christi (169).

III — In quinque maioribus festivitatibus B.V.M. videlicet: Purificatione, Annuntiatione, Assumptione, Nativitate et Immaculata Conceptione. D 3595.

IV — In festo sancti Joseph (non autem in patrocinio ejus) D 3595; in Nativitate Praecursoris Domini; in festo sancti Stephani protomartyris.

V — In festivitatibus seu natalitiis apostolorum.

VI — In Hebdomade maiori, videlicet: in Dominica Palmarum; in Caena Domini; in Sabbato Sancto, etiamsi ordines maiores non conferantur.

VII — In festo omnium sanctorum.

VIII — In anniversario consecrationis ecclesiae metropolitanae.

IX — In anniversario consecrationis suae.

X — In principalioribus festivitatibus ecclesiae suae, videlicet: in festo titularis principalis ecclesiae metropolitanae, patronorum principalium archidioecesis et nationis.

Si solemnitas externa festorum, in quibus metropolita pallio uti potest, in dominico proximo, ad normam rubricarum MR, transferatur, et missa solemnis ab eo celebretur, pallio licite utetur.

Item pallio utitur metropolita ad missam solemnem in anniversario consecrationis suae, etiamsi, ad normam legum liturgicarum, de ea fiat tantum commemoratio, vel dies missae non incidat in ipso die consecrationis, non tamen si de consecratione sua illo anno nec memoria in missa fiat.

Festa ss. Lucae et Marci, evangelistarum, et sancti Bernabae apostoli, non sunt dies de pallio; sicut nec dies in quibus celebrantur mysteria vitae apostolorum, puta conversio et commemoratio sancti Pauli, cathedra et vincula sancti Petri (170).

Metropolista pallio uti nequit in processionibus, neque in aliis quibuslibet functionibus (171) etiamsi fiant immediate ante vel post missam pontificalem, una benedictione papali excepta, D 3605, IX; sed si in die in quo dare debet benedictionem papalem non celebravit pontificaliter, nequit pallium assumere supra casulam vel pluviale ad benedictionem apostolicam impertiendam. D 3605, VIII, 2.

Pallio legitime utitur archiepiscopus ad normam CE (II, 2, 20) pro processione quae missam pontificalem praecedit, etiamsi processio circuit extra ecclesiam. (Benedictus XIV, De Synodo, lib. III, cap. XI, n. 5, ad rem referens Gregorium Magnum.) Metropolita celebrans ad faldistorium coram cardinali, legato vel non, celebret sine pallio (172).

Si metropolita pontificaliter celebrat sub dio, ratione conventus eucharistici dioecesani vel alterius solemnitatis, et dies coincidat cum die pallii, eo uti poterit (173).

Si metropolita celebrare velit ritu pontificali diebus in superiori schemate non inclusis, id faciat sine pallio, etiamsi agatur de quadam specialissima solemnitate; et si velit in aliquo die speciali per annum, vel ratione magnae commemorationis, sacro uti pallio, impetrare debet indultum speciale a Sancta Sede, quod solet concedi (174).

297 ART. III — EPISCOPI SACRO PALLIO ORNATI

Episcopus residentialis sacro pallio ornatus eo uti potest intra limites suae dioecesis tantum, et, neque de licentia metropolitae vel alterius ordinarii, extra dioecesim; praeterea si in indulto usus pallii restringatur ad quasdam ecclesias, v.g. in cathedrali, illic tantum eo uti poterit.

Si in indulto determinantur dies in quibus episcopus pallio uti poterit, standum erit indulto; si vero dies non determinantur, standum regulis statutis pro archiepiscopis.

Episcopus pallio uti nequit coram praelato superioris gradus, videlicet, metropolita suo, nuntio vel delegato apostolico in loco suae legationis vel S.R.E. cardinali, nisi de speciali licentia eorum, quae dari non convenit si ordinarius celebraturus est ad faldistorium. Vide notam 161.

Privilegium pallii episcopis concessum, ratione sedis vel personae, cum sit concessio mere gratiosa Sanctae Sedis, nullam tribuit episcopo praecedentiam extra suam dioecesim super ceteros episcopos provinciae, vel exemptionem a jure metropolitae, vel aliud quodvis privilegium. Benedictus XIV, De Synodo, l. XIII, c. 15, nn. 9, 10 (175).

Episcopi pallio ornati servare debent regulas ipsis metropolitis a jure impositis, et in dubio de liceitate usus, privilegium, utpote contra jus commune, est strictae interpretationi subjiciendum (176).

298 ART. IV — DE SACRI PALLII CUSTODIA

Pallium custodiendum est penes titularem suum in capsula ipsi reservata et albo serico involutum.

Si archiepiscopus vel episcopus ad aliam sedem tranferatur, secum portabit pallium antiquae diocesis, licet non amplius adhibendum, ut cum eo sepeliatur.

Si pallium perditum, combustum, seu deterioratum fuerit, diversis de causis, novum erit impetrandum, sed quousque ad eum perveniat, metropolita non prohibetur actus ponere pro quibus pallium requiritur, cum per accidens eo privatur.

Licebit, si necessitas seu consumptio id exigat, extremitates plumbeas sericis novis cooperire, sunt enim partes accidentales insignis.

299 ART. V — DE SEPULTURA PRAELATI PALLIO ORNATI

Archiepiscopus vel episcopus sepeliri debet cum suo pallio, et si plura pallia in vita recepit, cum omnibus. Observa tamen:

Si praelatus sepeliatur in sua provincia, vel episcopus in sua dioecesi, pallium habebit extensum supra planetam; et si alia pallia habuit, ponentur plicata subtus caput.

Si antistes sepeliatur sacris vestibus paratus extra suam provinciam vel dioecesim, vel in Urbe in habitu praelatitio, pallium, vel pallia, ponentur plicata subtus caput.

Non praecipitur a jure ut etiam spinulae pallii sepeliantur, praesertim si sint specialis aestimationis dignae.

TITULUS II

DE IMPOSITIONE PRIVATA SACRI PALLII IN ROMANA CURIA

CAPUT I

PRAENOTANDA

300 Antiquitus usus erat receptus ut pallia non nisi in Urbe antistitibus traderentur; sed cum plurimi episcopi iter Romae arripere nequirent, solebant indultum impetrare ut eo in sua ecclesia decorarentur, vel ut commissarius eorum nomine in ipsa Urbe illud reciperet.

Juxta usum hodiernum pallia omnia semper in Urbe traduntur, sive ipsis titularibus, si ibi commorentur, sive eorum commissariis, qui sunt advocati concistoriales qui ea postulaverunt.

Officium est cardinalis protodiaconi, eoque impedito, alterius cardinalis diaconi, pallia Summo Pontifici, archiepiscopis, et episcopis privilegio fruentibus, eorumve procuratoribus, imponere. CJC. 239.

Taxae Curiae ob concessionem pallii erunt S.C. Concistoriali tantummodo solvendae, et variationibus subjiciuntur juxta statum uniuscujusque dioecesis.

Traditio pallii in Romana Curia fit semper privatim.

CAPUT II

301 IMPOSITIO A CARDINALI PROTODIACONO

❯ Impositio fieri solet privatim post missam lectam cardinalis in suo sacello, vel quando maluerit.

1 — Antistes super amictum et rochetum induit casulam (177).

2 — Cardinalis, sacro expleto, sedet ante altare super quod pallium locatur, et accedit antistes, qui, flexis genibus in gradu, facit postulationem his verbis :

Ego N. electus ecclesiae N. instanter, instantius et instantissime, peto mihi tradi et assignari pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii.

3 — Cardinalis, recepta petitione, capit jusjurandum fidelitatis antistitis, quod quidem fit formula et ordine praescripto pro jurejurando ante consecrationem episcopalem.

4 — Jurejurando emisso, cardinalis accipit pallium de altari, et, adjuvante subdiacono apostolico, imponit humeris antistitis, ita ut pars duplex, ubi extremitates fasciae ligantur, ponatur super humerum sinistrum, sed non locat spinulas. Interim cardinalis recitat formulam PR *Ad honorem omnipotentis* etc.

5 — Cardinalis deinde dat antistiti osculum pacis cum quo clauditur ritus traditionis.

6 — Caeremoniarius apostolicus exuit pallium pontifici, et, facto de more publico de actis instrumento, illud tradit antistiti una cum pallio in suo involucro plicato.

CAPUT III

302 IMPOSITIO A SUMMO PONTIFICE

❯ S.R.E. cardinalibus usu pallii fruentibus, vel patriarchis orientalibus, si Romae commorentur, solet Summus Pontifex, specialis benevolentiae testimonio, pallium personaliter imponere. Summus Pontifex pallium tradit in suo privato sacello post suam missam lectam, vel quando seu ubi maluerit.

1 — Antistes jusjurandum fidelitatis tempestive deponit in manibus cardinalis primi diaconi de more, nisi et ipse sit cardinalis.

2 — Electus induit omnes vestes pontificales exceptis chirothecis, in aula proxima, et accipit mitram, auriphrygiatam si sit cardinalis, secus albam. Finita missa Pontificis, si celebravit, praeses accedit ad altare, mitra deposita. Vide notam 177.

3 — Electus petit sibi tradi pallium, et pontifex illud imponit ordine tradito in capitulo praecedenti, n. *301.* Vide notam 189.

CAPUT IV

303 IMPOSITIO PROCURATORI

❯ Si archiepiscopi vel episcopi sint absentes ab Urbe, cardinalis proto-diaconus eorum pallia procuratoribus suis tradit, qui solent esse ipsi advocati concistoriales qui ea postalaverunt.

1 — Formula petitionis a Benedictio XIV praescripta haec est :

Ego N. procurator et procuratorio nomine, et pro parte Exmi. et Revmi. in Christo Patris et Domini N., electi ecclesiae N., instanter, instantius, instantissime, peto mihi tradi et assignari pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii, et promitto illud reverenter portare vel portari facere eidem Exmo. et Revmo. Patri Domino N.

Cardinalis, procuratori genuflexo et superpelliceo tantum induto, pallium imponit cum formula *Ad honorem,* adjungens nomen et ecclesiam titularis.

2 — Procurator sacrum pallium, una cum instrumento traditionis et litteris Cancellariae Apostolicae, ad proprium antistitem pervenire facit.

3 — In litteris apostolicis pallium concomitantibus legitur :

Volumus autem ut quicumque, quem malueris, Catholicus Antistes, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habens, illud tibi tradere possit, postquam a te fidelitatis debitae solitum receperit juramentum, formulas his nostris litteris annexas adhibendo.

Traditio pallii procuratori a recitatione formulae petitionis, cardinali jam factae, excusat, sed a jurejurando et ab ejus solemni receptione in ecclesia sua non eximit metropolitam.

TITULUS III

DE SOLEMNI IMPOSITIONE SACRI PALLII ELECTO IN ECCLESIA SUA

CAPUT I

304 PRAENOTANDA

LOCUS. Nisi justa et rationabilis causa aliud expostulet, pallium erit in ipsa ecclesia metropolitana tradendum, quod semper in capitulis huius tituli supponitur.

TEMPUS. Pallium quocumque die tradi potest, sed cum sit functio festiva, excludi debent dies paenitentiales, seligendaque erit aliqua solemnitas, praesertim ecclesiae electi propria, vel dies dominica.

ELECTUS extra Urbem pallium recipere potest postquam consecrationem episcopalem recepit et non ante, et si sit in ecclesia sua, post captam possessionem et solemnem receptionem.

COMMISSARIUS. Electo erit seligere episcopum, qui commissarii nomen assumit, ad pallium ei tradendum (178); qui erit, quando fieri poterit, antiquior suffraganeus; invitari etiam licet S.R.E. cardinalis, etiamsi non sit charactere episcopali ornatus, vel apostolicus in loco nuntius. Sed vide notam 187.

CELEBRANS. Quam maxime expedit ut missa celebretur ab episcopo commissario. CE, h. l. Si vero impediatur, missa erit celebranda ab alio sacerdote in ecclesiastica dignitate constituto, et nunquam ab electo.

MISSA. Pallium tradi debet post missarum solemnia, proinde fieri nequit illis horis quibus celebratio missae prohibetur.

ORDO MISSAE. Missa dicitur de tempore vel de sancto juxta calendarium diei, sine ulla additione (179); laudabiliter, tamen, oratio ad libitum, si erit dicenda, erit *Deus omnium fidelium* ut in anniversario consecrationis episcopi; quae dici etiam potest tamquam imperata pro re gravi, sed dicitur *N. electum ecclesiae N.*

JUSJURANDUM. Commissario licebit jusjurandum fidelitatis electi recipere privatim coram duobus testibus pridie traditionem. CE. h. 1.

COMMISSARIO INSERVIUNT ministri missae; si vero missam non celebravit, inservient ei capellani duo cum superpelliceis et acolythi duo.

ELECTO INSERVIUNT capellani duo cum superpelliceis, acolythi duo, ministri de mitra et baculo et familiares.

CAEREMONIARII aderunt duo, unus pro commissario, alter pro electo.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

305 COLOR: pro altari et clero: missae celebrandae.
pro electo: albus (180).

I — IN SACRARIO:

Sacrae vestes ministrorum missae.
Superpellicea pro inservientibus et assistentibus.
Vasculum aquae lustralis cum hyssopo.
Crux hastata.

❯ Si celebrans se vestiat in sacrario, ibidem praeparentur sacrae ejus vestes et alia de more.

II — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI:

Genuflexorium coopertum suo tapeto cum duobus pulvinaribus.

III — IN PRESBYTERIO:

Thronus suis vestibus coopertus.
Faldistorium sua veste coopertum et pulvinar.

PRO MISSA parentur quae necessaria sunt de more, juxta gradum hierarchicum celebrantis vel assistentis.

PRO TRADITIONE a latere epistolae:

Pluviale.
Pontificale cum formula traditionis.

❯ Si commissarius cappa indutus missae assistat, sacrae vestes ejus parentur super mensa a latere epistolae, videlicet: pluviale; stola; amictus; mitra simplex; baculus pastoralis si erit adhibendus.

SUPER MENSA A LATERE EVANGELII alba tobalea cooperta:

Pallium in lance, suo velo coopertum.
Spinulae tres in lance minore.

PRO JUREJURANDO (si est emittendum):

Epistolae et evangelia, vel missale, et intus forma jurisjurandi typis impressa, super scabello a latere epistolae posito.

IV — IN CAPELLA ELECTI:

❯ Pro vestitione electi seligenda erit capella aliqua extra presbyterium, vel erit ad hoc paranda.

SUPER ALTARI:

Manipulus; planeta; dalmatica; tunica; stola; alba cum cingulo; amictus; mitra pretiosa.
Baculus parieti appositus.
Caligae et sandalia in lance, velo cooperta.
Faldistorium, sua veste coopertum, vel eo deficiente, sedes cameralis.
Superpellicea duo pro assistentibus, si sint canonici vel praelati.
Vela duo pro mitra et baculo.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

CELEBRANTE COMMISSARIO AD FALDISTORIUM

306 ❯ Si commissarius sit episcopus vel archiepiscopus titularis, extraneus, vel suffraganeus, celebrat ad faldistorium.

ART. I — MISSA

1 — CELEBRANS 1) Expedit caudam habitus talaris, sed caudatarius inservit ad introitum et ad exitum solummodo.

2) Habet presbyterum assistentem de more, sed non utitur baculo nec candela.

3) Se parat de more in sacrario, ad presbyterium accedit et exspectat adventum electi sedens ad faldistorium.

2 — ELECTUS missae assistit cappa indutus, proinde non incipit missam cum celebrante sed ad thronum (*nisi sit suffraganeus*) ubi ei respondent assistentes, et incensatur ad offertorium tantum.

3 — Omnia in missa fiunt solito more, juxta regulas pro missa pontificali ad faldistorium cum assistentia loci ordinarii cappa induti, sed cum electus, ante consecrationem, de throno descendit, presbyter assistens ejus ad locum suum in choro recedit.

307 ART. II — AD CAPELLAM ELECTI

1 — Post consecrationem missae electus assurgit et, ad thronum non revertens, a choro discedit cum suis assistentibus ministris, et familiaribus, et pergit ad capellam suam (181).

2 — Electus sedet ad faldistorium et a suo familiari exuitur calcibus usualibus et induitur caligis et sandaliis. Interim assistentes vestem choralem deponunt et induunt superpelliceum tantum, vel supra rochetum si eo utantur, et ad electum accedunt; caudatarius, deposita *crocea* vel cappa, induit superpelliceum.

3 — Calceatis pedibus, electus dimittit biretum, cappam et crucem pectoralem, et caudam habitus talaris solvit.

4 — Capellani assistentes vestiunt electum in pontificalibus, videlicet: amictu, alba cum cingulo, cruce pectorali, stola, tunica, dalmatica, casula, manipulo et mitra pretiosa; quae omnia fiunt ita ut absolvantur cum finitur missa.

5 — Crucifer electi ad sacrarium recedit, ubi, deposita *crocea* vel casula, manipulo et mitra pretiosa; quae omnia fiunt ita ut absolvantur cum finitur missa.

308 ART. III — AD ALTARE

1 — Post pacem, caeremoniarius invitabit canonicum subdiaconum, vel si non sint ordines diversi, unum e canonicis praesentibus, ut ad mensam sacri pallii accedere velit.

2 — Amoto calice post communionem, canonicus accipit pallium in lance, serico velo coopertum, et illud, ad altitudinem oculorum elevans, portat ad altare, ubi, facta cruci reverentia, locat lancem a latere evangelii altaris, ita ut pars duplex pallii sit versus latus epistolae; descendit, et, facta cruci reverentia, redit ad locum suum in choro.

Celebrans, lecto versu communionis, exspectat paulisper a latere epistolae, quousque subdiaconus pallii ab altari recedat.

3 — Finita missa, et celebrante ad faldistorium reverso, presbyter assistens recedit, officio suo expleto; deinde, ministrantibus sacris ministris sine manipulis vel etiam sine casulis plicatis, si eo die adhibeantur, commissarius exuitur sacris vestibus usque ad tunicam inclusive, et accipit pluviale et mitram simplicem. Interim ab altari amovetur missale cum legili, et canon pontificalis.

309 ART. IV — SACRI PALLII TRADITIO

1 — Assurgit commissarius, et acolythi faldistorium in medio suppedaneo ponunt.

Commissarius, medius inter sacros ministros, ad altare se sistit, et, facta cruci reverentia, ascendit cum eis et sedet retenta mitra; diaconus se sistit a dextris ejus et subdiaconus a sinistris. Caeremoniarius pulvinar in medio ultimi altaris gradus ponit.

2 — Cum omnia parata sunt, electus, accepto baculo, medius inter suos capellanos, praecedentibus duobus acolythis et sequentibus caudatario caudam habitus talaris sustentante, ministris de mitra et baculo et familiaribus, ad presbyterium accedit, et cum intrat, assurgit commissarius et cum eo omnes.

℟ Cum electus a loco vestitionis ad altare procedit, a schola laudabiliter cantabitur antiphona *Firmetur manus tua* cum *Gloria Patri* et repetitione antiphonae, prout habetur in fine consecrationis episcopi.

3 — Ante altare ubi advenerit, electus profunda reverentia crucem salutabit, aliis genuflectentibus, deinde, cum suo clero, capitis inclinatione salutabit commissarium, qui ei respondebit.

4 — Electus, reddito baculo et deposita mitra, genuflectit super pulvinar in medio ultimi gradus et orat, quousque chorus finem det cantui, vel si nihil cantatum fuit, aliquantulum orat; capellani assistentes, facta cruci genuflexione vel reverentia, prout eis competit, in plano remanent, ceteri ad loca sua accedunt; interim sedet commissarius.

5 — Si jusjurandum emittendum est, electus assurgit, et caeremoniarius pulvinar ponit in superiori gradu et in suppedaneo scabellum cum evangelistario aperto litteris ad electum versis. Electus ascendit solus, et, flexis genibus, legit clara voce formam jurisjurandi; interim stabit chorus.

Jurejurando lecto, electus, ambabus manibus super librum positis, dicit *Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia,* illudque osculatur. Commissarius respondet *Deo gratias,* et amovetur scabellum.

Interim caeremoniarius 1us. pallium discooperit.

6 — Emisso jurejurando, vel facta oratione, assurgit electus; caeremoniarius ejus ponit pulvinar in medio suppedanei, ibique genuflectit electus.

Minister de libro se sistit a sinistris commissarii, et acolythus 1us. electi cum tribus spinulis in lance, versus dexteram diaconi.

Assurgit commissarius et acolythi faldistorium e suppedaneo amovent.

Commissarius, ad altare super dexteram suam se vertens, sumit ipse ex eo pallium, ita ut pars duplex sit in manu dextera; ad electum se vertit, crucem posteriorem pallii ei deosculandam tradit, et stans ipse solus pallium humeris electi imponit dicens formulam *Ad honorem;* deinde sacri ministri illud super humeros recte aptant, et recedit minister de libro. Diagramma XXVII.

7 — Diaconus, sumens spinulam pulchriorem, eam episcopo sine osculis tradit, qui eam cruci anteriori infigit; deinde, accepta altera, eam infigit in cruce partis duplicis sive humeri sinistri; accepta ultima, infigit eam in cruce posteriori (182). "Quae omnia ita infigantur, ut tertio transeant per crucem, in qua sint ocelli tres, seu ansulae tres sericae ejusdem coloris nigri; ita tamen ut nec crucem, neque pallium perforent, neque planetam tangant; et gemmae spinulis appositae remaneant ad dexteram infigentis". CE, II, 8, 20. Acolythus cum lance recedit.

8 — Commissarius, impositis spinulis sacro pallio, ad latus evangelii recedit, et se sistit facie ad latus epistolae versa; diaconus aufert mitram episcopo et se sistit in superiore gradu a dextris ejus; subdiaconus se sistit in gradu proximo a dextris diaconi, tres unam efformantes lineam.

Caeremoniarius 2us. canonem pontificalem, ad benedictionem apertum, ante crucem altaris ponit.

Crucifer, presbyterium ingressus, se sistit in medio ante gradus altaris et genua flectit.

Metropolita assurgit, et solemniter in cantu impertit benedictionem pontificalem ritu praescripto post inthronizationem sed sine mitra, accipiens baculum cum dicit *Pater* (183). Data benedictione, metropolita et commissarius mitram accipiunt, et minister de libro canonem ab altari amovet.

9 — Metropolita in planum descendit, et comitantur eum capellani ejus duo, acolythi et familiares; deinde, facta cruci altaris profunda reverentia, et genuflexione a ceteris, et reverentia commissario, ad thronum revertitur, praeeunte cruce, sedet, et baculum dimittit; crucifer versus sinistram throni recedit.

Commissarius cum suis ministris in planum descendit, cum recedit metropolita, et, facta cruci debita reverentia, ad sacrarium redit ad sacras dimittendas vestes, et si transeat ante metropolitam eum capitis inclinatione salutabit et ministri genuflectunt.

10 — Acolythus lus. electi cum lance ad thronum accedit et genua flectit in suppedaneo. Assistens 1us. adjuvante 2.°, exuit metropolitam pallio simul cum spinulis; acolythus, recepto pallio, assurgit, in planum descendit, et, facta episcopo genuflexione, ad altare accedit, ubi, facta iterum genuflexione, ascendit, pallium in media mensa altaris locat, et recedit (184).

310 ART. V — VENERATIO

1 — Clerus laudabiliter invitabitur ad sacrum pallium venerandum (185).

Incipientes a dignioribus, debitis eum reverentiis, ad suppedaneum altaris bini accedunt, ubi stantes et junctis manibus pallium osculantur; deinde qui a dextris, ad dexteram se vertit, qui a sinistris, ad sinistram, et in planum descendunt, ubi iterata reverentia cum aliis duobus ascendentibus, ad loca sua redeunt.

Statim ac metropolita benedictionem dederit, schola cantabit responsorium *Benedictus Deus qui te pastorem elegit* (ut in nota 184), quod per totum tempus venerationis pallii protrahetur.

2 — Finita veneratione, pallium in sua capsula reponitur et metropolita sacris exuitur vestibus et accipit cappam; assistentes recedunt et, superpelliceo deposito, induunt habitum choralem; acolythi faldistorium in

medio ante altare ponunt; metropolita solus de throno descendit, caudatario caudam cappae sustinente, et genua flectit super pulvinar ante faldistorium, ubi orat aliquantulum; deinde, praeeunte crucifero, recedit, et post eum clerus.

› Si veneratio pallii omissa fuit, metropolita, ad thronum reversus, sacras dimittit vestes et proceditur ut supra.

311 ART. VI — SI COMMISSARIUS MISSAM NON CELEBRAT

1 — Missa celebrabitur solemniter a sacerdote in ecclesiastica dignitate constituto, qui, paratus cum suis ministris, ad scamnum electum exspectabit, qui cappa indutus ad thronum accedens de more missae assistat.

2 — Commissarius tempore missae locum sibi designatum in choro assumit, ubi, habitu chorali proprio indutus, missae assistit cum aliis de choro.

3 — Post consecrationem electus ad locum vestitionis recedit, ubi omnia fiunt ut in n. *307*, et post communionem pallium tradito ordine ad altare portabitur.

4 — Finita missa, celebrans cum suis ministris ad sacrarium recedit; caeremoniarius commissarii eum ad faldistorium a latere epistolae positum ducit, facie versa ad latus evangelii.

5 — Capellani duo, cum superpelliceis, etiamsi specialis habitus choralis usu gaudeant, ante commissarium se sistunt, cui facta reverentia, loca sumunt, 1us. a dextris, 2us. a sinistris; commissarius, habitu chorali deposito, induit amictum, crucem pectoralem, stolam, pluviale, et mitram simplicem.

6 — Commissarius cum suis assistentibus, oras pluvialis sustinentibus, ad altare accedit, ubi omnia fiunt ordine superius tradito, cauto tamen quod capellanus assistens 1us. fungitur officio diaconi et capellanus assistens 2us. subdiaconi.

7 — Cum metropolita ad thronum recedit, commissarius cum suis assistentibus ad faldistorium a latere epistolae accedit, ubi vestes sacras deponit et accipit chorales; deinde recedit ad locum suum in choro, officio suo expleto, et assistentes ad loca sua se conferunt.

CAPUT IV

RITUS SERVANDUS SI COMMISSARIUS VEL ELECTUS SIT S.R.E. CARDINALIS

312 ART. I — SI COMMISSARIUS SIT S.R.E. CARDINALIS

1 — Electus cum mozeta et manteleto ad ecclesiam accedit ante adventum commissarii, vel utatur cappa si maluerit, sine tamen caudatario.

2 — Commissarius, postquam se ipsum aspersit, hyssopum electo tangendum ostendit et deinde ceteros aspergit.

3 — Ad introitum in ecclesiam electus procedit solus a sinistris cardinalis sed aliquantulum retro post eum, et ad altare ssmi. Sacramenti genua flectit ad genuflexorium duobus pulvinaribus ornatum a sinistris cardinalis, sed non in eadem linea.

4 — Ad altare maius cum pervenerint, electus, facta reverentia cardinali, ad 1mum. locum in choro ei paratum accedit, vel ad genuflexorium, ubi commodius locatum, ibique missae assistit cum suo caeremoniario a dextris sine assistentibus.

5 — Cardinalis, sacris vestibus indutus, ad thronum metropolitae, missae solemni ab aliqua dignitate celebrata assistit (186) cum qua missam incipit, et incensatur ad introitum, post evangelium, et ad offertorium; cetera fiunt de more.

6 — Post consecrationem, electus cum duobus assistentibus et ceteris inservientibus, facta genuflexione Sacramento, a choro recedit, et ad locum vestitionis accedit, ubi omnia fiunt ut in n. *307*.

7 — Locatio pallii super altare fit ordine tradito, n. *308*, 1, 2.

8 — Finita missa, celebrans cum suis ministris, debitis cum reverentiis, ad sacrarium redit, et ab altari amoventur missale cum legili et canon pontificalis.

9 — Presbyter assistens cardinalis ad locum suum in choro redit, et canonici assistentes, extra thronum, habitum chorale deponunt et induunt superpelliceum; interim acolythi faldistorium cardinalis in medio suppedaneo altaris ponunt.

10 — Cum omnia parata sunt, cardinalis commissarius, medius inter suos assistentes, oras pluvialis sustinentes, sequentibus suis capellanis de insignibus et caudatario, cum mitra pretiosa, nisi color diei sit violaceus,

et baculo, de throno descendit, et ad altare accedit, ubi, facta cruci reverentia et reddito baculo, ad suppedaneum ascendit et sedet ad faldistorium; assistens 1us. transit ad dexteram ejus et assistens 2us. ad sinistram.

11 — Electus ad altare accedit tradito ordine, cardinalis tamen non assurgit, sed sedens salutationi ejus respondet.

12 — Fit jusjurandum si emittendum est, et proceditur ad traditionem pallii tradito ordine, sed cardinalis utetur candela.

13 — Ante benedictionem assistens 1us. aufert mitram cardinali; metropolita, accepto baculo, parva capitis inclinatione reverebitur eum, quasi permissum petens.

14 — Impertita benedictione, crucifer metropolitae ad sacrarium recedit, officio suo expleto; assistens 1us. metropolitae, ad suppedaneum accedens, mitram ei imponit, et assistens 1us. cardinalis idem facit, et minister baculum ei tradit; ambo simul in planum descendunt; assistentes cardinalis descendunt a sinistris ejus, et assistens 1us. metropolitae a dextris ejus.

15 — Cardinalis et metropolita, facta cruci reverentia, se invicem salutant et discedunt: cardinalis ad thronum, metropolita ad faldistorium a latere epistolae positum, ubi se sacris vestibus exuunt et accipiunt chorales.

16 — Laudabiliter proceditur ad venerationem palii ut in n. *310*, et, ea finita, cardinalis et metropolita, ordine quo venerunt, recedunt.

313 ART. II — SI ELECTUS SIT S.R.E. CARDINALIS

1 — Incipit missam cum commissario;

2 — A jurejurando eximitur, cum de ejus fidelitate erga Apostolicam Sedem minime liceat dubitari (187).

CAPUT V

RITUS SERVANDUS SI COMMISSARIUS SIT DELEGATUS APOSTOLICUS

314 ❯ Si commissarius sit nuntius, internuntius vel delegatus apostolicus (188), episcopali charactere ornatus, omnia fiunt ut pro commissario cardinali. Sed observa:

1 — Ad altare ssmi. Sacramenti aderit genuflexorium unum coopertum cum pulvinaribus quatuor, sufficiens pro legato et electo.

2 — Electus utetur mozeta tantum, vel, si maluerit, adhibebit cappam.

3 — Commissarius assurgit cum electus paratus ad altare accedit, et, facta ei capitis reverentia, iterum sedet.

4 — Metropolita nullum petit permissum ante benedictionem, et, ea impertita, crucifer ad sacrarium redit.

5 — Delegatus et metropolita recendunt ordine quo venerunt.

CAPUT VI

IMPOSITIO PALLII POST CONSECRATIONEM

315 ❯ Si metropolita, capta sedis possessione, consecretur intra suam dioecesim vel provinciam et pallium ad eum jam pervenerit, impositio fieri potest statim post consecrationem quo sequitur ordine (139):

1 — Commissarius erit ipse consecrator.

2 — Jusjurandum fidelitatitis emittitur pridie consecrationem.

3 — Cantata a consecratore oratione *Deus omnium fidelium*, electus facit acclamationes et consecratores amplexatur, benedictione omissa.

4 — Electus, cum suis assistentibus, ad capellam suam recedit, et sedens reddit baculum, dimittit annulum et chirothecas, et iterum assumit annulum.

5 — Interim diaconus se sistit a dextris consecratoris et subdiaconus a dextris diaconi in linea; subdiaconus de pallio cum tunica si capitulum sit paratus, secus in habitu chorali, pallium tradito ordine ad altare portat et deinde ad locum suum redit.

6 — Cum recedit subdiaconus, consecrator se sistit in medio altaris cum suis ministris utrimque; electus sine mitra et sine baculo cum suis assistentibus pariter sine mitris, ad altare maius accedit, et, facta reverentia pontifici, genua flectit ad pulvinar in medio ultimi gradus; deinde ascendit ipse solus et fit impositio pallii solito more.

7 — Metropolita, sine mitra et crucem ante se habens, solemniter impertitur benedictionem, ad quam consecrator, assistentes et ministri loca sibi sumunt ut ad acclamationes, et benedictione impertita, omnes mitras

assumunt, et si consecrator sit S.R.E. cardinalis vel nuntius apostolicus, post benedictionem crucifer ad sacrarium redit.

› Cetera fiunt ut in fine consecrationis episcopalis, n. *246,* 3 ss.

› Veneratio pallii fit ante 1am. missam pontificalem metropolitae in qua erit adhibendum, vel quando maluerit ipse.

CAPUT VII

IMPOSITIO PALLII POST RECEPTIONEM

316 › Si pallium ad electum jam consecratum ante suam solemnem receptionem pervenerit, impositio et receptio fiunt eodem die, quo sequitur ordine :

1 — Jusjurandum emittitur pridie traditionem pallii.

2 — Ad munus commissarii obeundum, electus invitabit episcopum inferioris gradus, qui, si fieri poterit, erit antiquior suffraganeus.

3 — Mane fit receptio solemnis electi ut in tomo III, n. *169* ss., sed in processione pallium non portabitur.

4 — Post orationem de titulari, electus, accepta mitra et omissa benedictione, ad thronum revertitur, ubi sacras dimittit vestes et accipit cappam, vel sacris vestibus paratus missae assistit.

5 — Celebrabitur missa ab episcopo commissario, et omnia fiunt ut in capitulo III huius tituli, n. *306.*

6 — Metropolita indulgentias concedit post benedictionem solemnem in fine impositionis.

CAPUT VIII

IMPOSITIO PALLII EPISCOPIS

317 › Quando pallium imponendum est episcopo eo ornato, ratione sedis vel personae, omnia fiunt ut in hoc titulo habetur, juxta gradum commissarii, qui, quantum fieri poterit, erit metropolita.

1 — Si commissarius sit metropolita vel delegatus, omnia fiunt ut in capitulo V habetur pro commissario delegato.

2 — Commissarius metropolita habebit crucem suam, sed dum proceditur ad impositionem, crucifer se sistit in partem versus latus evangelii.

3 — Si episcopus privilegio crucis hastatae gaudeat et commissarius sit metropolita, metropolitae tantum dabitur crux ; si commissarius sit cardinalis, episcopus, de permissu ejus, crucem suam ante se habere poterit pro benedictione impertienda tantum.

4 — Episcopus, nisi habeat privilegium crucis hastatae, pro benedictione impertienda assumet mitram pretiosam.

TITULUS IV

CAPUT UNICUM

DE PRIVATA IMPOSITIONE PALLII EXTRA URBEM

318 ❯ Licet minus conveniat actui tam solemni, impositio pallii fieri potest, rationabili de causa, privatim sine cantu.

❯ Extra provinciam traditio erit semper privata.

PRAENOTANDA habes sub n. *304*.

LOCUS. Etiamsi fiat privatim, expedit ut traditio pallii fiat in ecclesia electi, sed impositio extra propriam provinciam, justa interveniente causa, a jure non prohibetur.

PREPARANDA erunt omnia ut pro traditione solemni, n. *305*, demptis necessariis pro missa solemni, et, loco eorum, parentur quae paranda sunt pro missa lecta commissarii juxta gradum suum.

319 RITUS SERVANDUS.

1 — Commissarius et electus simul ad ecclesiam accedunt.

2 — Commissarius missam lectam celebrat solito more, et electus ad genuflexorium assistit juxta CE I, 30.

3 — Post consecrationem electus ad capellam suam redit, ubi omnia fiunt ut pro traditione solemni, n. *307*.

4 — Amoto calice post communionem, pallium ad altare portabitur ritu tradito pro functione solemni, n. *308*.

5 — Dum legitur ultimum evangelium, acolythi faldistorium locant in plano a latere epistolae, et, eo finito, commissarius, facta capitis inclinatione cruci, pergit per breviorem viam ad faldistorium et sedet; capellani assistentes exuunt eum manipulo et casula, et induunt pluviali et mitra.

6 — Ad impositionem proceditur ut in functione solemni, n. *309*, sed commissario inserviunt capellani missae et partes scholae omittuntur.

Metropolita, intra suam provinciam, benedictionem pontificalem donabit, sine cantu tamen.

7 — Data benedictione, commissarius recedit ad faldistorium in plano a latere epistolae ad vestes sacras dimittendas; metropolita accedit ad thronum, si aderit, secus ad sedem suam et sacras deponit vestes.

❩ Si commissarius sit metropolitae superior, ad thronum recedit, si ibi vestes sacras recepit, ad eas dimittendas, et metropolita ad faldistorium redit et vestes deponit.

TITULUS V

CAPUT UNICUM

VENERATIO PALLII

320 ❩ Si metropolita pallium Romae recepit, vel ei impositum fuit extra ecclesiam suam, laudabiliter fiat veneratio ejus cum ad ecclesiam suam advenerit.

I — CUM RECEPTIONE. 1 — Fit solemnis receptio metropolitae ut in tomo III, n. *169* ss., et in processione pallium, in sua arca inclusum, super cussinum portabitur a canonico subdiacono vel a juniore canonico, in medio ante ceteros canonicos.

2 — Cum ad altare pervenerit, canonicus pallium e capsula tollit et super cussinum in medio altari positum locat.

3 — Post orationem *Deus omnium fidelium,* metropolita ad thronum accedit.

4 — Clerus ad obedientiam episcopo praestandam invitabitur, deinde ad pallium venerandum ibit ordine tradito, n. *310*. Dum fit veneratio schola laudabiliter cantabit responsorium : *Benedictus Dominus.*

II — SINE RECEPTIONE. Si pallium recipiatur post receptionem metropolitae, veneratio fieri poterit quando ipse maluerit, convenientius tamen fiet ante missam pontificalem in qua pallium erit primo adhibendum.

Si metropolita pallium Romae ante suam consecrationem recepit, et postea in ecclesia sua consecretur, veneratio fieri tantum poterit independenter a consecratione seu alio die, nec licet pallium induere pro inthronizatione, cum praesul jam celebravit; a fortiori non licet cum pallio in episcopum consecrari.

NOTAE AD SECTIONEM IV

(158) Jus liturgicum de pallio primo exstabat in titulo VIII libri I decretalium Gregorii IX; in PR.; in CE., 1. I, c. XVI; Benedictus XIV die 12 Augusti 1748 edidit constitutionem *Rerum ecclesiasticarum* in qua plura dispersa circa benedictionem et usum pallii in unum collegit. Opera, vol. 16, pg. 417. CJC doctrinam Benedicti XIV suam fecit. Quaedam quae praeparationem et benedictionem agnorum et palliorum respiciunt, omisimus, lectores remittentes ad opusculum A. Trombetta, De Pallio Archiepiscopali, Surrenti, 1923, ubi plura utilia invenient; praesertim tamen legendum est opus insigne Joseph Braun: *Die liturgische Gewandung*, Freiburg 1907, pg. 620. Vide Ruinart, Dissertatio de Pallio, PLM. vol. 151, pg. 8; Moroni, vol. 51, pg. 65.

(159) Pius IX omnes vestes pontificales et pallium assumpsit pro aperitione Concilii Vaticani, licet non esset celebraturus. CV. col. 702. Teste CR. "Papa... secundum antiquas caeremonias nunquam consuevit solemniter celebrare pro defunctis". Tome II, pg. 348. Benedictus XIII tamen in Concilio Romano (1725) bis missam pro defunctis episcopis cantavit sacro pallio ornatus. Moroni, vol. 15, pg. 176.

(160) Quae sequuntur sedes episcopales Europae pallio distinguuntur:

IN ITALIA: 1) Ostiensis, inde a pluribus saeculis. Summus Pontifex pallium tradens dicit cardinali: *Ut eo utaris in consecratione Summi Pontificis*, pro qua exclusive reservatur. Benedictus XIV, de Synodo, 1. XIII, c. XV, n. 8.

2) Arretina, inde a 26-X-1730.

3) Papiensis, inde a 15-II-1743; Benedictus XIV, Tom. 15, pg. 269, qui etiam privilegium crucis hastatae concessit; sed in libro suo de Synodo (1. XIII, c. XV, n. 17) dicit Papiam privilegium pallii ab antiquis temporibus habuisse.

4) Troiana, inde a 10-VI-1856.

5) Volaterrana, inde a 1-VIII-1856.

6) Anagnina, inde a 19-V-1894.

7) Savonensis et Naulensis, inde a 19-IV-1915; Benedictus XV, AAS. 1915, pg. 201.

IN GALLIA: 1) Augustodunensis, inde a sancto Gregorio Magno, anno 599; rescriptum confirmationis Pii IX, anno 1869.

2) Amiciensis, inde ab anno 1051.

3) Massiliensis, inde a 1-IV-1851.

4) Claromontana, inde a 28-I-1894. Acta Leonis XIII, v. XIV, pg. 19, diebus quos enumerat.

5) Virodunensis, inde a 19-XII-1906.

6) Constantiensis, inde a 17-VII-1907; Acta Pii X, vol. V, pg. 88.

7) Carnutensis, inde a 15-XI-1907. AAS. 1918, pg. 52.

8) Tarbiensis et Lourdensis, inde a 8-XII-1917, sed in Basilica B.M.V. tantum. AAS. 1918, pg. 53.

9) Suessoniensis, inde 1-III-1923, AAS. 1923, pg. 261.

De Sedibus Galliae vide APC. 1919, pg. 480.

IN GERMANIA: 1) Herbipolensis, inde a 5-X-1752; Benedictus XIV, opera, vol. 17, 2.ª, pg. 30; annexo privilegio crucis hastatae.

2) Varmiensis, inde a 21-IV-1742; Benedictus XIV, vol. 17, pg. 455; annexo privilegio crucis hastatae.

IN HUNGARIA: 1) Quinque ecclesiarum (Pecs), inde a 7-IX-1754; Benedictus XIV, vol. 17, 2.ª, pg. 202; annexo privilegio crucis hastatae.

2) Vaciensis, inde a 9-III-1906.

IN HISPANIA: Barcinonensis, inde a 11-IV-1904; Acta Pii X, vol. 1, pg. 232. ASS. vol. 37, pg. 82.

Quando litterae apostolicae non citantur, in authenticis editionibus actorum summorum pontificum editae non fuerunt. Extra Europam quousque nulla exstat sedes episcopalis pallio ornata. Quaedam ecclesiae privilegium pallii amiserunt; ita ecclesia Passaviensis in Germania tempore Pii VII, 1817; Ecclesia Melevitana propter separationem ab ecclesia Rhodiensi cujus erat pallium (AAS. 1928, pg. 213; et 258) sed anno 1944 ad dignitatem Ecclesiae metropolitanae evecta est; Ecclesia Recinetensis et Lauretana, AAS. 1934, pg. 578, sed hodiernus episcopus eo fruitur ad personam. Episcopi Metenses olim usu pallii gaudebant. APC. 1911, pg. 237. Administratoribus apostolicis pallium non conceditur, cum eorum jurisdictio a Summo Pontifice dependeat; tamen Leo XIII, Eugenio Lachat, administratori apostolico Pagi Ticinensis in Helvetia, pallium concessit tamquam privilegium personale. Acta, vol. IV, pg. 200. Sed neque episcopis titularibus conceditur, cum careant territorio, tamen exstant aliqua exempla talis concessionis. Moroni, vol. 51, pg. 61.

(161) Benedictus XIV pallium episcopis concessit *sine praejudicio juris metropolitae,* quae quidem clausula semper supponitur, etiamsi non declaretur explicite in concessione privilegii; praeterea idem Summus Pontifex semper usum pallii episcopis coram legatis Sedis Apostolicae vel cardinalibus prohibuit. Cft. litteras concessionis ad notam 160 et De Synodo, l. II, c. 6, et l. XIII, c. 15, n. 10.

(162) Cft. hac de re: Benedictus XIV, De Synodo, l. XIII, c. XV, n. 18; et vol. 17, 2.ª, pg. 468 et 470. De concessione pallii patriarchis schismaticis orientalibus nunquam fuit quaestio, sicut putabat Dom Baudot, Le Pallium, pg. 29. Patriarchae orientales catholici sex adnumerantur et sacro pallio latino ornantur, sunt enim alphabetico ordine: 1) Alexandriae Coptorum. 2) Antiochiae Maronitarum. 3) Antiochiae Melchitarum. 4) Antiochiae Syrorum. 5) Babyloniae Chaldaeorum. 6) Ciliciae Armenorum.

Ii patriarchae quoad usum pallii latini subsunt legibus liturgicis Romanae Ecclesiae, quantum juxta eorum ritus id fieri poterit; proinde SCFP declaravit functiones ante receptionem pallii episcopis latini ritus prohibitae, nec ab ipsis fieri posse. Collectanea I, pg. 496, n. 863, 1 Dec. 1837.

(163) Juxta Benedictum XIV tantum patriarchae, archiepiscopo vel episcopo, qui sit etiam regiae dignitatis, pallium personaliter postulare permittitur. *Inter conspicuos,* n. 17; vix hodie aderit episcopus regia dignitate ornatus; invaluit tamen usus permittendi ut patriarchae personaliter postulent. AAS 1933, pg. 138. Juxta acta Concistorii secreti diei 16 Martii 1933 nonnulli archiepiscopi postulationem personaliter emiserunt. AAS 1933 pg. 141. Estne error redactionis, an dicitur *personaliter* quia praesentes in concistorio aderant?

(164) Si electus ad sedem metropolitanam ante receptionem pallii nomen archiepiscopi assumere nequit, ut aperte a PR et a CE praecipitur, a fortiori nec stemmatibus suis insignia archiepiscopalia apponere; qui non potest maius, nec minus.

(165) Receptio pallii ad synodum dioecesanam convocandam a Metropolita, quidquid dicatur in contrarium, non requiritur. Vide Ferraris, Bibliotheca, verbum *Concilium,* n. 8, qui contrarium docebat.

(166) Pro ritu dedicationis ecclesiarum pallium non requiritur, sed requiritur pro missa solemni post dedicationem a consecratore celebranda; proinde ecclesiarum consecratio in PR intra ritus qui nequeunt poni a metropolita ante receptionem pallii adnumeratur, etiamsi ipse nimis fatigatus missam per alium celebrare faciat.

(167) Juxta PR archiepiscopus ante receptionem pallii pontificali ritu celebrare potest dummodo non utatur sandaliis; sed in jure liturgico sandalia et chirothecae sunt correlativa, quod patet ex eo quod in missa pro defunctis celebrans non utitur sandaliis nec chirothecis; propterea dicimus prohibitionem sandaliorum et caligarum secum ferre prohibitionem chirothecarum.

(168) Privilegium pallii extra propriam provinciam nonnunquam, licet rarissime, conceditur; sic Leo XIII jussit ut cardinalis Landrieux pallium adhiberet in Missa dedicationis Basilicae SSmi. Rosarii, Lapurdi. Acta, vol. 21, pg. 160. Archiepiscopus Westmonasteriensis pallio uti potest cum jure praecedentiae, crucis hastatae et throni per totas Angliae et Cambriae regiones. Pius Papa X, *Si qua est,* AAS 1911, pg. 553. Nomen primatis desideratur, sed privilegia ampliora sunt illis quibus gaudent primates. Hac de re consule Ernest Oldmeadow *Francis Cardinal Bourne,* vol. II, pg. 85. London 1944.

(169) Festum D.N. Jesu Christi Regis, cum sit novissimum, intra dies pallii non adnumeratur; cum tamen maiores festivitates Ecclesiae sint dies in quibus eo uti licet, et Supremus Antistes festum Christi Regis inter maiores adnumeravit, certe juxta mentem legislatoris ageret archiepiscopus qui illo die cum pallio celebraret; idem pari ratione dicendum de feste Sacratissimi Cordis Jesu, quae cum octava privilegiata nunc celebratur, salvo meliori judicio.

(170) Festa ss. evangelistarum Lucae et Marci et sancti Bernabae, qui honorifice tantum apostolus vocatur, a CE I, 16, 4, excluduntur, dicit enim *duodecim apostolorum festivitatibus.* Sed etiam dies in quibus celebrantur mysteria vitae apostolorum excluduntur; nam sunt festa secundaria, quae ritu duplici tantum celebrantur, et dies pallii sunt festa maiora, 1mae., vel 2ae. classis. Praeterea si pallium solum per-

mittitur in quinque maioribus festivitalibus Domini et Beatae, incongruum esset illud permittere in minoribus festivitatibus apostolorum. Interpretatio generalis rubricarum PR et CE ea semper fuit ut in maioribus festivitatibus apostolorum, id est, eorum natalitiis, pallium adhiberetur. Corrigenda proinde tabella operis Moretti *De sacris functionibus*, Taurini 1936, vol. I, pg. 46.

(171) Pallii usum extra missarum solemnia nunquam conceditur, cum ceteras vestes pontificales supponat; tamen, Leo XIII indulsit ut Cardinalis Vaughan sacro pallio uteretur pro impositione primarii lapidis Ecclesiae metropolitanae Westmonasteriensis (29-VI-1895) ; singulare certe privilegium et forsan unicum in historia pallii; nam sic ad Joannem episcopum Ravennatum scripsit Gregorius Papa I: "Illud tibi non putamus ignotum quod pene de nullo metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditum extra missarum tempus usum pallii sibi vindicasse". Corpus JC dist. 6, cap. VIII. De sancto Carolo Cardinali Borromeo legimus quod "post missam (concilii provincialis ad sessionem habendam), deposita casula vel planeta, induit pluviale; super quo etiam pallio archiepiscopali est indutus". AEM tom. II, col. 921. Id tamen doctrinae expositae se opponit nec adprobari potest.

(172) Dicimus metropolitam celebrantem ad faldistorium coram cardinali pallio uti non debere; prout de episcopis pallio ornatis declaravit Benedictus XIV (nota 161); nam si uti non potest throno et cruce, a fortiori nec pallio, quod est majus; praeterea crux et pallium in archiepiscopis sunt correlativa; pallium ad faldistorium quodammodo diminuitur; contrarium tamen docet MM vol. 3, pg. 116.

(173) Antiqui canonistae, et recentiores quidam, docent verba traditionis pallii *intra ecclesiam tuam* prohibere usum pallii sub dio; sed verba ista dioecesim seu provinciam potius significant, ut patet ex usu verbi *ecclesiae* paullo ante pro *dioecesi;* secus enim tantum intra ecclesiam cathedralem eo uti liceret. Nostris diebus frequenter fiunt conventus eucharistici vel actionis catholicae quae solent solemniter claudi cum missa pontificali sub dio, cum ecclesiae exiguae sint pro multitudine quae solet talibus interesse conventibus; si missa celebretur a metropolita in die pallii, eo uti poterit, quia missa per accidens, propter exiguitatem ecclesiarum, sub dio celebratur. Ad rem vide Durandum, Andrieu PR tome III, pg. 662.

(174) Ex eo quod metropolita ante receptionem pallii nequit pontificali ritu celebrare, concludunt quidam ipsum post acceptum pallium nunquam solemniter celebrare posse sine eo; sed falsum argumentum: si velit solemniter celebrare diebus quibus uti nequit pallio, id faciat sine eo; et si agatur de extraordinaria quadam festivitate, indultum pallii erit tempestive a Sancta Sede impetrandum, si archiepiscopus eo uti velit. Restrictio dierum quibus pallio uti potest significat in metropolita jurisdictionis limitationem, et usus pallii quoties solemniter celebrat certe usurpatio est apostolici privilegii. Vide Durandum, Andrieu PR tome III, pg. 661.

(175) Antiquitus episcopi pallio ornati praecedentiam super ceteros, eodem privilegio non fruentibus, sibi arrogabant, et etiam exemptionem a metropolita, sed a jure nunquam talia privilegia fuerunt concessa. Benedictus XIV, De Synodo, l. XIII, c. XV, n. 9. Recentissime Pius Papa XI privilegium pallii concessit episcopo pro tempore ecclesiae Suessoniensis, ea lege, ut antiquum privilegium praecedentiae super ceteros suffraganeos abrogatum censeretur.

(176) Benedictus XIV, praeclarum Ecclesiae luminare, considerabat crucem et pallium tamquam res correlativas, propterea quatuor episcopis quibus pallium concessit, etiam privilegium crucis hastatae elargitus est; tamen pontifices qui post eum rexerunt Ecclesiam, consuevere concedere usum pallii sine cruce, et ipse Benedictus XIV episcopo Eystettensi pro tempore privilegium crucis sine pallio concessit. Opera, vol. 15, pg. 535. Pius Papa XII, g. r., domino Joseph Schrembs, episcopo Clevelandensi, sacrum pallium concessit cum titulo archiepiscopi. Primus Americae antistes tam singulari privilegio exornatus. AAS 1939, pg. 696.

(177) Juxta CR (tomus I, pg. 342), antistes qui recipere debet pallium a cardinali primo diacono ponit casulam super rochetum; magis consentanea est praescriptio PR de omnibus vestibus pontificalibus assumendis, quasi esset cleebraturus, pallium enim vestes pontificales supponit; recentissime cardinalis Gerlier vestibus pontificalibus indutus ad normam PR pallium e manibus Summi Pontificis recepit, (Illust. Vat. 1938, pg. 4). Solent tamen praesules casulam solam accipere.

(178) Juxta CE (l. I, c. XVI, n. 1) traditio pallii committitur uni vel duobus episcopis; sed juxta PR unus tantum episcopus commissarius renuntiari debet; praeterea litterae apostolicae pallium concomitantes jam a multo tempore loquuntur de uno tantum episcopo.

(179) Licetne ordinario in die receptionis pallii permittere missam *Sacerdotes tui* tamquam pro re gravi et publica simul causa, juxta rubricam MR Add. et variat. II, 3. Certe id a rubrica non supponitur, et missa dici nequit tamquam votiva privata; tamen in casu non agitur de missa votiva privata sed de missa pro re gravi et publica diocesis; praeterea traditio pallii est consummatio electionis pro qua missa exstat. Proinde dicimus missam *Sacerdotes tui* saltem probabilius cani posse in ipso die traditionis pallii tamquam votiva pro re gravi et publica simul causa, cum unica oratione, *Gloria* et *Credo*, dummodo fiat in cantu. Rubrica CE de missa diei dicenda antiquior est novae rubricae MR, quae facultatem generalem ordinario tribuit permittendi missas votivas pro re gravi.

(180) Cujusnam coloris esse debent sacrae vestes electi et commissarii? Id non declaratur, nec in PR, nec in CE, nec a SRC, nec a CR. Martinucci, tradens usum romanum, dicit colorem esse album; sed ritus traditionis initium sumit post communionem quando pallium super altare ponitur, proinde intra missam; et regula est generalis pro functionibus quae fiunt immediate ante vel post missam ut color missae sumatur. Praeterea juxta CE *quam maxime decet* ut missa celebretur ab episcopo commissario; porro juxta PR agitur de missarum solemniis, id est, cum cantu; proinde si commissario assistunt sacri ministri parati vestibus coloris diei, cur mutare colorem vestium commissarii, praesertim si ipse sit indutus ceteris vestibus pontificalibus coloris diei? Pro electo sequuti sumus usum romanum et regulam statutam pro consecratione episcopi. Vide notam 127.

(181) Juxta MM et LVH electus se vestit in pontificalibus ad thronum vel ad faldistorium expleto sacro tantum; sed contrarium aperte et optime docet CE; dicit enim: finita missa... *electo, alio loco jam parato.* Vestitio electi post missam, praesertim si fiat ad thronum, in moram protrahit ritum et vestitioni solemnitatem

tribuit quae in casu minime convenit, praesertim cum electus debeat etiam caligas induere; exposito modo solemnis evenit accessus electi ad commissarium.

(182) Praescriptio CE de gemina parte pallii supra humerum sinistrum reponenda, reliquia est antiquae disciplinae; nam cum pallium ex unica fascia conficiebatur, ita induebatur ut, incipiens a parte anteriori, et circumiens humeros, iterum super humerum sinistrum transportabatur, altera extremitate retro pendente. In hodierno pallio pars duplex ea est in qua extremitates fasciae superimponuntur et junguntur. Spinulae tres ponebantur ubi erant necessariae ad pallium firmandum, videlicet, in parte anteriori ubi extremitas una fasciae firmabatur, deinde super humerum sinistrum, ubi jungebatur, ultimo ad firmandam extremitatem quae retro pendebat; super humerum dexterum spinula non erat necessaria. Hodie spinulae apponuntur ratione ornatus et amore traditionis, cum non sint amplius necessariae, sed illis in locis ubi antiquitus erant necessariae.

(183) Consulto omisimus osculum altaris a metropolita ante benedictionem solemnem. Cum juxta ritum celebrandi missam MR celebrans, quicumque sit ille, osculari debeat altare post orationem *Placeat*, proinde ante benedictionem, concludit MM, quem sequitur LVH, episcopum debere osculari altare, quoties solemnis benedictio praecipitur. Attamen osculum altaris in missa est potius ad complendam orationem *Placeat*, quam ad initiandam benedictionem, nam altare osculatur a celebrante etiam in missis defunctorum, quando benedictio omittitur. PR ritum benedictionis solemnis post inthronizationem exponens expresse omittit osculum altaris: *Consecratus... accedens... ante medium altaris... dicit.* Eodem modo loquitur PR cum agitur de benedictione danda post receptionem pallii, post inthronizationem abbatis, et passim alibi; ita etiam CE I, 25, n. 5. Sed nec sacerdos osculatur altare cum extra missam daturus est benedictionem, D 2704, VI. Praeterea osculum evadit difficilis, praesertim si mitra sit nimis protracta prout moris est.

(184) Ritus PR pro traditione pallii ille est qui Romae servatur a cardinali protodiacono, paucis mutatis; sed Romae traditio fit modo privato, et in ecclesia electi decet ut quam solemnissime fiat, ut clero et populo appareat tum auctoritas tum significatio rei tradendae; optandum proinde ut in definitiva editione PR saltem quaedam e ritu Cantuariae et alibi olim servato iterum introducantur. Quousque id fiat, non videtur prohibitum quaedam ritui PR addere, praesertim partes chori. In PR oratio super electum a commissario dicenda maxime desideratur; Cantuariae haec habebatur oratio seu benedictio:

Deus qui de excelso caelorum habitaculo corda fidelium Spiritu Sancto corroborando illustras: archipraesulem nostrum N. quem sanctitatis Pallio decorasti, virtutum quoque caelestium robore confirma, ut nos, ejus exemplo et documento, iter vitae caelestis ingredi, et cum eo regni tui consortes fieri mereamur. Per Christum Dominum nostrum.

Imposito pallio, chorus cantabat antiphonam *Firmetur manus tua*, quae habetur in fine inthronizationis episcopi. Post inthronizationem clerus sequens responsorium modulabatur:

Benedictus Deus, qui te pastorem elegit, qui candida stola apostolatus tui te circumduxit.

Benedictus qui in throno archiepiscopali te regnare constituit.

Fulgeas hic in gloria per longa hujus vitae tempora.

Donec a Domino tuo vocatus, possideas stolam immortalitatis in solio regni caelestis. Amen. Alleluia.

(185) Ritus venerationis pallii statim post impositionem antiquissimus est, et in multis dioecesibus erat olim in usu. Speciali mentione dignus est ritus in primatiali sancti Augustini, Cantuariae, olim servatus. Inthronizatio primatis fiebat cum traditione pallii. Archiepiscopus, nudis pedibus et concomitante clero, obviam ibat commissario, pallio ferente (nisi Romae illud receperit), ad ostium civitatis; fiebat deinde solemnis processio cum stationibus; sequebatur veneratio pallii, deinde impositio, quae omnia cum canticis et acceptissimis orationibus persolvebantur; ultimo missa solemnis a metropolita pallio induto celebrabatur. Ritum habes apud Wilson, The Pontifical of Magdalen College, H. Bradshaw So., 1910, pg. 249; etiam in Pontificali Cantuariensi, Brit. Museum, MSS. 6157. Alias antiquas orationes in conlatione pallii dicendas invenies in sacramentario Ecclesiae Exoniensis, Surtees So., vol. 61, pg. 352. In Metropolitana Ecclesia Westmonasteriensi ritus venerationis pallii a Cardinali Bourne iterum introductus est, licet non cum toto antiquo caeremoniali Cantuariae ante pseudoreformationem observato. Vide Oldmeadow, Francis Cardinal Bourne, London 1940, vol. I, pg. 216; Enthronement of the Most. Rev. Father in God Arthur, etc., at the Cathedral, 1935.

(186) Non supponimus casum de missa solemni a cardinali vel a legato apostolico celebrata, tum quia ipsi a missa celebranda eximuntur propter suam dignitatem, tum quia non solent pro traditione pallii solemniter sacrum facere.

(187) Nec supponimus casum, qui forte accidere potest, de electo et de commissario cardinalitia dignitate auctis, cum in praxi plurimas difficultates praeseferat, et vix aderit; praeterea expedit omnino, ad mentem CE pro recto curriculo rituum, ut in commissarium eligatur episcopus extraneus, qui non habeat praecedentiam super electum.

(188) Frequenter nostris diebus solent invitari ab electo ad munus commissarii obeundum delegatus seu nuntius apostolicus. Quaeritur quomodo agendum in casu?

Juxta CJC legatus praecedentia super metropolitam gaudet, proinde jus habet ad thronum a latere dextero; exceptio CJC quoad thronum in cathedrali se refert potius ad permissum ordinari quam ad thronum ipsum. CJC 269 § 2, 3. Praeterea praecipit CE (II, 8, 56) ut loci ordinarius, et metropolita est loci ordinarius, non solum coram cardinali, sed etiam coram legato, id est, nuntio vel internuntio, ab usu throno abstineat; celebret proinde ad faldistorium; nam qui habet praecedentiam jus habet ad thronum, secus esset contradictio. Electus thronum suum ei dare debet et non alium. Praeterea cum electus *alio loco* se vestit, et impositio fit ad altare, thronus pro ipso non requiritur. Minime intendimus tamen hic quaestionem de throno legati seu nuntii in ecclesiis cathedralibus dirimere; usus diversissimos nos ipsi vidimus.

(189) Licetne procedere ad impositionem pallii statim post consecrationem metropolitae in ecclesia sua? Id certo a jure non prohibetur si fiat *post* inthronizationem seu post ultimum evangelium missae; postquam consecrator, depositis sacris vestibus usque ad tunicam, et accepto pluviali, ad altare iterum ascendit; sed modus traditus

nobis visus est ritibus plus consentaneus. Die 5 Maii 1941 Summus Pontifex Pius XII Carolum Confalonieri, e familia sua, in Archiepiscopum Aquilae consecravit, et, missa expedita, statim ei sacrum pallium imposuit.

Quaeri potest utrum quando jusjurandum a Sancta Sede praescriptum pro consecratione et pro pallio est idem, sufficiat ut semel tantum dicatur? Affirmative respondendum censemus, dummodo agatur de eodem jurejurando et de receptione pallii statim post consecrationem, ne fiat bis de eodem.

SECTIO V

DE ABBATUM BENEDICTIONE

SECTIO V

DE ABBATUM BENEDICTIONE

TITULUS I

PROLEGOMENA

CAPUT I

DE MINISTRO BENEDICTIONIS

321 1 — Minister ordinarius benedictionis abbatialis est episcopus consecratus vel S.R.E. cardinalis (CJC 239, § 1, n. 20); minister extraordinarius est abbas benedictus indulto apostolico munitus, sine quo nequit valide benedictionem impertiri (190). Abbas vel praelatus nullius, vicarius vel praefectus apostolicus nequeunt, jure communi, benedicere abbates (191).

2 — Minister ordinarius quoad liceitatem pro abbatibus de regimine est episcopus ordinarius territorii in quo sita abbatia. CJC 625 (192). Si, ter rogatus, loci ordinarius benedicere abbatem abnuerit, poterit abbas alium quemlibet episcopum communionem cum Sancta Sede habentem invitare, servato modo in agendis. Benedictus XIII, Const. *Commissi nobis.*

3 — Abbates nullius benedictionem petere possunt ab episcopo quem maluerint, CJC 322; convenientius tamen benedicentur a suo metropolita si abbatia sit suffraganea ecclesiae metropolitanae.

4 — In Urbe, juxta receptum usum, abbates a S.R.E. cardinalibus benedicuntur.

CAPUT II

DE SUBJECTO BENEDICTIONIS

322 1 — SUBJECTUM capax recipiendi benedictionem abbatialem est presbyter solemniter professus canonicorum vel monasticorum ordinum, ad dignitatem abbatialem canonice electus vel renunciatus.

2 — Presbyteratus requiritur ipso ritu PR, eo quod electus debet cum vestibus sacerdotalibus benedici; solemnis professio etiam requiritur a PR, ita ut, si electus in abbatem non sit professus, debet prius vota solemnia emittere. *Rubrica ante professionem.* Martène, tom. II, pg. 145.

3 — Benedictio electum in statu et dignitate perpetua abbatis constituit et est veluti desponsatio ipsum inter et ecclesiam suam; proinde nequit dari ad tempus neque iterari (193), etiamsi abbas ad aliud monasterium transferatur; nec dignitate sua privatur abbas qui regimen abbatiae honesta de causa reliquerit (194).

323 IDONEITAS. Abbates qui eliguntur in superiores maiores sint e legitimo matrimonio nati, annos quadraginta expleverint oportet et saltem decem a prima professione; pro abbatibus de regimine sufficit aetas triginta annorum. Insuper standum constitutionibus uniuscujusque ordinis. CJC 504.

324 JUSJURANDUM de fidelitate Summo Pontifici servanda et de officio suo canonice adimplendo emittendum erit ab abbate electo in manibus episcopi qui erit eum auctoritate apostolica benedicturus, servata formula PR S. C. Ep. et Reg., Collectanea Bizzarri, pg. 289. Vide notam 124. Praeterea abbas benedicendus emittere debet professionem Fidei (ut in initio CJC) et alteram contra modernistarum doctrinas Pii Papae X. CJC, 1406, § 1, n. 9. SO 22 Martii 1918, AAS 1918, pg. 136.

325 OBLIGATIO. Codex non solum strictam obligationem recipiendi benedictionem abbatibus imposuit (625), sed etiam prohibuit quominus ante ejus receptionem: 1) conferant ordines (964, 1.°); 2) pontificalia exerceant (625, 325); 3) ecclesias vel altaria immobilia consecrent, si sint nullius (323, § 2). Insuper, abbas vel praelatus nullius qui, contra praescriptum canonis 323, § 2, benedictionem non recepit, est ipso facto a jurisdictione suspensus. CJC 2402 (195).

326 BENEDICI DEBENT: 1 — Abbates vel praelati nullius dioecesis, si ecclesia abbatialis vel praelatitia sit canonicorum regularium seu ordinum quorum abbates benedici debent, vel si intercedat mandatum apostolicum de benedictione recipienda. CJC 322, § 2 (196).

2 — Abbates de regimine ad tramitem juris electi et a Sancta Sede confirmati, canonicorum regularium (197) vel monasticorum ordinum (198).

3 — Abbates coadjutores regulares, sive nullius sive de regimine (199), cum futura successione in ecclesia abbatiali pro qua eliguntur.

4 — Abbates primates vel archiabbates seu abbates generales canonicorum regularium vel monasticorum ordinum, si quandoque assumantur e religiosis qui non sunt abbates benedicti.

5 — Abbates regulares titulares, qui ad talem dignitatem a Sancta Sede ad vitam nominantur (200).

327 BENEDICI NEQUEUNT: 1 — Abbates de regimine pro paucis annis electi (201).

2 — Abbates regulares ad honorem, quibus fit tantum traditio crucis pectoralis et annuli, *investiturae* ad instar (202).

3 — Abbates religionum votorum simplicium, sine speciali indulto.

4 — Abbates saeculares. D 4148, III (203).

328 TEMPUS UTILE. 1 — Abbates nullius benedici debent intra tres menses ab acceptis apostolicis litteris quibus nominantur, instituuntur, confirmantur. CJC 322, § 2.

2 — Abbates regulares de regimine debent intra tres menses ab electione benedictionem accipere, sed post confirmationem electionis a Sancta Sede tantum. CJC 625.

3 — Tempus intra quod abbates generales, vel coadjutores, seu titulares, benedictionem accipere debent a jure non determinatur.

329 ABBAS EPISCOPUS. Nonnulli abbates nullius ex concessione apostolica jus habent ad consecrationem episcopalem (204). Si electus non sit abbas jam benedictus, erit tantum consecrandus, benedictione omissa, quia majus includit minus.

CAPUT III

DE REQUISITIS ANTE BENEDICTIONEM

330 Antequam ad benedictionem abbatis procedatur constare debet; DE CONFIRMATIONE ELECTIONIS a Sancta Sede, et, si agatur de abbate nullius, de nominatione vel institutione ab eadem. Confirmatio vel fit directe a Sancta Sede, vel ab abbate praeside congregationis, speciali facultate a Sancta Sede ad hoc deputato, quae tamen datur tantum pro abbatibus de regimine (205).

331 DE MANDATO APOSTOLICO ad eam exsequendam, quod aperte exigitur a PR et erit quoties a Sancta Sede impetrandum. Mandatum dirigitur ad episcopum dioecesis in qua degit abbatia, et si agatur de abbatia nullius, vel de abbatia intra fines territorii nullius dioecesis, dirigitur ad abbatem benedicendum, ut benedictionem a quocumque maluerit episcopo communionem cum Apostolica Sede habente recipiat. Praeceptum juris de benedictione recipienda non excusat a mandato apostolico habendo.

Ad benedicendos abbates Benedictinae Confoederationis loci ordinarii totius orbis necessario mandato apostolico muniuntur generali concessione Benedicti XV. AAS 1921, pg. 416. Licebit etiam omnibus abbatibus confoederationis sancti Benedicti, etiam intra fines abbatiae nullius exsistentibus, benedictionem accipere a quocumque maluerint episcopo communionem cum Sancta Sede habente:

1 — Cum sedes episcopalis vacat.

2 — Cum in scriptis constat episcopum dioecesanum legitime impeditum esse quominus eam ipse conferat.

3 — Cum episcopus loci ordinarius consensum suum in scriptis dederit. AAS 1921, pg. 416.

CAPUT IV

DE TEMPORE ET LOCO BENEDICTIONIS, DE JEJUNIO ET RITU SERVANDO

332 TEMPUS. Abbates benedici debent diebus dominicis seu festivis. PR. Dies festivus est ille in quo abstinendum est ab operibus servilibus, nam non agitur de festis quibuscumque, sed de diebus proprie festivis, licet suppressa feriatione.

333 LOCUS. Abbates benedici solent in suis ecclesiis, propter intimum nexum ipsos inter et ecclesias suas; praeterea abbates debent in fine solemniter inthronizari, qui quidem ritus supponit ecclesiam propriam; justa tamen de causa benedictio alibi fieri potest.

334 JEJUNIUM. Laudabiliter tum pontifex tum electus pridie benedictionem jejunant. PR.

335 RITUS. Regulares, etiam privilegio liturgiae propriae gaudentes, in benedictione suorum abbatum adamussim sequi debent ritum PR. Benedictus XIII, litteris *Commissi nobis*. Cum omnes abbates religiosi hodie exstantes sint juris pontificii et infulati, hic exponitur tantum ritus pro benedictione abbatis auctoritate apostolica exsequenda (206), et usum pontificalium habentis (207).

TITULUS II

DE SOLEMNI BENEDICTIONE ABBATIS IN ECCLESIA SUA A LOCI ORDINARIO

CAPUT I

CLERUS BENEDICTIONIS ET REGULAE SERVANDAE

336 CLERUS idem erit ac in consecratione episcopi, n. *218*, sed, loco episcoporum, aderunt abbates assistentes duo, qui habebunt capellanum unum tantum de mitra.

337 EPISCOPUS.

Mitra

1 — Episcopus utitur mitra simplici e tela aurea toto tempore benedictionis, deponenda pro benedictione proprie dicta, videlicet inde a *Pater noster* usque ad traditionem regulae exclusive et pro benedictione insignium et vestium electi, nisi fuerunt antea benedicta; item deponitur pro inthronizatione.

Baculus

2 — Serventur regulae datae pro consecratione episcopi, n. *219*, 2.

Cantus

3 — Episcopus cantat in tono feriali praefationem, et in tono litaniarum invocationes tres ad litanias; in tono simplici seu recto orationes quinque benedictionis, duas videlicet ante praefationem et tres post eam; eodem tono cantat orationem post traditionem baculi et annuli et orationem post inthronizationem; recto tono cantat versiculos ante benedictionem inde a *Pater noster*, et versiculos post inthronizationem, sed punctum finale fit per semiditonum.

Recitationes 4 — Cetera omnia recitantur ab episcopo clara voce sine cantu, videlicet : examen, benedictiones vestium et insignium, formulae traditionum vel declarationum.

Positio manuum 5 — Vide regulas in consecratione episcopi servandas, n. *219*, 6.

Quomodo se vertit 6 — Vide regulas in ordinationibus servandas, n. *81*, 7.

Abstensiones 7 — Episcopus non recitat partes scholae, videlicet psalmos paenitentiales cum litaniis et hymnum *Te Deum*, quem tamen incipit.

Responsiones 8 — *Amen* post traditionem vestium seu insignium dicitur ab electo ; ceterae responsiones dicuntur a sacris ministris, vel a schola cantantur.

338 ABBATES ASSISTENTES.

Quinam 1 — Aderunt duo abbates benedicti qui funguntur munere assistentium abbati electo, nec partem habent in benedictione, quae fit ab episcopo celebrante. Si abbates non adsint, loco eorum invitentur duo presbyteri in ecclesiastica dignitate constituti, quod si fieri possit erunt protonotarii apostolici usu mitrae gaudentes.

Eorum vestes 2 — Ut in consecratione episcopi, n. *220*, 1, 2.

Eorum locus 3 — Ut in consecratione episcopi, n. *220*, 6.

339 ELECTUS utetur mozeta tantum, sed si celebrans sit S.R.E. cardinalis adhibebit etiam manteletum. Quoad crucem, annulum, et pileolum, vide regulas traditas pro episcopo electo, n. *222*. Abbas electus missam legit, sed non concelebrat cum episcopo, verba consecratoria proinde omittit. Vide n. *351*, 3.

340 CETERI consulant regulas datas pro consecratione episcopi, nn. *224* ad *228*.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

341 COLOR : Pro altari et clero : diei.
Pro electo : albus. Vide notam 127.

ART. I — IN SACRARIO

Omnia ut in consecratione episcopi, n. *229*.
Pluviale et superpelliceum pro ecclesiae rectore.

342 ART. II — AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI

Omnia ut in consecratione episcopi, n. *230*.

343 ART. III — IN PRESBYTERIO

Omnia ut in consecratione episcopi n. *231*, sed omittuntur : suppedaneum pro concelebratione, instrumenta unctionum, patena altera cum cochleari pro communione.

Cum rebus electo tradendis aderit regula ordinis in forma maiore (208-209).

Genuflexorium ligneum ad usum electi post offertorium.

› Si canonicorum capitulum non adest, omittuntur vestes eorum, nisi adsint aliqui presbyteri parati capituli ad instar.

A latere epistolae aderit abacus missae tantum, super quo ponentur etiam res benedictionis et communionis : mappula ; calix cum vino et purificatorio pro ablutione si maluerit electus.

344 ART. IV — AD CAPELLAM ELECTI

Omnia ut in consecratione episcopi, n. *232*, sed observa :

Mitra assistentium erunt e tela linea.

Super abacum aderit ritus benedictionis in folio pro electo et in 8.° pro duobus assistentibus. Res post unctiones necessariae, videlicet, gossipium, purificatorium, medulla panis et citreum omittentur.

Aderit schida cum formula postulationis, adjectis nominibus monasterii, ordinis et dioecesis, in usum 1mi. assistentis; intra missalia pontificis et electi ponentur schidae cum orationibus ad missam dicendis ab uno et altero.

Vide animadvertenda nn. *233* et *234*, 1 ad 5.

❯ Si benedictio fiat in ecclesia Ordinis Sancti Benedicti, prior, cum recipiendus erit episcopus, necnon presbyter et diaconi assistentes monachi, utentur amictu et alba cum cingulo, loco superpellicei, et pluviali vel dalmatica.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

345 ❯ Cum ritus in benedictione abbatis servandus in multis concordet cum ritu consecrationis episcopi, ne simus prolixi, lectores saepe remittimus ad ritum istum, sed ubi legitur *consecrator* lege *episcopus*, ubi dicitur *consecratus*, lege *abbas*, et ubi habetur *episcopi assistentes*, lege *abbates assistentes.*

346 ART. I — PRAEPARATIO AD BENEDICTIONEM

A — EPISCOPUS SE VESTIT IN SECRETARIO. 1 — Omnia fiunt ut in consecratione episcopi, n. *235*, 1 a 5, sed electus cum suis assistentibus exspectabit adventum ordinarii ad januam ecclesiae, vel obviam ei ibit cum clero ad ejus hospitium.

2 — Prior monasterii, paratus cum pluviali super superpelliceum, sed sine stola, aspersorium episcopo praesentabit ad ingressum in ecclesia; pontifex, postquam se ipsum asperserit, illud dabit tangendum electo et assistentibus, deinde asperget clerum sueto more.

3 — Post orationem ad altare ssmi. Sacramenti, electus cum suis assistentibus, facta reverentia episcopo, ad altare suum adeat cum suis capellanis, et pontifex cum clero pergat ad secretarium (210).

B — EPISCOPUS SE VESTIT IN PRESBYTERIO. Omnia fiunt ut in consecratione episcopi, n. *236*, 1 ad 8.

347 ART. II — POSTULATIO ET EXAMEN

Iter electi ad episcopum 1 — Omnia fiunt ut in consecratione episcopi, n. 238, 1, sed post abbates ibunt tantum duo capellani assistentium et ultimo loco duo capellani electi. Secretarius electi secum habebit litteras apostolicas nominationis et mandatum ad benedictionem nomine Sanctae Sedis impertiendam.

Postulatio 2 — Assistens 1mus. mitram suo capellano tradit, et, accepta tabella a 2.° caeremoniario, legit postulationem *Adest, excellentissime ac reverendissime Pater,* etc.

Mandatum apostolicum. 3 — Proceditur ut in consecratione episcopi, n. *238,* 3.

❯ Si electus sit abbas Benedictinae Confoederationis, benedictio fit vigore mandati generalis Benedicti XV, quod erit legendum, prout ibi praecipitur. AAS 1921, pg. 416. Rituale Monasticum, Beuronae 1931, pg. 47.

Fidelitatis jusjurandum 4 — Fidelitatis jusjurandum, si jam non fuit emissum, emittendum erit ordine tradito ante consecrationem episcopi, n. *238,* 4.

Examen. 5 — Ministri de libro et scotula se sistunt versus sinistram pontificis; caeremoniarius 2us. a dextris electi oram pluvialis sustinet; capellanus 1us. electi se sistit versus sinistram ejus cum pontificali; capellanus 2us electi et capellani assistentium ad abacum consistunt.

Episcopus legit clara voce introductionem ad examen *Antiqua Sanctorum Patrum... ad regimen animarum* etc.; deinde interrogat quinquies electum circa mores et religionem suam, et obedientiam erga Summum Pontificem, prout in PR legitur.

Electus ad quamlibet interrogationem, detecto capite et aliquantulum assurgens, respondet *Volo.* Ad nomen Summi Pontificis in ultima interrogatione caput ab omnibus inclinabitur, et qui bireto utuntur caput aliquantulum detegunt.

Actione interrogatoria expleta, pontifex electo benedicit dicens *Haec omnia* etc., et circumstantes respondent *Amen* (211). Ministri de

libro et scotula recedunt cum capellano de libro electi, et scotulam ac pontificalia ad abacum reponunt.

Osculum annuli pontificis 6 — Proceditur ut in consecratione episcopi, n. *238*, 6.

348 ART. III — MISSA USQUE AD BENEDICTIONEM ELECTI

Omnia fiunt ut in consecratione episcopi, n. *239*, 1 ad finem.

Abbates assistentes recitabunt psalmum *Judica* et *Confiteor* stantes suis locis cum capellanis suis de mitra, flexis genibus a sinistris, respondentibus.

Episcopus et electus recitabunt, sub unica conclusione cum oratione missae diei, collectam *Concede, quaesumus* pro abbate, prout jacet in PR pro uno et altero.

349 ART. IV — BENEDICTIO ELECTI

Iter episcopi ad altare 1 — Proceditur ut in consecratione episcopi, n. *240*, 1.

Pontifex, si indutus sit mitra pretiosa, eam deponit et induit auriphrygiatam.

Postquam episcopus sedit in faldistorio, acolythi locabunt scabella duo pro assistentibus ubi erant prius, cum pulvinari ante unumquodque scabellum, et pulvinaria duo super gradus altaris a latere evangelii pro electo.

Iter electi ad episcopum 2 — Proceditur ut in consecratione episcopi n. *240*, 2; sed capellani duo assistentium secum portabunt pontificalia formae minoris et, facta ab omnibus reverentia seu genuflexione cruci simul et episcopo, stabunt suis locis, assistentes infulati, electus cum bireto in manu.

Psalmi paenitentiales 3 — Electus tradit biretum caeremoniario suo et se sistit versus sinistram pontificis, id est, a latere evangelii, ubi se prosternit super gradus altaris, ita ut genua sint super pulvinar unum, caput et brachia super pulvinar alterum.

Episcopus assurgit, se vertit ad altare super sinistram suam, et genua flectit coram faldistorio, dum sacri ministri, mutatis locis, genuflectunt, diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris ejus. Vide notam 132.

Assistentes genua flectunt super pulvinaria ante scabella sua, et capellani eorum tradunt ipsis pontificalia; deinde capellani assistentium et electi, facta genuflexione, ad abacum recedunt.

Caeremoniarius 1mus. accepto pontificali a ministro de libro (qui ad abacum recedit cum ministro de candela), illud apertum super faldistorium locat.

Chorus et omnes genuflectunt una cum episcopo.

Cantores duo se sistunt in medio choro et flectunt genua.

Episcopus intonat antiphonam *Ne reminiscaris*, quae complebitur a cantoribus duobus, qui statim incipient in cantu psalmum *Domine, ne in furore tuo* cum ceteris paenitentialibus, alternatim cum choro, et cum doxologia *Gloria Patri* in fine uniuscujusque psalmi, ad quam caput non erit inclinandum cum omnes sint genuflexi. Post ultimum psalmum cantores antiphonam *Ne reminiscaris* repetunt (212).

Litaniae 4 — Repetita antiphona, cantores duo, ibidem in medio choro, cantant litanias prout in PR habentur, omnibus respondentibus, usque ad *Ut omnibus fidelibus defunctis* inclusive.

Benedictio electi ad litanias 5 — Proceditur ut in consecratione episcopi n. *240*, 6, sed omittitur cantus tertiae invocationis cum verbo *consecrare*, et assistentes electo non benedicunt.

Complementum litaniarum 6 — Proceditur ordine tradito, n. *240*, 7, sed finitis litaniis electus non assurgit et acolythi removent pulvinaria assistentium.

Prima benedictio electi 7 — Pontifex obvertit tergum altari et sacri ministri loca sua mutant. Minister de candela se sistit a dextris ministri de libro, cui caeremoniarius 2us. tradit pontificale, quod e faldistorio sumit, et, facta cum eo genuflexione, ambo ad suppedaneum ascendunt et se sistunt ante pontificem.

Episcopus sedet ut a diacono exuatur mitra, iterum assurgit et cantat *Pater noster*, quod recitatur secrete; postea cantat versus qui sequuntur, quibus respondent cantores; deinde pontifex cantat collectas duas pro benedicendo abbate *Concede, quaesumus* et *Cunctorum bonorum* usque ad *qui vivis et regnas Deus.*

Cum episcopus exuitur mitra, assistentes deponunt suas et capellanis tradunt, qui recedunt.

Praefatio

8 — Pontifex sedet et pausatur aliquantulum; ministri de libro et scotula se sistunt versus sinistram ejus. Electus, adjuvante caeremoniario 2.°, assurgit, transit ad medium altaris, ad suppedaneum ascendit, et in ora genua flectit; capellanus 1mus. electi amovet pulvinaria in prostratione adhibita.

Assurgit episcopus et cantat praefationem, manibus ante pectus extensis. Ad *tuae benedictionis* electo dextera benedicit, sinistra pectori apposita.

Cum dicit *Ut qui per nostrae*, imponit ambas manus extensas, junctis digitis, super caput electi eum tangens, et sic prosequitur (213). Cum dicit *suscipiat te Domine*, manus e capite electi aufert et iterum ante pectus extendit, et sic prosequitur.

Cum dicit *benedictione* iterum electo dextera benedicit. Cum dicit *Praestante Domino nostro*, manus jungit ante pectus et submissa voce legit conclusionem, et in fine circumstantes respondent *Amen.*

Collectas finales

9 — Pontifex, electo eodem loco flexis genibus permanente, cantat tres collectas, videlicet *Deus cui omnis potestas; Omnium, Domine, fons bonorum* et *Exaudi, Domine, preces nostras*, quibus completur benedictio electi (214).

Dum episcopus cantat collectas, caeremoniarius 2us. tradit acolytho 2.° regulam ordinis, capellano 1.° electi baculum ejus, et capellano 2.° electi annulum in lance.

Tres insimul, a caeremoniario 2.° concomitati, facta in medio presbyterii genuflexione, transeunt ad latus evangelii versus dexteram diaconi.

❯ Si baculus et annulus benedicendi sunt, cum acolythis ibit thuriferarius cum vasculo aquae lustralis et aspersorio.

Traditio regulae

10 — Episcopus, orationibus cantatis, sedet et a diacono induitur mitra; assistentes, accepta mitra a suis capellanis, eam sibi ipsi imponunt et recedunt capellani. Diaconus recipit regulam ab acolytho et super gremium pontificis ponit. Electus manus super regulam apponit, quasi eam accipiens dum episcopus dicit *Accipe regulam* etc. Electus respondet *Amen.*

Diaconus sumit regulam e gremio episcopi, et eam tradit acolytho ad abacum reportandam.

Traditio baculi

11 — Episcopus, accepto baculo a diacono sine osculis, illum tradit electo, qui intra duas manus, junctis et extensis digitis, recipit, dicente episcopo *Accipe baculum* etc., et electus nihil respondet. Episcopus statim baculum reddit diacono, diaconus capellano, qui eum ad abacum reportat, ad inthronizationem tantum adhibendum.

Traditio annuli

12 — Acolythus praesentat episcopo lancem cum annulo, qui eum imponit digito annulari dexterae manus electi dicens *Accipe annulum*, et electus respondet *Amen* (215).

❯ Si baculus et annulus benedicti non sunt (prout convenit), episcopus benedicit eos ordine tradito in consecratione episcopi, postquam regulam tradidit, n. *240*, 16, dempta quae ibidem de gremiali habentur.

Diaconus exuit episcopum mitra, assistentes deponunt suas quas tamen manu retinent; episcopus assurgit et canit collectam *Te omnipotens et piissime Domine*, cum qua clauditur ritus traditionis instrumentorum seu insignium officii regiminis animarum.

Ministri de libro et scotula, facta genuflexione, recedunt, et episcopus sedet et accipit mitram, dum assistentes induunt sibi suas.

Osculum pacis

13 — Assistentes se sistunt in planum prope gradus altaris, sed non mutant loca. Episcopus sedens recipit electum, ante se genuflexum, ad osculum pacis dicens *Pax tibi*, et electus respondet *et cum spiritu tuo* (216); assurgit, se vertit super dexteram suam, in planum descendit, vertit se ad assistentem seniorem, et similiter ab eo accipit pacem, dicente *Pax tibi;* et respondet electus *et cum spiritu tuo.* Sine reverentia ad episcopum vel ad crucem, electus se vertit ad juniorem assistentem a sinistris suis, et eodem modo ab eo pacem accipit.

Cum pontifex dat osculum pacis electo, acolythi scabella assistentium amovent, non amplius adhibenda, et in capella electi reponunt, nisi ibi aderint alia.

Discessus electi

14 — Electus cum suis assistentibus, facta reverentia profunda simul cruci altaris et episcopo, dum capellani eorum retro post ipsos genuflectunt, recedunt ad capellam minorem ordine quo venerunt.

❯ Si capella electi sit extra presbyterium posita, abbas caput bireto cooperit, cum extra illud exit.

Ad capellam electi

15 — Electus cum suis assistentibus, facta capitis inclinatione cruci altaris sui, tergum altari obvertit, et assistens 1mus. transit ad dexteram electi, 2us. ad sinistram. Capellani, facta cum abbatibus capitis reverentia cruci, ad abacum recedunt.

Ad altare maius

16 — Cum discedunt abbates, caeremoniarius 3us. invitabit presbyterum et diaconos de throno ad altare, qui, facta in planum reverentia episcopo et cruci, ibidem remanent.

Minister de libro, pontificali super abacum deposito, accipit missale episcopi.

350 ART. V — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

Iter episcopi ad thronum

1 — Cum abbates ad altare minus pervenerint, episcopus, accepto baculo, assurgit, et, medius inter sacros ministros, in planum descendit, et se vertit cum illis ad altare. Ministri insignium et de gremiali se sistunt in medio post diaconos assistentes, et caudatarius post episcopum.

Episcopus cum suis ministris et assistentibus reverentur crucem altaris; sacri ministri recedunt ad scamnum, et episcopus medius inter diaconos assistentes, praeeunte presbytero assistente et sequentibus ministris insignium et caudatario ac ministro de gremiali, ad thronum revertitur, ubi omnes ad loca sua consistunt.

❯ Pontifex, si transeat ante altare minus, salutat abbates minima capitis inclinatione, ceteri qui eum concomitantur, profunda capitis inclinatione; abbates assistentes infulati et electus, capite nudato, respondebunt cum profunda inclinatione capitis.

Ultimus versus gradualis

2 — Omnia fiunt ut in consecratione episcopi n. *241,* 2, sed electus cum suis assistentibus ad suum altare ascendit cum episcopus ascendit ad thronum, et statim Missam prosequitur.

Continuatio Missae

3 — Cantatur evangelium, *Credo,* si est dicendum, et proceditur in omnibus ut in consecratione episcopi n. *241,* 3, 4, 5.

Offertorium electi pontifici

4 — Proceditur ut in consecratione episcopi n. *241,* 6, sed quando non dicitur *Credo,* dona distribuuntur clericis statim post evangelium; barilia vini portantur a capellanis assistentium.

Capellanus 1mus. electi, repositis funalibus, ea exstinguit, deinde accipit missale electi sine legile et illud super genuflexorium ejus ponit versus latus evangelii, ne impediat transitum pontificis.

Electus, facta oblatione episcopo, de throno descendit, cum suis assistentibus conficit profundam reverentiam episcopo, et recedit cum illis versus dexteram throni, vel ubi commodius juxta dispositionem loci, ubi exspectant stantes.

Lotio manuum episcopi

5 — Proceditur ut in consecratione episcopi n. *241, 7.*

351 ART. VI — MISSA AD ALTARE ET COMMUNIO

Iter episcopi ad altare

1 — Ut in consecratione episcopi n. *242,* 1.

Celebratio missae

2 — Pontifex missam celebrat de more, nulla habita ratione ad electum, advertat tamen ut partes quae secrete dicuntur dicat aliquantulum altius, ita ut abbas possit et ipse omnia recitare.

Episcopus consecrat hostiam unam minorem pro communione electi; post secretam diei adjungit aliam pro electo sub unica conclusione.

Missa ab electo legenda

3 — Cum episcopus ad altare ascendit, capellanus 1us. electi ponit genuflexorium ejus in medio, sed retro post gradus altaris ne caeremoniae intercludantur, cum missali ejus desuper ad ordinarium missae aperto, et

super genuflexorium pulvinar; utrimque ponuntur pulvinaria duo pro assistentibus.

Electus cum suis assistentibus ante medium altaris accedit, et, facta cum illis profunda reverentia cruci, genua flectit ad genuflexorium (217); assistentes vero stabunt. Diaconi assistentes se sistunt: 1mus, a dextris 1mi. abbatis assistentis, et 2us. a sinistris 2di. abbatis assistentis.

Electus *secrete* legit totam missam (218), inde a *Suscipe Sancte Pater,* omittens tantum orationes ad incensationem et verba consecratoria, flexis semper genibus permanens, et manibus ante pectus positis; sub unica conclusione cum secreta missae dicit aliam pro se ipso; in canone legit nomen episcopi dioecesis.

Assistentes

4 — Abbas assistens 1mus. recitat *Sanctus* et *Agnus Dei* cum diacono 1mo. de throno a dextris; idem facit abbas assistens 2us. cum diacono 2.° de throno a sinistris.

Abbates assistentes genua flectunt post *Sanctus* et assurgunt post consecrationem cum ceteris ministris.

Incensatio

5 — Diaconus ministrans, postquam incensaverit episcopum, duplici ductu electum incensat, qui assurgit, et, ea finita, iterum genuflectit; diaconus deinde eodem modo incensat abbates assistentes, primo seniorem, deinde juniorem; postea incensat presbyterum et diaconos assistentes, deinde praelatos et canonicos in choro, demum subdiaconum; deinde ipse incensatur a thuriferario, qui incensat ceteros de choro, ministros inferiores et populum.

Funalia

6 — Ad *Sanctus* intrant clerici sex vel octo cum funalibus pro consecratione et recedunt post communionem abbatis tantum.

Pax

7 — Recitata prima oratione communionis, abbas assurgit, ad altare accedit, et, facta genuflexione in ultimo gradu, ascendit ad dexteram pontificis cum quo altare osculatur, junctis tamen manibus, et pacem de more recipit.

Abbas, accepta pace et facta reverentia episcopo, genuflectit ad Sacramentum, et, ad locum suum reversus, pacem dat 1mo. assistenti, deinde 2.°, et, flexis genibus ut prius, cum pontifice recitat ceteras orationes communionis.

Cum recedit abbas accedunt presbyter et diaconi assistentes ac sacri ministri ad pacem recipiendam.

Communio electi

8 — Sumpto Pretioso Sanguine ab episcopo, electus assurgit, ad altare ascendit et genua flectit in ora suppedanei. Caeremoniarius 2us. electo tradit mappulam, quam manibus tenebit explicatam.

Episcopus, facta genuflexione, hostiam super patenam ponit, deinde, ea iterata, accipit hostiam dextera sua, sinistra patenam, et se vertens ad electum cum suis ministris, eum communicat, faciens signum crucis cum hostia et adhibens formulam RR, videlicet *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.* Electus prius osculatur annulum pontificis.

❯ *Confiteor, Ecce Agnus Dei,* et *Domine, non sum dignus* omittuntur (219).

Data communione electo, episcopus, cum suis ministris, ad altare se vertit et missam prosequitur de more.

Electus, recepta communione, assurgit, se vertit super dexteram suam, et ad locum suum redit, ubi flectit genua ut prius.

❯ Electus, si maluerit, purificationem sumet in plano versus latus epistolae, postquam ab altari descendit, pro qua caeremoniarius 2us. ei praesentabit calicem cum vino et purificatorio. Vide notam 84.

Continuatio missae

9 — Episcopus ad altare missam prosequitur de more usque ad benedictionem solemnem inclusive. Postcommunio electi dicitur ab eo et ab episcopo sub prima conclusione.

Electus, recitato *Placeat,* assurgit, et, inclinatus ac signo crucis se muniens, recipit benedictionem, quae de more a solo episcopo dabitur; assistentes stabunt capite nudati.

❯ Si celebrans sit metropolita, crucifer se sistit in medio et genua flectit in infimo gradu pro benedictione, et electus cum suis assistentibus sine mitris se sistunt in linea versus latus evangelii.

Data benedictione, indulgentiae a presbytero assistente publicentur.

ART. VII — INTHRONIZATIO ET RITUS FINALES

352 A — TRADITIO MITRAE ET CHIROTHECARUM

Traditio mitrae

1 — Omnia fiunt ut in consecratione episcopi n. *243*, 1, sed electus, facta reverentia episcopo, ad altare ascendit, et genua flectit in ora suppedanei; assistentes ejus remanent, faciebus ad invicem versis, ubi erant tempore benedictionis. Cum episcopus mitram electo imponit caeremoniarius 1us. infulas ejus sustentabit.

Traditio chirothecarum

2 — Proceditur ordine tradito pro consecratione episcopi, n. *243*, 2, sed episcopus solus chirothecas manibus electi imponit, adjuvante, si necesse sit, caeremoniario 1mo.

❩ Si mitra et chirothecae benedictae non sunt (sicut convenit), episcopus eas benedicat ante traditionem ordine tradito, n. *243*, 3.

353 B — INTHRONIZATIO

Iter episcopi et electi ad thronum

1 — Electus, accepto annulo, assurgit, et, descendens in planum, se sistit aliquantulum versus latus epistolae: assistentes se sistunt retro post eum; cetera fiunt ordine tradito in consecratione episcopi, n. *245*, 1.

Inthronizatio.

2 — Proceditur ordine tradito, n. *245*, 2, sed priusquam episcopus et assistentes se sistant a dextris electi, ministri de libro et scotula se sistunt ante pontificem, qui, ad electum versus, legit clara voce sine cantu formulam inthronizationis *Accipe plenam* etc.

Te Deum

3 — Ut in consecratione episcopi n. *245*, 3.

Processio benedictionis

4 — Ut ibidem n. *245*, 4.

Te ergo quaesumus

5 — Ut ibidem n. *245*, 5.

Complementum hymni et obedientia.

6 — Ut ibidem n. *245*, 6, sed electus, postquam sedit, baculum tradit capellano suo 1.°, qui descendit et se sistit a sinistris throni.

Caeremoniarius 2us. invitabit canonicos regulares seu monachos solemniter professos ad obedientiam praelato suo praestandam, qui alius post alium, a senioribus ad juniores, facta debita reverentia cruci altaris, ad thronum accedunt. Prior, facta reverentia abbati, ad suppedaneum ascendit, et, flexis genibus, annulum ejus osculatur, deinde assurgens, ab eo recipitur ad amplexum (220); vertens se deinde super sinistram suam, ne tergum episcopo obvertat, in planum descendit, ubi facit abbati reverentiam una cum sequenti religioso.

❩ Cum praesens adest loci ordinarius, abbati non fit genuflexio vel reverentia profunda, sed tantum media corporis; episcopo nulla fit reverentia, quia monachi ante eum non transeunt.

Advertant cantores ut cantus hymni protrahatur quousque obedientia absolvatur, interposito organorum sonitu.

Complementum inthronizationis

7 — Finita obedientia et cantato hymno, electo traditur baculus, et ministri de libro et scotula se sistunt ante pontificem sine reverentia. Episcopus cantat versum *Confirma hoc* etc. cum illis qui sequuntur, et respondet schola; deinde cantat orationem *Exaudi, Domine* ad inthronizationem complendam, dextera electo benedicens cum dicit *benedictionis*, adhibita conclusione *Per Christum Dominum nostrum* (221).

Interim super altari ponitur canon pontificalis ad benedictionem solemnem apertus.

Iter episcopi ad altare

8 — Proceditur ordine tradito, n. *245*, 8.

Ad altare maius

9 — Proceditur ordine tradito n. *245*, 9.

Benedictio ab electo.

10 — Cum omnes ad loca sua perveniunt electus, ad altare versus, solemniter in cantu impertit benedictionem dicens *Sit nomen Domini benedictum*, et cetera facit ut habetur in consecratione episcopi n. *244*, 7, non exclusa trina benedictione. D 1131, 13 (222).

354 C — RITUS FINALES

Acclamatio

1 — Proceditur ordine tradito n. *246*, 1, sed acclamatio *Ad multos annos* dicitur ab abbate semel tantum.

Amplexus 2 — Proceditur ordine tradito n. *246,* 2.

Cetera 3 — Electus ad altare suum recedit, et ibidem sacras deponit vestes, et omnia, ad utrumque altare et ad thronum, fiunt ut post consecrationem episcopi, n. *246,* 3, ad finem.

CAPUT IV

RITUS ALIQUANDO IN HOC TITULO SERVANDI

355 ART. I — SI CELEBRANS SIT EPISCOPUS EXTRANEUS

1 — Loci ordinario impedito, laudabiliter, de venia ejus, invitabitur metropolita ad abbatem benedicendum, si abbatia sita est intra limites dioecesis suffraganeae. Celebrante metropolita, omnia fiunt ut in hoc titulo habetur, dempto septimo candelabro; metropolita utetur pallio (CJC 277) et habebit crucem suam de more; super dona offerenda aderunt stemmata ejus et electi.

2 — Si, de permissu ordinarii vel eo impedito, nuntius vel delegatus apostolicus in loco suae missionis, invitetur ad benedictionem peragendam, omnia fiunt ut in hoc titulo habetur, uno septimo candelabro excepto; super donis offerendis aderunt stemmata nuntii seu delegati apostolici et electi.

3 — Si abbatia sita est intra fines vicariatus apostolici, et vicarius apostolicus sit episcopali charactere ornatus, expedit ut benedictio ab ipso detur. SCFP solet concedere vicariis apostolicis usum throni, et omnia fiunt ut in hoc titulo habetur, cum exceptionibus de quibus in n. *30,* 2.

4 — Si, impedito loci ordinario, ad benedictionem impertiendam invitetur episcopus extraneus seu titularis, ei laudabiliter conceditur usus throni a loci ordinario (CJC 337, § 3), cum restrictionibus de quibus in n. *30,* 3.

5 — Si, rationabili de causa, benedictio peragenda sit solemniter ad thronum sed extra ecclesiam abbatis electi, omnia fiunt ut in hoc titulo habetur. Observa tamen : receptio ordinarii fit more consueto in ecclesia cathedrali, vel ubi functio peragitur ; abbas inthronizatur ad faldistorium ut in titulo sequenti habetur, et utetur manteleto cum mozeta.

6 — Si functio peragatur ad thronum in ecclesia abbatiali, sed electus sit abbas coadjutor vel titularis tantum, seu alterius abbatiae, omnia fiunt ut in hoc titulo habetur, sed abbas utetur manteleto cum mozeta, et inthronizatio peragitur ad faldistorium, ut in titulo sequenti.

7 — Si electus sit abbas nullius et benedicitur in ecclesia sua, vel in alia ecclesia sui territorii, omnia fiunt ut in hoc titulo habetur, et inthronizatio fit ad thronum. Ad benedictionem peragendam invitabitur episcopus superioris gradus, videlicet S.R.E. cardinalis, apostolicus in loco nuntius, vel metropolita, si abbatia sit suffraganea alicujus sedis provincialis, qui utetur pallio ; si vero benedictio peragatur ab episcopo titulari vel extraneo, utetur throno abbatis de permissu ejus, et ad introitum et ad egressum abbas, urbanitatis gratia, ibit post episcopum ; in fine missae ad capellam suam electus sacras dimittit vestes. Tempore missae ad altare, electus genuflectit ad genuflexorium ligneum cum pulvinaribus duobus et non ad faldistorium.

8 — Si celebrans sit sacerdos et abbas nullius intra fines sui territorii celebret ad thronum, cum restrictionibus de quibus in n. *41,* II et dicitur tantum *Reverendissime pater.*

356 ART. II — SI CELEBRANS SIT S.R.E. CARDINALIS

IN URBE cardinalis in ecclesia abbatiali, de permissu Summi Pontificis, celebrat ad thronum.

1 — Praeparanda erunt omnia prout habetur sub n. *286,* II, pro consecratore cardinali.

2 — In accessu ad ecclesiam et in functione serventur regulae traditae pro consecratore cardinali, n. *286,* III et IV.

3 — Inthronizatio in ecclesia electi fit in primo loco chori, ordine tradito pro inthronizatione ad thronum, et non ad thronum cardinalis.

4 — Si benedictio facienda est extra ecclesiam propriam abbatis, inthronizatio fit ad faldistorium in suppedaneo altaris tradito ordine.

EXTRA URBEM cardinalis celebrat ad thronum, et omnia fiunt ut in titulo II habetur.

1 — Quoad res praeparandas et ordinem servandum in acessu cardinalis ad ecclesiam et in functione, omnia fiunt ut sub n. *286,* II, III, IV, pro cardinali consecratore.

2 — Si functio fit in ecclesia electi, cardinalis ad thronum abbatis celebret, ibique, ordine tradito pro loci ordinario, inthronizat electum.

TITULUS III

DE SOLEMNI BENEDICTIONE AD FALDISTORIUM UNIUS ELECTI IN ABBATEM

357 › Si celebrans non gaudeat usu throni, nec ei concessus fuit a loci ordinario, celebret ad faldistorium.

PRAENOTANDA. 1 — Clerus benedictionis idem erit ac in functione ad thronum, exceptis diaconis assistentibus et crucifero.

2 — Regulae servandae ab episcopo et abbatibus eaedem sunt ac pro functione ad thronum, n. *337-39*. Inservientes observent regulas datas in consecratione episcopi ad faldistorium, n. *247*, 3 ad 7.

3 — Parentur omnia quae paranda sunt pro benedictione ad thronum, n. *341* ad *344*, cum modificationibus datis pro consecratione episcopi ad faldistorium, n. *248* ad *251*.

358 RITUS SERVANDUS. 1 — Adventus praelatorum et praeparatio ad functionem fit ordine tradito pro consecratione episcopi ad faldistorium, n. *252*. Si abbas sit in ecclesia sua, aspersorium traditur a priore monasterii, et electus ibit a sinistris pontificis, cum gaudeat praecedentia super abbates assistentes.

2 — Postulatio et examen fiunt ordine tradito in functione ad thronum, n. *347*.

3 — Missa, usque ad benedictionem electi, celebratur de more ad faldistorium a latere epistolae, ad quod accedit episcopus postquam fuit a diacono incensatus, juxta ordinem traditum, n. *254* et *348*.

4 — Finito cantu *Alleluia*, sive ultimi versus tractus vel ultimae strophae sequentiae exclusive, ponitur faldistorium benedictionis in suppedaneo, ad quod accedit pontifex, ordine tradito, n. *255*, 1. Ad benedictionem de more proceditur ut in n. *349*.

5 — Continuatio missae post benedictionem fit ordine tradito in consecratione episcopi, n. *256,* 1 ad 4.

6 — Offertorium donorum episcopo fit ordine tradito in consecratione episcopi, n. *256,* 5, sed dona distribuuntur capellanis ut in n. *350,* 4. Traditis donis pontifici, electus cum suis assistentibus se sistit versus latus evangelii, ubi exspectat quousque pontifex ad altare ascendat.

7 — Missa ad altare celebrabitur ordine tradito in functione ad thronum, n. *351,* sed aderunt tantum funalia quatuor ad elevationem Sacramenti. Episcopus, postquam pacem dedit abbati, eam dat presbytero assistenti, ad chorum transmittendam, et sacris ministris. Indulgentiae non erunt elargiendae.

8 — Facta traditione mitrae et chirothecarum, proceditur ad inthronizationem, quae, si abbas sit in ecclesia sua, fit ad thronum ut in n. *353.* Si vero abbas non sit in ecclesia sua, inthronizatio peragitur ad faldistorium in medio suppedaneo altaris positum, ut in n. *258* habetur, sed pontifex, ubi sedet electus, dicit ad eum *Sta in justitia* etc., et monachorum obedientia omittitur.

9 — Ritus finales fiunt ut in n. *354,* 1, 2, et *258,* 4 ad finem.

TITULUS IV

DE BENEDICTIONE LECTA UNIUS ELECTI IN ABBATEM

359 **PRAENOTANDA.** Benedictio abbatis fieri solet solemniter cum cantu, sicut ipsa natura ritus postulat, sed quoniam aliquando fieri possit privatim sine cantu, rationabili quadam de causa, ritus sine cantu servandus exponitur. Cft. n. *259,* et notas 148 et 151.

1 — Clerus consecrationis idem erit ac pro consecratione lecta episcopi, n. *260,* sed ubi legitur *co-consecratores* lege *abbates assistentes,* qui habebunt capellanum de mitra tantum.

2 — Regulae servandae traduntur sub n. *261,* ubi de consecratione lecta episcopi, cum modificationibus de quibus in nn. *337* ad *340* pro benedictione solemni abbatis.

3 — Praeparanda erunt omnia sicut in consecratione lecta episcopi, nn. *262* ad *265,* sed cum modificationibus propriis pro benedictione abbatis prout habetur sub nn. *341* ad *344.*

360 **RITUS SERVANDUS.** 1 — Ad introitum, electus, si sit in ecclesia sua, procedit a sinistris pontificis, vel solus post eum; quoad cetera sequendus erit ordo traditus in consecratione lecta episcopi, nn. *266, 268, 269.*

2 — Postulatio et examen fiunt ut in functione solemni, n. *347.*

3 — Missa, usque ad benedictionem electi, celebratur ab episcopo et ab electo ordine tradito pro consecratione lecta episcopi, n. *271.*

4 — Benedictio electi prosequetur ordine tradito pro benedictione solemni, n. *349,* sed psalmi paenitentiales leguntur sine cantu, ab episcopo cum suis ministris et abbatibus ex una parte, et a monachis in choro ex alia.

5 — Litaniae dicuntur recto tono ut in n. *272,* 4.

6 — Benedictio proprie, a *Pater noster* ad tres orationes quae habentur post praefationem, fit clara voce sine cantu, non exclusa praefatione, n. *349,* 7 ad 9.

7 — Cetera omnia, usque ad finem benedictionis, fiunt ordine tradito pro benedictione solemni, n. *349,* 10 ad 16, sed collecta finalis *Te, omnipotens* legitur elata voce.

8 — Missam prosequuntur episcopus et abbas, qui, lecto offertorio, dona sua pontifici offert, quae omnia fiunt ordine tradito in consecratione lecta episcopi, n. *273,* 1 ad 4.

9 — Missam ad altare, inde a *Suscipe, sancte Pater* episcopus de more celebrat ut in n. *351,* 2, sine cantu tamen, quam secrete legit abbas nixus genibus ad genuflexorium, ut in n. *351,* 3; abbates assistentes consistunt a lateribus electi, sed genua flectunt post *Sanctus,* et post consecrationem assurgunt; *Sanctus* et *Agnus Dei* ad invicem recitant.

10 — Ad elevationem Sacramenti intrant clerici duo, vel ad summum quatuor, cum intorstitiis, et assurgunt ac recedunt post communionem abbatis.

11 — Pontifex pacem dat abbati electo tantum, ut in n. *351,* 7, qui eam dat abbatibus assistentibus. Vide n. *274,* 10.

12 — Communio datur electo ut in n. *351,* 8, et episcopus missam prosequitur ut ibidem habetur, n. *351,* 9; indulgentiae, si erunt concedendae, publicabuntur a 1.° capellano pontificis.

13 — Traditis chirothecis et mitra, proceditur ad inthronizationem, quae fit ad thronum (n. *353*), vel ad faldistorium (n. *358,* 8) si abbas non sit titularis ecclesiae. Inthronizatio, licet fiat post missam lectam, solet fieri cum cantu.

14 — Ritus finales fiunt ut in n. *354,* 1, 2 et *275,* 4 ad finem.

TITULUS V

DE BENEDICTIONE PLURIMORUM ELECTORUM IN ABBATES

CAPUT I

PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

361 ❯ Cum abbates soleant benedici in ecclesiis suis, vix unquam fieri poterit ut duo vel plures simul benedicantur; id tamen aliquando fit, praesertim post capitula generalia quorundam ordinum, proinde regulae servandae in casu traduntur.

❯ Agitur de benedictione duorum vel trium abbatum tantum, cum celebratio missae ad altare minus et inthronizatio difficile fit si sint plus quam duo, vel ad maximum tres, abbates benedicendi.

❯ Prout functio fit solemniter ad thronum aut ad faldistorium, vel privatim sine cantu, consule titulos II, III vel IV huius sectionis, cum hic tantum modificationes faciendae pro pluribus tradantur.

1 — CLERUS BENEDICTIONIS idem erit ac in benedictione unius, sed pro unoquoque electo aderunt caeremoniarius et capellani duo.

2 — ABBATES DUO ASSISTENTES inserviunt pro omnibus.

3 — PRAECEDUNT abbates juxta electionem, et, si eodem die electi fuerint, prius ordinati in presbyteros.

4 — PLURALI NUMERO. Pontifex cantat vel recitat, juxta traditas regulas, in plurali numero:

Benedictionem *Haec omnia* post examen.

Benedictiones ad litanias.

Versus post *Pater noster.*

Orationes quinque benedictionis, videlicet duas ante praefationem et tres post eam.

Praefationem, excepta verba quae manuum impositionem concomitantur.

Benedictiones vestium et insignium.

Orationem *Te, omnipotens* post traditionem annuli.

Formulam *Sta in justitia* pro inthronizatione.

Versus et orationem post *Te Deum.*

Cetera dicuntur a pontifice singulari numero.

362 PRAEPARANDA erunt omnia ut in benedictione solemni vel lecta unius abbatis, praeterea:

AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI aderit scamnum oblongum cum pulvinaribus pro pontifice et electis.

SUPER ABACO pro unoquoque electo:

Super patena calicis hostia minor.

Baculus, annulus, mitra, chirothecae.

Calix cum vino et purificatorio, si electi velint purificationem sumere post communionem.

Mappula pro communione, una pro omnibus.

A LATERE EPISTOLAE pro unoquoque electo:

Pulvinaria duo.

Scabellum, nisi utantur scabello altaris minoris.

Genuflexorium ligneum simplex.

Faldistorium alba veste coopertum.

AD CAPELLAM ELECTORUM.

Parentur omnia ut in consecratione plurimorum episcoporum, n. *277,* III, sed super abacum disponentur, pro unoquoque electo, quae habentur pro benedictione unius abbatis, n. *344.*

CAPUT II

363 RITUS SERVANDUS

1 — PRAEPARATIO fit ordine tradito pro consecratione plurimorum episcoporum, n. *278.*

2 — POSTULATIO ET EXAMEN fiunt ut ibidem n. *279* habetur; examen legitur in singulari ab episcopo, qui tamen in plurali numero legit benedictionem *Haec omnia* etc.

3 — MISSA usque ad benedictionem celebrabitur ordine tradito pro episcopis, n. *280.*

4 — BENEDICTIO. Ad litanias proceditur ut ibidem, n. *281,* 1. Impositio manuum fit ordine sequenti: Ante initium praefationis abbates, facta reverentia profunda cruci simul et episcopo, ad altare ascendunt, et genua flectunt in ora suppedanei. Episcopus cum pervenerit ad verba *propitius infunde,* a cantu vel a recitatione cessat, et se sistit coram 1.° abbate, cui manus imponit, interim dicens *Ut qui per nostrae* usque ad verba *separetur indignus;* deinde, amotis manibus e capite ejus, se sistit coram altero abbate et procedit sicut pro 1.°; facit similiter pro 3.° si aderit; notetur tamen quod verba quae impositionem manuum concomitantur, dicuntur eodem modo pro omnibus, videlicet sine cantu, etiamsi functio fiat cum cantu. Impositis manibus ultimo abbati, episcopus prosequitur praefationem a verbis *Suscipiat te Dominus* in plurali ut antea et cum cantu, nisi functio sit lecta.

5 — TRADITIO REGULAE ET INSIGNIUM. Cantata ultima oratione pro benedictione, abbates assurgunt; abbas 1mus. in ordine se sistit coram pontifice; alius vel alii in planum descendunt et se sistunt versus latus evangelii. Pontifex 1mo. abbati tradit regulam, baculum et annulum, et deinde eum recipit ad osculum pacis; descendit abbas et ab assistentibus recipitur ad osculum pacis; facta postea reverentia cruci simul et episcopo, recedit versus latus epistolae.

Accedit 2us., et, facta reverentia cruci et episcopo, ad suppedaneum ascendit, et proceditur ut de 1.° dictum est. Ultimo ascendit 3us. et similiter proceditur.

6 — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM. Abbates ad altare minus accedunt et missam prosequuntur ut in benedictione unius. Donorum oblatio fit ordine tradito in consecratione episcoporum n. *282,* 2.

7 — CELEBRATIO MISSAE ET COMMUNIO. Postquam episcopus ad altare ascendit, ponetur ante gradus altaris pro unoquoque abbate genuflexorium ligneum cum pulvinari ad genuflectendum, et super illud missale ad ordinarium missae apertum.

Cum episcopus ad altare ascendit, abbates ad genuflexoria sua se sistunt, ubi missam flexis genibus legunt.

Abbates assurgunt simul pro incensatione recipienda, si functio sit solemnis, et, ea recepta, simul iterum genuflectunt.

Pax datur a consecratore singulis abbatibus electis, qui omnes, junctis manibus, alius post alium, osculantur altare, sed 1mus. tantum abbas pacem dat abbatibus assistentibus.

Pro communione, abbates, una simul facta genuflexione super infimum gradum altaris, ad supremum gradum accedunt et genua flectunt in ora suppedanei.

Acolythi duo mappulam extensam ante eos tenent dum communicant. Recepta communione, omnes insimul, sine genuflexione, redeunt ad loca sua.

8 — INTHRONIZATIO ET RITUS FINALES. Inthronizatio abbatum fit ad faldistoria in suppedaneo posita, et proceditur in omnibus uti habetur pro inthronizatione unius abbatis ad faldistorium, cum modificationibus de quibus in n. *284* pro inthronizatione plurimorum episcoporum.

NOTAE AD SECTIONEM V

(190) Diximus nequeunt valide abbates benedicere, quia agitur de benedictione maiore, quae a PR vocatur etiam ordinatio abbatis et fieri debet in pontificalibus et ab episcopis; quaeque a jure liturgico ordinationibus aequiparatur. Juxta canonem 1147, § 3 benedictiones a presbytero datae validae sunt sed illicitae, nisi aliter a Sancta Sede declaretur; sed aliter declaratur in PR pro benedictionibus maioribus quae fiunt in pontificalibus, intraque missam et a solis episcopis, quaeque nequeunt cum aliis benedictionibus RR comparari.

(191) Cum juxta codicem pianum vicarii et praefecti apostolici (294 § 2) et abbates vel prealati nullius (323 § 2), qui non sunt charactere episcopali aucti, possint *intra sui territorii fines ac perdurante munere, omnes benedictiones episcopis reservatas, una pontificali excepta, impertiri,* quaeri potest utrum habeant a jure potestatem benedicendi abbates.

Negative respondendum censemus, 1mo. quia concessio ita amplissima pro benedictione abbatum, quae in jure est benedictio maior, debet explicite constari, sicut habetur pro cardinalibus (239, § 1, n. 20). 2do. quia tum PR tum CJC supponunt benedictionem abbatum dari ab episcopo (322, § 2 et 625), et abbates nullius ac praefecti vel vicarii apostolici non sunt episcopi, licet charactere episcopali ornari possint.

(192) Id semper fuit in jure statutum ut abbates ab episcopo loci ordinario benedictionem acciperent; nam licet sint exempti, degunt tamen intra dioecesim. Ita decretum Gratiani, D 69, cap. 1; decretales Gregorii IX, lib. I, tit. X, cap. 1; Benedictus XIII, constitutio *Commissi nobis;* S.C. de statu religiosorum die 24-XI-1882; quae quidem doctrina confirmata fuit a CJC 625. Quo tamen non obstante, summi pontifices non raro privilegium dederunt abbatibus maioribus benedicendi abbates sui ordinis; ita Innocentius VIII litteris *Exposcit tuae,* 9-IV-1489, § 5 (apud Bullarium Cherubini, tom. I, pg. 100), et quidem cum potestate subdelegandi, pro abbate generali Ordinis Cisterciensis; Benedictus XV indulsit ut abbas nullius Sancti Martini benediceret abbates benedictinos congregationis hungaricae. AAS 1922, pg. 34.

Juxta constitutionem *Commissi nobis* Benedicti XIII licitum erat abbatibus benedictionem petere *vel* a loci ordinario *vel* a metropolita; talis concessio non amplius legitur in CJC.

(193) Diximus benedictionem abbatialem dari ad tempus non posse neque iterari, est enim natura sua constitutiva et perpetua, quae non raro vocabatur, et quidem recte, *ordinatio abbatis;* nam ex analysi ritus apparet agi non solum de

7 — CELEBRATIO MISSAE ET COMMUNIO. Postquam episcopus ad altare ascendit, ponetur ante gradus altaris pro unoquoque abbate genuflexorium ligneum cum pulvinari ad genuflectendum, et super illud missale ad ordinarium missae apertum.

Cum episcopus ad altare ascendit, abbates ad genuflexoria sua se sistunt, ubi missam flexis genibus legunt.

Abbates assurgunt simul pro incensatione recipienda, si functio sit solemnis, et, ea recepta, simul iterum genuflectunt.

Pax datur a consecratore singulis abbatibus electis, qui omnes, junctis manibus, alius post alium, osculantur altare, sed 1mus. tantum abbas pacem dat abbatibus assistentibus.

Pro communione, abbates, una simul facta genuflexione super infimum gradum altaris, ad supremum gradum accedunt et genua flectunt in ora suppedanei.

Acolythi duo mappulam extensam ante eos tenent dum communicant. Recepta communione, omnes insimul, sine genuflexione, redeunt ad loca sua.

8 — INTHRONIZATIO ET RITUS FINALES. Inthronizatio abbatum fit ad faldistoria in suppedaneo posita, et proceditur in omnibus uti habetur pro inthronizatione unius abbatis ad faldistorium, cum modificationibus de quibus in n. *284* pro inthronizatione plurimorum episcoporum.

NOTAE AD SECTIONEM V

(190) Diximus nequeunt valide abbates benedicere, quia agitur de benedictione maiore, quae a PR vocatur etiam ordinatio abbatis et fieri debet in pontificalibus et ab episcopis; quaeque a jure liturgico ordinationibus aequiparatur. Juxta canonem 1147, § 3 benedictiones a presbytero datae validae sunt sed illicitae, nisi aliter a Sancta Sede declaretur; sed aliter declaratur in PR pro benedictionibus maioribus quae fiunt in pontificalibus, intraque missam et a solis episcopis, quaeque nequeunt cum aliis benedictionibus RR comparari.

(191) Cum juxta codicem pianum vicarii et praefecti apostolici (294 § 2) et abbates vel prealati nullius (323 § 2), qui non sunt charactere episcopali aucti, possint *intra sui territorii fines ac perdurante munere, omnes benedictiones episcopis reservatas, una pontificali excepta, impertiri,* quaeri potest utrum habeant a jure potestatem benedicendi abbates.

Negative respondendum censemus, 1mo. quia concessio ita amplissima pro benedictione abbatum, quae in jure est benedictio maior, debet explicite constari, sicut habetur pro cardinalibus (239, § 1, n. 20). 2do. quia tum PR tum CJC supponunt benedictionem abbatum dari ab episcopo (322, § 2 et 625), et abbates nullius ac praefecti vel vicarii apostolici non sunt episcopi, licet charactere episcopali ornari possint.

(192) Id semper fuit in jure statutum ut abbates ab episcopo loci ordinario benedictionem acciperent; nam licet sint exempti, degunt tamen intra dioecesim. Ita decretum Gratiani, D 69, cap. 1; decretales Gregorii IX, lib. I, tit. X, cap. 1; Benedictus XIII, constitutio *Commissi nobis;* S.C. de statu religiosorum die 24-XI-1882; quae quidem doctrina confirmata fuit a CJC 625. Quo tamen non obstante, summi pontifices non raro privilegium dederunt abbatibus maioribus benedicendi abbates sui ordinis; ita Innocentius VIII litteris *Exposcit tuae,* 9-IV-1489, § 5 (apud Bullarium Cherubini, tom. I, pg. 100), et quidem cum potestate subdelegandi, pro abbate generali Ordinis Cisterciensis; Benedictus XV indulsit ut abbas nullius Sancti Martini benediceret abbates benedictinos congregationis hungaricae. AAS 1922, pg. 34.

Juxta constitutionem *Commissi nobis* Benedicti XIII licitum erat abbatibus benedictionem petere *vel* a loci ordinario *vel* a metropolita; talis concessio non amplius legitur in CJC.

(193) Diximus benedictionem abbatialem dari ad tempus non posse neque iterari, est enim natura sua constitutiva et perpetua, quae non raro vocabatur, et quidem recte, *ordinatio abbatis;* nam ex analysi ritus apparet agi non solum de

benedictione electi, sed de constitutione ejus in statu et dignitate abbatis ad monasterium suum regendum. Hac de re optime scripsit abbas Raphael Molitor O.S.B., recurrente jubilaeo suae benedictionis :

1 "Die Weihe verleiht der Bestellung des Abtes einen ausgesprochen religiösen, ja liturgischen Charakter;

2 sie sichert dem äbtlichen Amte seinen wesentlichen Inhalt gegen jede Umdeutung und Schmälerung;

3 sie leitet den Abt an, sein Kloster in mildväterlicher Weise zu regieren und wehrt der willkürlichen Autokratie;

4 sie schützt endlich Kloster und Orden gegen jede geistlose Zentralisation und gegen jeden geisttötenden Partikularismus, und sie hilft dadurch Kloster und Orden die ihnen gebührende Eigenart zu bewahren". Uber den Sinn der Abtsweihe nach dem PR, *Benediktinische Monatschrift*, 1933, pg. 267.

1) Benedictio installationi abbatis tribuit characterem nitide religiosum, immo liturgicum;
2) Munus abbatis firmiter munit, ne detorqueatur et minuatur;
3) Instruit abbatem ut monasterium paterne et mansuete dirigat, atque licentiam despoticam avertit;
4) Ultimo monasterium et ordinem defendit ab omni *centralizatione* et *particularismo*, qui spiritum exstinguit, atque sic efficit ut monasterium et ordo formam sibi propriam servet.

(194) Si quis abbas abbatiam suam honesta de causa reliquerit, is abbatiae alicujus veteris titulum assumat. Leo XIII *Diu quidem*, § 6, acta vol. 19, pg. 3. Privilegium Congregationis Angliae, de venia Sanctae Sedis, ad ceteras congregationes extendi potest.

(195) Benedictionem fuisse semper a jure requisitam patet e citatis locis juris; Benedictus XIII tamen in Concilio Romano, primo anno sui pontificatus celebrato, titulum dedit *De supplenda negligentia praelatorum*, qui abbates non benedicebant, et postea in sua constitutione *Commissi nobis*, diei 6 Maii 1725, rem arctius confirmavit. Benedictus XIII, licet in votis haberet ut abbates omnes benedicerentur, censuit tamen non debere positive derogare indulta nonnullis ordinibus concessis de benedictione abbatiali non recipienda; constat enim Eugenium IV concessisse abbatibus congregationis Montis Cassinensis indultum de *non benedicendis* (Constitutiones eorum, caput V, n. 12) sed non ad detrimentum dignitatis (ergo ad honorandam?). Agebatur, ut videtur, de benedictione ab ipso Summo Pontifice per fictionem juris, ipsis apostolicis litteris quibus abbates confirmabantur, concedenda. Per communicationem privilegiorum, uti aiebant, alii abbates a recipienda benedictione abstinebant, quos acriter arguit Benedictus XIII in citatis litteris. Constat abbatem Prosperum Guéranger benedictionem nunquam recepisse, quia benedictum se censebat ipsis litteris confirmationis Gregorii XVI. Plures abbates elapsis saeculis non benedicebantur, non propter communicationem privilegii Eugenii IV, sed potius quia ad tem-

pus eligebantur. Saltem post promulgationem codicis, benedictio abbatis per litteras apostolicas obsolevit omnino, nec expedit eam suscitare.

(196) Verba canonis 323 § 2 : *si eam* (benedictionem) *recipere debet, receperit* ad praelatos saeculares nullius, nullatenus benedicendos, negative se referunt. Hodie tamen abbates (sicut etiam praelati) nullius solent ad titulum episcopalem evehi, sic recentissime (1942) Dnus. Hildebrandus Vennucci O. S. B., abbas nullius Sancti Pauli, ad sedem Sebastenam in Cilicia evectus fuit. Vide notam 204.

(197) Canonici regulares qui habent ecclesias abbatiales cum abbatibus benedictis hi sunt :

1) Praemostratenses Ordinis sancti Norberti.
2) SSmi. Salvatoris Lateranensium.
3) Sancti Augustini, vulgo *du Grand-St. Bernard*, quorum prior benedicitur.

Abbates sive priores duorum ordinum crucigerorum, videlicet a Rubea Stella (Pragensi), et a Sancta Cruce, non solent benedici. Canonici regulares Immaculatae Conceptionis, cum non sint solemniter professi nec ad vitam eligantur superiores, non habent abbates benedictos.

(198) Monachi regulares qui habent ecclesias abbatiales cum abbatibus benedictis hi sunt :

1) Congregationes Confoederationis Benedictinae.
2) Cistercienses communis observantiae.
3) Cistercienses strictioris observantiae.
4) Congregationes Vallis Umbrosae et Silvestrinae, Ordinis sancti Benedicti, extra confoederationem Leonis XIII.

Abbates Congregationis Montis Oliveti non solent benedici, licet sint benedictini. Prior generalis (qui usquehuc *maior* vocabatur) Congregationis monachorum eremitarum Camaldulensium Ordinis sancti Benedicti, licet gaudeat, durante munere, omnibus juribus abbatialibus a Sancta Sede ipsi concessis, tamen ad paucos eligitur annos, nec proinde benedicitur. AAS 1935, pg. 296.

(199) Teste Benedicto XIV, aliquando valde expedit dare abbatibus, infirmitate vel senectute laborantibus, coadjutorem cum jure futurae successionis, ne infirmitas vel senectus titularis in detrimentum regiminis animarum cadat. De Synodo, lib. 13, cap. 10, n. 25-6. Opera, tom. 11, pg. 536.

(200) Sancta Sedes non nunquam dignitatem abbatialem concedit monachis vel canonicis regularibus qui sunt superiores domorum vel procuratores generales, licet non habeant ecclesiam abbatialem; ita v.g. abbas Praemonstratensis de *Jahú* in Brasilia; licet etiam Sanctae Sedi, honoris tantum causa, abbates renuntiare, et benedictionem ipsis concedere, quandoque maluerit, sicut recentissime egit Pius Papa XII cum domino Gregorio Sunol, praeside pontificii Instituti de musica sacra.

(201) Ex institutione sancti Benedicti, et juxta constitutiones canonicorum regularium regulae sancti Augustini, abbates ad vitam eliguntur, optimo quidem consilio, secus ruit notio ipsa familiae monasticae. Congregationes monasticae sancti Benedicti

quae electionem abbatis ad tempus introduxerunt, iterum devenire debuere ad electionem ad vitam; ita accidit cum Congregatione Solesmensi. Leo XIII in constitutionibus Congregationis Angliae edixit ut abbates *potestate perpetua* eligerentur (*Diu quidem*, § 1); quo tamen non obstante, capitula monasteriorum solent impetrare a Sancta Sede indulta ut electiones abbatum fiant ad octo, decem, vel duodecim annos; videtur tamen agi potius de quadam reservatione ex parte communitatis dimittendi vel confirmandi abbatem expletis illis annis. Hi abbates Angliae, licet ad tempus electi, benedicuntur; sed benedictio non bene componitur cum nominatione ad tempus, et si, praesertim elapsis saeculis, benedictiones abbatum obsoletae magna ex parte evaserunt, ex eo evenit quod abbates ad tempus renunciabantur. Teste Cuthberto Butler, optime agunt benedictini qui abbates suos ad vitam eligunt. *Benedictine Monachism*, ed. 1.ª, pg. 226. Codex pianus regulam sancti Benedicti de abbatibus ad vitam confirmavit. CJC 505.

(202) Abbas *ad honorem* est praeses congregationis monasticae ad paucos annos electus, qui licet non sit abbas benedictus, gaudet tamen, durante munere, privilegiis abbatum. Sic Leo XIII statuit ut praeses congregationis benedictinae Angliae, qui non sit abbas, assumat titulum cujusdam abbatiae exstinctae (litterae *Diu quidem* § 6); non benedicitur tamen, cum ad quatuor tantum nominetur annos. Videtur agi de casu singulari, nam in aliis congregationibus abbas praeses generatim est abbas almae abbatiae congregationis.

(203) Plures exstant abbates saeculares, vel quia sunt dignitates ecclesiarum quae olim erant abbatiales, vel quia talis titulus eis a Sancta Sede concessus fuit; isti non solum nequeunt benedici, cum nullo gaudeant liturgico seu pontificali privilegio, nisi a Sancta Sede expresse concedatur. D 4148. Agitur de titulo honorifico tantum, de quo non erit hic agendum; sic enim praeses capituli de *Ocatlan* in Mexicana republica vocatur abbas. Acta Pii X, vol. III, pg. 198. Privilegium pontificalium abbatibus saecularibus non raro conceditur a Sancta Sede; sic abbas ecclesiae collegiatae Sancti Spiritus in civitate Beneventana (D 2930); 1.ª dignitas capituli ecclesiae Cathedralis Albensis (D 3061), aliique, privilegiis ornantur pontificalibus. SRC definitive declaravit abbates saeculares benedici non posse (D 4148, III); sed antehac quodammodo quaestionem in suspensivo reliquit, dicens nihil debere in PR mutari, et quoties recurrendum esse ad Sanctam Sedem pro benedictione abbatis saecularis. D 3905. Sed, ut patet legentibus, ritus PR pro benedictione abbatis est monasticus a primo ad ultimum.

(204) Abbas nullius sancti Mauritii Agaunensis est etiam episcopus titularis Bethlemitanus, e canonicis regularibus sancti Augustini.

(205) Abbas praeses congregationis benedictinae Angliae potest abbates suae congregationis nomine Sanctae Sedis confirmare. Leo XIII, litterae *Diu quidem* § 1, Acta, vol. 19, pg. 106. Ceteri abbates praesides solent eodem instrui privilegio.

(206) Benedictio abbatis auctoritate ordinarii PR eadem est ac illa quae habetur auctoritate apostolica, cum sequentibus tamen mutationibus ante initium missae:

1) Fit *statio praeparatoria*: electus in terra se prosternit et cantatur ps. 67 cum antiphona *Confirma hoc Deus,* versibus et orationibus duabus, quibus statio completur.

2) Fiunt interrogationes de dignitate et canonica electione abbatis, loco lectionis mandati apostolici.

3) Jusjurandum et quidem brevissimum fit post explorationem *Antiqua sanctorum Patrum.*

4) Cetera omnia, inde a principio missae usque ad finem functionis, fiunt uti habetur pro benedictione abbatis auctoritate apostolica.

(207) Tempore publicationis PR a Clemente VIII pauci abbates usu pontificalium gaudebant: abbates cluniacenses putabant pontificalia regularibus non convenire; proinde in PR invenies rubricas de modo agendi si abbas non sit de mitra. Qui habet jus ad mitram habet etiam ad alia pontificalia, et qui non habet ad mitram non habet ad alia, sunt enim correlativa. Traditio regulae, baculi et annuli, quibus significatur potestas regendi monasterium et mystica desponsatio abbatis cum ecclesia sua, pertinet ad ritum benedictionis et semper fiebat, etiamsi abbas non esset infulatus (Andrieu, tome II, pg. 409, tome III, pg. 406); crux pectoralis erat pars habitus pontificalis, et extra sacra nec ab ipsis episcopis adhibebatur, propterea abbatibus de mitra tantum concedebatur. Hodie generali concessione CJC (325 et 625) abbates omnes benedicti jus habent ad pontificalia, ad normam decreti generalis Alexandri VII. D 1131. Plurima alia circa benedictionem abbatialem invenies apud Molitor, *Religiosi juris capita selecta*, Ratisbonae, 1909, n. 360, pg. 418.

(208) Tum pro consecratione episcopi tum pro benedictione abbatis aderunt *ad minus quatuor candelabra ad altare* majus, et duo ad altare minus; sed juxta CE (I, 12, n. 12) septem aderunt candelabra celebrante ordinario, sex tantum si celebrans non sit loci ordinarius (ibidem n. 11). Juxta usum receptum quatuor candelabra ad altare minus apponuntur. Rubrica PR quae est antiquior rubrica CE, traducit parsimoniam et simplicitatem Romanae Liturgiae, cum qua difficile componi potest modus construendi altaria, quae, postposita mensa sacra, ita deturpantur, ut videantur potius gradus superpositi ad candelabra omnium formarum exhibenda, quorum numerus relinquitur ad libitum sacristae.

(209) PR (de Pallio) et CE (I, 16, n. 4) aperte dicunt Pallium esse adhibendum in *consecrationibus... abbatum;* hac de re proinde nulla dubitatio; contrarium tamen docuit cl. Martinucci, nec error emendatus est a Menghini in ultima editione operis ejus sed typis iterum impressus. MM vol. 3, pg. 171 et 188.

(210) Juxta MM abbas sacras induit vestes, omissa lotione manuum, cum non erit celebraturus; contrarium tamen docet PR, nam jubet praeparare vasa pro abbate ad abluendas manus et mappulas ad illas tergendas; missa in casu fit ad instar concelebrationis, et omnino decet ut praecedatur ablutio manuum. Praeterea juxta PR deberet abbas iterum manus lavare post offertorium donorum episcopo, et tertio, dimissis vestibus in fine, secus non intelligitur cur sint praeparandae *quinque mappulae aequalis mensurae* super mensam electi. Vide notam n. 128.

(211) Sexta interrogatio semper omittitur cum hodierno jure abbates omnes sunt exempti. Cistercienses solent interrogationem adjungere de obedientia praestanda sacro ordini, capitulo et abbati generali, vel abbati vicario.

(212) Hac unica vice invenies psalmos paenitentiales in 1ma. parte PR, et quidem non ut praeparationem ad ritum, sicut in ecclesiarum consecratione, sed ut initium benedictionis intra missam. Recitatio psalmorum paenitentialum cum abbas benedicitur in usu erat apud monasterium Farfense (Martène, tomus IV, pg. 218, lib. V, c. 1, n. 46) unde sumpta fuit a Durando et in sua recensione PR apposita. Andrieu PR tome III, pg. 403. Rationem cur hic ponantur, et non pro consecratione episcopi, hanc habet Castaldus *Ante litanias dum benedicitur, in ordine proficientium exsistens* (*abbas*), *dicuntur septem psalmi paenitentiales, qui in consecratione episcopi, in ordine perfectorum constituti, omittuntur.* Praxis caeremoniarum, Venetiis, 1681, pg. 118. Fatendum hujusmodi ritum paenitentialem litaniis annexum, abbate prostrato permanente, nimis prolixum et laboriosum evadere, praesertim si benedicendus sit provectae aetatis. Forsitan in definitiva recensione PR ad antiquiorem regulam totius 1mae. partis PR de litaniis tantummodo recitandis, iterum, elapsis saeculis, deveniamus, prout in PR saeculi XII praecipitur. Andrieu tome I, pg. 170.

(213) In editione typica PR apposita fuit crux rubra ad verbum *sanctificatione* dum pontifex manus extensas super caput electi tenet; sed benedictio cum dextera manu in casu contradicit rubricae de manibus super caput electi conservandis usque ad sequentem rubricam. Ita etiam censet De Herdt, Praxis Pontificalis, ed. 2.ª, vol. III, pg. 550. In antiquis editionibus PR cruces rubrae nec semper ponebantur, sed in recentioribus insertae fuerunt ubicumque verba *purificare, sanctificare, benedicere* vel *consecrare,* quocumque modo invenirentur, licet nonnumquam contradicerent rubricis jam exsistentibus, ut in casu de quo agitur.

(214) In antiquis editionibus PR perpulchra oratio *Omnium, Domine, fons bonorum* erat ad benedictionem clauderandam "pro adepta dignitate", pro qua aptissime inservit. Andrieu tome I, pg. 173. Oratio quae sequitur *Exaudi, Domine* erat formula benedictionis abbatis in aliquibus locis adhibita, loco praefationis, et posita fuit in editione Durandi pro illis locis in quibus erat in usu. Andrieu tome III, pg. 405. Agitur de formula prolixa nimis, repetens aliis verbis quae in praefatione jam dicta fuerunt. Etiam ordo orationum pro abbate benedicendo quem tradit Martène, et qui in usu erat in celeberrima abbatia Farfensi, aliisque locis, et qui idem est ac ordo PR, concluditur cum oratione *Omnium, Deus, fons bonorum.* Martène, tom. IV, pg. 218.

(215) Ut jam diximus, traditio baculi et annuli non pertinet ad privilegium pontificalium, sed ad officium regiminis animarum, quapropter semper fiebat, etiamsi abbas non gauderet privilegio pontificalium, ita etiam legit PR; contrarium tamen legis apud MM h. l.

(216) Debentne episcopus et abbates dicere *Pax tibi* cum recipiunt electum ad osculum pacis? Dubium oritur ex eo quod rubrica de consecratione episcopi (post traditionem evangelii) dicit *Consecrator recipit consecratum ad osculum pacis, similiter et assistentes episcopi... dicentes Pax tibi*: rubrica hic dicit tantum *Pontifex accipit abbatem ad osculum pacis.* Dicimus episcopum et assistentes dicere debere *Pax tibi* quia casus sunt pares, et rubricae incompletae PR sunt complendae

rubricis similibus aliorum locorum, nam non solet semper PR rubricam semel datam in similibus repetere. Verum est rubricas in fine inthronizationis, tum episcopi tum abbatis, iterum loqui de osculo pacis, sed cum osculum pacis jam fuit datum in fine ritus consecrationis vel benedictionis et ante communionem, usus receptus, et ab auctoribus probatus, est ut tertia vice detur tantum amplexus.

(217) Facimus abbatem, pontificalibus vestibus indutum, missam legere genuflexum super genuflexorium ligneum cum pulvino. Genuflectere ante scabellum in casu minime videtur convenire; contra, usus faldistorii, sicut aliquando videtur, certe adprobari nequit, etiamsi abbas sit in ecclesia sua, cum faldistorium ad genuflectendum proprium est praesertim patrum cardinalium.

(218) Quomodo vocari debet missa ab abbate celebrata, concelebratio an simplex assistentia ? Certe prima pars, seu missa catechumenorum, quae legitur ab abbate ad altare minus, concelebratio est, nam proceditur in omnibus ut in consecratione episcopi. Secunda pars, seu missa fidelium, fit eodem modo in omnibus ac in concelebratione a neo-sacerdote, sed res principalis, verba consecratoria nimirum, omittuntur! Casus certe est cujusdam anomaliae Romanae Liturgiae, forsitan in definitiva editione PR mutandae. In Pontificali Durandi legis: electus ducitur ad sedem in choro vel alibi ubi audiat totam missam et proceditur missa ordine solito. Andrieu tome III, pg. 407.

(219) Quo ritu danda est communio electo, de more, an ordine tradito pro communione sacerdotis modo ordinati ? MM facit omittere *Confiteor* ab electo et absolutionem ac ceteras orationes ab episcopo non secus ac a neo-sacerdote, sed facit episcopum dicere *Corpus Domini* etc. de more. Sequimur MM, sed cum abbas jam dixit *Corpus Domini* etc., etiam hanc formulam putamus omittendam; quaestio tamen erit tandem aliquando a SRC solvenda.

(220) PR dicit abbatem debere recipere monachos ad osculum oris; ita etiam quam frequentissime loquuntur antiqui ordines papales, ubi legitur dominum apostolicum recepisse cardinales ad osculum oris. Quidquid sit de usu maiorum, hodie, ex receptu et adprobato usu, datur tantum amplexus. Andrieu tome II, pg. 410, n. 7.

(221) Conclusio orationis post inthronizationem episcopi et abbatissae brevis est, et hic agitur de casu identico; praeterea in ceteris orationibus pro benedicendo abbate conclusio brevis semper usurpatur, nam *conclusio longa adhibetur tantummodo in missa et officio, extra vero semper brevis.* RR VI, c. III, n. 5. Optandum ut tandem aliquando haec regula RR pro officio defunctorum data, ad totum PR et RR extendatur.

(222) Abbas pontificalibus vestibus indutus, proinde etiam post inthronizationem, benedicit cum triplici signo crucis. D 1131, 13. Benedictio populi per ecclesiam in casu exceptionem constituit ad regulam de non benedicendo coram ordinario loci. D 1131, 14.

SECTIO VI

DE ABBATISSAE BENEDICTIONE.

SECTIO VI

DE ABBATISSAE BENEDICTIONE.

TITULUS I

PROLEGOMENA

364 1 — MINISTER ordinarius benedictionis abbatissae est episcopus consecratus (PR), vel S. R. E. Cardinalis. CJC 239, § 1, n. *20*.

Minister extraordinarius, de speciali permissu Sanctae Sedis, est abbas benedictus pro abbatissis suae jurisdictionis. Quoad liceitatem minister est episcopus ordinarius loci in quo situm est monasterium, vel episcopus ab eo delegatus.

Praelati et abbates nullius, praefecti, vicarii, vel administratores apostolici, qui non sunt episcopali charactere ornati, nequeunt a jure abbatissas benedicere. Vide notas 190 et 191.

2 — SUBJECTUM capax recipiendi benedictionem abbatialem est monialis solemniter professa ad dignitatem abbatissae rite electa vel renunciata.

Benedictio constituit electam in dignitate perpetua abbatissae (223), proinde dari nequit ad tempus (224) neque iterari, etiamsi abbatissa ad aliud monasterium transferatur (225); neque dignitate sua privatur abbatissa quae regimen abbatiae honesta de causa reliquerit.

3 — IDONEITAS. Monialis quae eligitur in antistitam sit e legitimo matrimonio nata, annos quadraginta expleverit oportet, et saltem decem a prima professione, praeter alias conditiones a constitutione ordinis requisitas. CJC 504. Insuper a PR etiam virginitas requiritur; unde vidua nequit benedictionem abbatissarum recipere sine apostolica dispensatione (226).

Licet PR permittat benedictionem abbatialem dare moniali quae non fuit solemniter velata seu consecrata, tamen laudabiliter, ad mentem PR, consecretur monialis antequam benedictionem abbatialem recipiat (227).

4 — JUSJURANDUM. Electa in abbatissam praestare debet jusjurandum fidelitatis ordinario suo vel summo pontifici, prout in PR habetur (228); a fidei professione emittenda tamen eximitur a jure.

5 — OBLIGATIO. Licet nihil habeatur in CJC circa benedictionem abbatissae, tamen, cum sit pars juris liturgici, hac de re nihil fuit innovatum; proinde standum juri antiquo, seu abbatissa legitime electa et confirmata, quae juxta constitutiones proprias vel legitimas consuetudines, benedici debet, benedictionem recipere tenetur intra annum a confirmatione electionis computandum, sub paena invalidationis ejus. Clementinarum, lib. III, tit. X, cap. 2. Nec potest episcopus se eximere cum fuerit requisitus. Decretalium lib. V, tit. I, cap. 13.

6 — BENEDICI DEBENT abbatissae moniales de regimine monasticorum seu canonicorum ordinum ad vitam electae (229).

7 — BENEDICI NEQUEUNT:

1) Abbatissae moniales de regimine ad tempus electae.

2) Abbatissae religionum votorum simplicium.

3) Abbatissae saeculares (230).

8 — CONFIRMATIO ELECTIONIS. Antequam ad abbatissam benedicendam procedat praeses, constare debet de confirmatione electionis a praelato maiore ordinis, si abbatissa subest praelato religioso, vel a loci ordinario, si monasterium ab eo dependat, vel a Sancta Sede, si, ex privilegio monasterii, ab ipsamet fiat confirmatio. Ad benedictionem peragendam auctoritate sua procedere potest loci ordinarius, nec necesse est mandatum apostolicum.

9 — TEMPUS. Abbatissa quocumque die benedici potest, excepta hebdomade maiore et commemoratione fidelium defunctorum; sed laudabiliter benedictio fiet diebus dominicis vel festivis. Si abbatissa consecrationem virginum non recepit, benedici debet diebus dominicis, vel in Epiphania Domini, vel in Albis paschalibus, id est infra octavam Paschatis, aut in natalitiis apostolorum, sicut pro virginibus consecrandis statuitur a jure.

10 — LOCUS. Abbatissa solet benedici, praesertim propter clausuram communitatis, quae alioquin benedictioni interesse nequiret, in ecclesia sui monasterii; rationabili tamen de causa, benedictio fieri potest, de licentia ordinarii loci, in alia ecclesia vel oratorio dioecesis (231).

11 — CLAUSURA. Ut ipsa natura ritus expostulat, electa ad benedictionem recipiendam, etiam in ecclesia sui monasterii, extra clausuram egredi debet (232).

12 — JEJUNIUM. Electa benedicenda laudabiliter pridie benedictionem jejunat, sicut pro abbate benedicendo admonet PR.

13 — RITUS. Moniales, etiam privilegio liturgiae propriae gaudentes, benedici debent juxta ritum PR.

TITULUS II

DE SOLEMNI BENEDICTIONE ABBATISSAE IN ECCLESIA SUA A LOCI ORDINARIO

CAPUT I

CLERUS BENEDICTIONIS ET REGULAE SERVANDAE

365 ❯ Si benedictio peragenda sit a S.R.E. cardinali vel a nuntio seu delegato apostolico, omnia fiunt ut in hoc titulo habetur, etiam inthronizatio, sed non aderit septimum candelabrum.

❯ Si benedictio peragenda sit a metropolita intra suam provinciam, omnia fiunt ut in hoc titulo habetur, et metropolita utitur sacro pallio, excluditur tamen septimum candelabrum extra propriam dioecesim.

❯ Si benedictio, de licentia Sanctae Sedis, peragenda sit a praelato vel abbate nullius vel ab abbate de regimine, praelatus celebrat ad thronum, si ejus usu gaudeat, demptis diaconis de honore et septimo candelabro, et ad benedictionem procedit ritu in hoc titulo tradito.

366 CLERUS idem erit ac in missa pontificali loci ordinarii, aderitque crucifer cum cruce si celebret metropolita, et cantores duo superpelliceis induti pro litaniis.

367 REGULAE SERVANDAE

EPISCOPUS. Vide regulas datas pro benedictione abbatis, n. *337*, sed episcopus canit recto tono orationes benedictionis, videlicet duas ante et quatuor post praefationem, et orationem post inthronizationem.

ELECTA se praesentat inde ab initio functionis cum cruce pectorali. Baculus et annulus ei erunt tradendi ad inthronizationem si, vi privilegii apostolici vel legitimae consuetudinis, jure ad talia gaudeat (233).

INTHRONIZATIO ELECTAE, sive intra, sive extra proprium monasterium, fit semper ad sedem cameralem a latere epistolae paratam, et nunquam ad thronum sive faldistorium praelati (234).

MATRONAE DUAE adsint, aetate seniores, vestibus nigris indutae, et ab electa seligendae. Cum electa aderit inter presbyterium, matronae se sistunt ad loca pro ipsis parata ad introitum presbyterii.

CETERI OMNES consulant regulas datas pro solemni consecratione episcopi, exceptis iis quae ad consecrationem tantum pertinent, nn. *224* ad *228*.

CAPUT II

368 DE PRAEPARANDIS

COLOR : diei.

Parentur omnia de more pro missa pontificali a loci ordinario ad thronum celebranda, nulla facta mutatione, praeterea parentur :

SI CELEBRET METROPOLITA :

Sacrum Pallium in lance et crux hastata (235).

PRO ABBATISSA :

IN CHORO MONIALIUM :

Genuflexorium ligneum cum pulvinari, adhibendum usque ad benedictionem.

Sedes cameralis vel subsellium, floribus stipatum pro inthronizatione, super stratum unius gradus.

Formula jurisjurandi fidelitatis in schida, subsignata ab electa et sigillo monasterii obsignata, ut in PR habetur.

IN PRESBYTERIO a latere epistolae altaris :

Genuflexorium ligneum cum pulvinari et sedes pro abbatissa.

Sedes cameralis, super stratum altitudinis unius palmi tapeto coopertum, pro inthronizatione.

❯ Si gradus altaris et pavimentum ubi abbatissa se prosternere debet ad litanias non sint tapeto cooperti, parabitur parvum tapetum extendendum et amovendum una cum pulvinari.

PROPE ABACUM :

Intortitia duo ornata quatuor libellarum, quibus laudabiliter fingentur stemmata pontificis.

Baculus pastoralis, non tamen inauratus, si erit abbatissae tradendus.

SUPER ABACO :

Ritus benedictionis in folio.

Orationes pro abbatissa intra missale.

Hostia et mappula parvula pro communione electae.

Regula Ordinis, formae maioris.

Instrumentum pacis.

Annulus abbatialis in lance, si erit abbatissae tradendus (236).

PROPE INTROITUM PRESBYTERII :

Sedes duae, non tamen camerales, cum duobus genuflexoriis sed sine pulvinaribus, pro paranymphis.

❯ SSmum. Sacramentum ab altari maiore amovebitur ante adventum episcopi.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

369 ART. I — RECEPTIO EPISCOPI ET MISSA USQUE AD BENEDICTIONEM

Loci ordinarius recipitur ad ingressum in ecclesia a rectore sive capellano monasterii, induto pluviali super superpelliceum sine stola, et a clero inserviente vel interveniente.

Ad ingressum episcopi sonantur sacra aera turris et rector sive capellanus episcopo aspersorium de more tradit pro aspersione sui et cleri.

Episcopus, facta oratione ad altare ssmi. Sacramenti, si aderit prope, secus omissa oratione ista, ad altare maius accedit, sequente clero.

Missa celebrabitur ab episcopo ritu pontificali ad thronum, nulla facta mutatione, et dicitur prout jacet in calendario, adjecta tamen collecta pro electa sub unica conclusione cum prima oratione missae.

Electa missae assistit in genuflexorio in medio choro monialium, surgens, sedens vel genuflectens una cum choro.

Episcopus missam prosequitur usque ad ultimum versum gradualis, seu tractus exclusive, vel tempore paschali ad ultimum *Alleluia* exclusive, si dicitur sequentia usque ad ultimam stropham exclusive. Paranymphae missae assistunt extra presbyterium.

370 ART. II — BENEDICTIO ABBATISSAE

Iter pontificis ad altare.

1 — Incepto cantu gradualis, acolythi faldistorium locant in medio suppedaneo, et matronae pergunt ad januam clausurae, ad quam electa ducitur a duabus senioribus monialibus.

Finito cantu, episcopus, deposito gremiali et accepto baculo, ad altare de more procedit.

Facta ab omnibus debita reverentia vel genuflexione cruci, episcopus, reddito baculo, ad altare ascendit medius inter sacros ministros, et sedet ad faldistorium, sacri ministri loca sua mutant; si indutus sit mitra pretiosa, episcopus eam deponit et assumit simplicem.

Presbyter et diaconi assistentes, post reverentiam cruci, accedunt ad scamnum ministrorum et sedent: presbyter assistens a dextris, diaconus 1us. in medio, et 3.° loco diaconus 2us. Ministri insignium et caudatarius ad abacum recedunt.

Ingressus electae.

2 — Cum omnes ad loca sua se sistunt, electa, velo ante faciem dimisso, cum suis paranymphis utrimque, ad ecclesiam accedit et presbyterium ingreditur; matrona 1ma. jusjurandum in manu habebit.

Ante pontificem cum pervenerit, electa cum duabus matronis eum et crucem una simul genuflexione (237) salutat; matrona 1ma. tradit electae formulam jurisjurandi.

Electa ad superiorem gradum altaris ascendit et genua flectit in ora suppedanei; matronae ad loca ipsis parata prope introitum presbyterii recedunt.

Jusjurandum fidelitatis.

3 — Electa legit elata voce formulam jurisjurandi fidelitatis; interim caeremoniarius 1us. ponit super gremium episcopi librum evangeliorum apertum.

Lecta formula, electa schidam caeremoniario tradit, et, duabus manibus super evangelistarium positis, osculatur textum dicens *Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia.* Iterum, accepta schida, eam pontifici tradit et caeremoniarius 1us. librum e gremio ejus aufert.

Electa descendit in planum, et, facta genuflexione episcopo, recedit versus latus evangelii. Interim episcopus schidam caeremoniario 1mo. tradit super abacum reponendam.

Litaniae

4 — Caeremoniarius 2us. dum electa jusjurandum legit, pulvinar locat a latere evangelii. Electa, prius genuflectit, deinde se prosternit, ita ut pulvinar habeat subtus brachiis. Matrona 1ma. ad altare accedens electam in prostratione adjuvat, et vestes ejus ac velum apte componit. Vide notam 132.

Assurgit episcopus, ad altare super sinistram suam se vertit, dum sacri ministri loca sua mutant, et genua flectit super pulvinar ante faldistorium; sacri ministri utrimque, ceteri omnes suis locis genuflectunt. Caeremoniarius 1mus pontificale, ad litanias apertum, super faldistorium ponit, et ministri de libro et candela ad abacum remanent.

Cantores duo in medio choro cantant litanias sine duplicatione usque ad *Ut omnibus fidelibus* inclusive.

Benedictio ad litanias

5 — Cum cantores cantant versum supra, caeremoniarius 1us. sumit pontificale e faldistorio, nisi aderit aliud, et illud tradit ministro de libro qui, cum altero de candela, facta genuflexione, ad altare accedunt.

Episcopus assurgit, se vertit ad electam super dexteram suam, sacri ministri, qui cum episcopo assurgunt, loca sua mutant, et episcopus, accepto baculo, canit in tono litaniarum invocationes duas super electam, dextera illi benedicens cum dicit *benedicere* et *sanctificare.* Interim omnes manent genuflexi.

Complementum litaniarum

6 — Pontifex, reddito baculo, vertit se iterum ad altare cum suis ministris, qui loca sua mutant; cum illis iterum genuflectit, et recedunt ministri de libro et scotula, sed caeremoniarius prius pontificale super faldistorium reponit; et cantores litanias prosequuntur.

1.ma benedictio super electam

7 — Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum, et, facta genuflectione, ad altare ascendunt.

Episcopus obvertit tergum altari ut prius, et sacri ministri loca sua mutant. Cantat episcopus *Pater noster* cum versiculis qui sequuntur, schola respondente. Deinde pontifex cantat orationes *Concede quaesumus* et *Cunctorum bonorum* ad abbatissam benedicendam, usque ad *qui vivis et regnas Deus,* et tunc pausatur, et ministri de libro et scotula recedunt aliquantulum versus sinistram pontificis.

Praefatio constitutiva

8 — Assurgit electa, adjuvante matrona sua 1ma. quae ad hoc ad altare accedit, pergit in medium ante altare, et, ascendens, genua flectit in ora suppedanei, vel in superiore gradu.

Episcopus canit praefationem, manibus ante pectus extensis. Cum dicit *Ut quae per nostrae* jungit manus et eas super caput electae ponit, eam physice tangens, et sic prosequitur usque ad *separetur indigna.* Vide notam 213.

Tunc pontifex, iterum extendens manus ante pectus, cantum praefationis usque ad finem prosequitur, electae benedicens cum dicit *benedictione;* conclusionem submissa sed clara voce recitat.

Orationes ad benedictionem complendam

9 — Episcopus cantat orationes quatuor *Deus, cui omnis potestas, Omnium Domine, Concede quaesumus* et *Domine... qui sororem Moysi,* cum quibus clauditur benedictio electae.

Traditio regulae

10 — Sedet episcopus et a diacono induitur mitra. Caeremoniarius 2us., cum regula ordinis, transit ad latus evangelii et se sistit prope diaconum, qui, accepta regula, eam episcopo tradit. Episcopus, accipiens utraque manu regulam eam abbatissae tradit dicens *Accipe regulam* etc. Abbatissa, accepta regula, eam 2do. caeremoniario dat, ad abacum reponendam.

Benedictio veli

11 — Acolythi duo, 1mus. cum velo electae in lance, 2us. cum vasculo aquae lustralis et aspersorio, facta in medio altari genuflexione, transeunt ad latus evangelii, et ascendunt: 1us. genua flectit in ora suppedanei a sinistris abbatissae, 2us. stat a dextris diaconi.

Episcopus, deposita mitra, assurgit et recitat clara voce sine cantu orationes *Suppliciter te, Domine* et *Caput omnium fidelium,* quibus velum electae benedicit, et, accepto a diacono aspersorio, illud aspergit, ac reddit aspersorium diacono.

Velatio electae

12 — Sedet iterum episcopus et accipit mitram; tunc sumens ipse velum e lance, illud explicatum super caput abbatissae ponit, ita ut cadat retro, super scapulas, et ante faciem usque ad oculos exclusive. Acolythi cum aqua lustrali et lance in planum descendunt, et, facta genuflexione, ad abacum se conferunt.

› Si necesse sit, matrona 1ma. ad altare invitabitur ut velum faciei abbatissae aptet.

› Si abbatissa sit monialis solemniter consecrata velatio omittitur.

Abbatissa, recepto velo, vel si illud non recepit, accepta regula, assurgit, in planum descendit, et, facta genuflexione episcopo simul et cruci, accedit ad genuflexorium sibi paratum a latere epistolae.

371 ART. III — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

Iter episcopi ad thronum

1 — Pontifex, accepto baculo, assurgit, et, cum suis ministris et presbytero assistente, descendit in planum, ubi facit cum illis cruci altaris debitam reverentiam; deinde medius inter diaconos assistentes, praeeunte presbytero assistente, sequentibus caudatario et ministris insignium ac de gremiali, ad thronum se confert, et sacri ministri ad scammum redeunt. Interim ab acolythis amovetur faldistorium.

Continuatio missae

2 — Pontifex ad thronum prosequitur missam ritu consueto usque ad offertorium inclusive, nulla habita ratione ad abbatissam, quae in loco sibi parato missam sequitur, sedens, assurgens vel genuflectens una cum pontifice.

Offertorium abbatissae pontifici

3 — Versus finem *Credo,* scutiferi duo monasterii, acceptis et accensis intortitiis electae, se sistunt retro post eam.

Postquam ministri de libro et scotula de throno discesserunt, minister de gremiali tradit 1.° diacono assistenti gremiale lineum, quod super gremium episcopi ponit. Caeremoniarius 2us. ducit abbatissam ad thronum episcopi quo sequitur modo: abbatissa ibit media inter suas matronas cum caeremoniario 2.° a dextris 1mae. et a tergo scutiferi duo cum intortitiis; facta ab omnibus genuflexione cruci altaris, cum transeunt ante illam, procedunt ad thronum, ubi omnes conficiunt genuflexionem episcopo. Interim 1mus. acolythus se sistit ad dexteram 1mi. diaconi throni.

Abbatissa ascendit sola in planum throni, et genua flectit. Scutiferi ascendunt unus post alium ad dexteram abbatissae, quae, intortitia, aliud post aliud, a scutiferis accipit et pontifici tradit; pontifex intortitia tradit diacono assistenti 1mo., qui ea acolytho dat. Abbatissa, postquam tradidit intortitia pontifici, manum ejus deosculatur, assurgit, in planum descendit, et, facta genuflexione episcopo una cum suis matronis et scutiferis, ad locum suum revertitur, ordine quo venit; interim acolythus intortitia exstnguit, in partem reponit, ac ad locum suum recedit. Vide notam 139.

❫ Si aderint duo candelabra maiora prope altare majus, laudabiliter super illa apponentur cerei ab electa offerti, a *Sanctus* ad peractam communionem.

372 ART. IV — INFRA ACTIONEM ET COMMUNIO

Continuatio missae 1 — Pontifex lotis de more manibus et abstersis ac dimisso gremiali, ad altare procedit ubi prosequitur missam, nulla facta mutatione, advertens ut sub conclusione primae secretae dicat alteram pro electa, pro qua consecrat hostiam minorem.

Abbatissa ad genuflexorium ad latus epistolae missam secrete legit e suo missali; cum episcopus inclinatus recitat *Sanctus* et *Agnus Dei*, et ipsa inclinata submissa voce ea recitat.

Incensatio 2 — Abbatissa incensatur a diacono ministrante post incensationem subdiaconi; deinde diaconus incensatur a thuriferario, qui matronas incensat una cum populo.

Intortitia 3 — Clerici cum intortitiis permanent genuflexi suis locis ad peractam communionem abbatissae.

Pacis osculum 4 — Presbyter assistens, data pace canonicis de choro vel praelatis si aderint, osculatur instrumentum pacis a caeremoniario 2.° oblatum, qui illud abbatissae osculandum offert dicens *Pax tecum*, cui illa respondet *et cum spiritu tuo* (238).

Communio 5 — Sumpto Corpore Christi a pontifice, surgit abbatissa et accedit sola ad altare, ubi, facta in plano genuflexione, ad superiorem gradum ascendit, et genua flectit in ora suppedanei.

Sacri ministri, facta genuflexione una cum episcopo, loca sua mutant, et se sistunt, subdiaconus in superiore gradu a latere evangelii, diaconus in eodem gradu a latere epistolae, faciebus ad invicem versis; episcopus ad diaconum se vertit, qui inclinatus cantat *Confiteor*.

Pontifex recitat sine cantu absolutionem in singulari, qua dicta, sacri ministri ad eum accedunt, et, facta genuflexione, episcopus sumit patenam sinistra, hostiam dextera, et se vertit cum suis ministris, qui loca sua mutant, et solito more dat communionem abbatissae cum formula ...*custodiat animan tuam* et illa annulum ejus deosculatur. D 3186.

Se vertit episcopus ad altare cum suis ministris, qui loca sua non mutant, seu subdiaconus remanet ad latus epistolae et diaconus ad librum.

Abbatissa assurgit, se vertit super dexteram suam, in planum descendit, et, omissa genuflexione, ad genuflexorium suum revertitur.

Episcopus solito more missam prosequitur, advertens ut sub unica conclusione cum postcommunione missae dicat alteram pro abbatissa.

373 ART. V — INTHRONIZATIO ET RITUS FINALES

Inthronizatio 1 — Dicto *Placeat*, pontifex altare osculatur et, accepta mitra, descendit in planum cum suis ministris et presbytero assistente.

Sacri ministri et diaconi assistentes, facta genuflexione vel reverentia, recedunt ad latus epistolae prope scamnum, vel, si ibi aderit chorus monialium, ad latus evangelii.

Abbatissa, ipsa sola, ad altare adit et se sistit a dextris pontificis; presbyter assistens a dextris abbatissae se confert. Pontifex, abbatissa et presbyter assistens reverentur crucem et se vertunt, pontifex super dexteram suam, abbatissa et assistens super sinistram.

Pontifex sinistra sua sumit dexteram abbatissae, et presbyter assistens dextera sua sinistram ejus, et procedunt ad sedem paratam pro inthronizatione; ministri quatuor insignium sequuntur.

Pontifex facit abbatissam sedere, et se sistit a dexteris ejus et presbyter assistens a sinistris. Ministri de libro et scotula accedunt, et episcopus dicit clara voce sine cantu *Accipe plenam et liberam potestatem* etc. Tunc caeremoniarius 1us aufert mitram pontifici, qui, ad altare aliquantulum se vertens, intonat hymnum *Te Deum*, quem schola prosequitur. Diagramma XXVIII.

❯ Si abbatissa, jure vel legitima consuetudine, jus habeat ad baculum et annulum, postquam sedit, acolythi duo, 1mus. cum baculo, 2us. cum annulo in lance, se sistunt a sinistris pontificis, qui, accepto baculo, illum in manu sinistra abbatissae tradit; deinde, accepto annulo, illum digito annulari dexterae manus ejus ponit, nihil dicens; demum recitat formulam inthronizationis et intonat hymnum *Te Deum.*

Iter abbatissae ad chorum monialium

2 — Cantato tertio versu hymni, assurgit abbatissa, cum baculo si illum recepit, et, media inter suas paranymphas, se sistit in medio choro, ubi, facta cruci altaris genuflexione, pergit cum ipsis ad januam clausurae. Quo cum advenerit, recedunt matronae, et abbatissa recipitur a senioribus monialibus, quae eam processionaliter ad chorum ducunt, ubi sedet in sede sua.

Interim pontifex cum sacris ministris se sistit prope crates chori monialium ad altare versus, et presbyter assistens recedit prope diaconos assistentes. Moniales solemniter professae accedunt singulariter ad abbatissam, cui faciunt debitam reverentiam, osculantur genibus flexis manum, et recipiuntur ad amplexum.

Complementum inthronizationis

3 — Finito hymno et obedientia monialium, ministri de libro et scotula se sistunt ante pontificem, qui, ad chorum monialium versus, cantat *Confirma hoc Deus* cum aliis qui sequuntur versibus, et respondet schola; ultimo pontifex canit orationem *Famulam tuam* cum qua clauditur inthronizatio.

Iter pontificis ad altare

4 — Pontifex, imposita mitra a diacono et accepto baculo, ad altare revertitur medius inter sacros ministros et sequentibus ministris de insignibus. Ad altare presbyter assistens se sistit a dextris diaconi et diaconi assistentes retro post episcopum.

Pontifex, reddito baculo, facit cum suis assistentibus debitam reverentiam cruci, et ad altare ascendit cum sacris ministris; presbyter assistens remanet in plano ad latus epistolae.

Finis missae

5 — Pontifex dicit *Sit nomen Domini benedictum* et solemniter populo de more benedicit. Vide notam 183.

Data benedictione, presbyter assistens, a latere epistolae, nisi habitus est sermo, legit formulam indulgentiarum.

❯ Si celebrans sit metropolita, sine mitra dabit benedictionem, et, publicatis indulgentiis, sacrum pallium dimittet.

Pontifex ad thronum revertitur recitans ultimum evangelium, nisi dicendum sit proprium ad altare.

Ad thronum, pontifex sacras dimittit vestes, gratiarum actionem legit, ut in caeremoniali, et discedit in pace.

Abbatissa cum suis monialibus episcopo pro recepta benedictione gratias agit.

❯ Si benedictio peragatur extra ecclesiam abbatissae, ipsa cum suis matronis locum suum sumit in presbyterio ante adventum episcopi, ibique totae missae assistit; ad inthronizationem pontifex legit formulam *Sta in justitia* etc., et abbatissa remanet sedens in sede camerali usque ad finem hymni *Te Deum*, episcopo ad dexteram ejus permanente; cum canitur *Te ergo quaesumus* et ipsa abbatissa assurgit et genua flectit ubi se sistit. Cetera fiunt ut in hoc titulo exponitur.

TITULUS III

RITUS ALIQUANDO SERVANDI

CAPUT I

374 SOLEMNIS BENEDICTIO ABBATISSAE AD FALDISTORIUM

1 — Praeter faldistorium missae paratur alterum pro benedictione.

2 — Episcopus celebrat ad faldistorium ritu consueto et utitur baculo.

3 — Benedictio electae datur ritu tradito sub titulo II.

4 — Tempore benedictionis presbyter assistens recedit ad scamnum ministrorum cum nullum officium ei ad altare tribuatur.

5 — Celebrans, ad faldistorium missae a latere epistolae, recipit cereos ab electa oblatos.

6 — Inthronizatio fit ordine tradito.

CAPUT II

375 BENEDICTIO LECTA ABBATISSAE

❯ Licet benedictio abbatissae sit ritus solemnis, intra missarum solemnia pontificali ritu cum cantu et sacris ministris peragendus, tamen justa et rationabili de causa, fieri potest privatim sine cantu. Vide n. *259*.

1 — Pontifex celebrat missam lectam pontificalem, id est, missam planam cum vestibus pontificalis ordinis, ritu tradito pro ordinatione lecta, n. *161* ss.

2 — Benedictio fit ordine in functione solemni dato, sed capellani assistentes, superpelliceis induti, funguntur munere sacrorum ministrorum. Vide n. 22.

3 — Litaniae recitantur sine cantu a duobus clericis in medio choro, vel ab episcopo, si maluerit, omnibus respondentibus.

4 — Episcopus legit versiculos, orationes, et praefationem benedictionis clara voce sine cantu.

5 — Inthronizatio fieri potest cum cantu, et tunc episcopus canit versus et orationem post hymnum *Te Deum.*

❯ Quoad usum throni in praeparatione et gratiarum actione, vide nn. *264* et *268.*

NOTAE AD SECTIONEM VI

(223) Abbatissae suntne in dignitate (non tamen clericali) constitutae? Affirmative respondendum consemus, quia in statu et dignitate abbatiali solemni ritu ab Ecclesia constituuntur, licet cum potestate tantum dominativa in subditas, nam potestas ordinis vel jurisdictionis ad dignitatem constituendam non requiritur.

(224) Martinucci ritum benedicendi abbatissam omisit, eo quod in Italia et insulis adjacentibus, inde a generali decreto Gregorii XIII, diei 1 Januarii 1582, abbatissae omnes ad triennium tantum eligebantur. Apud Bizzarri, Collectanea S.C. Ep. et Reg., pg. 278. CJC tamen usum maiorum de abbatissis ad vitam electis confirmavit, sunt enim antistitae maiores.

(225) Si benedictio dari nequit ad tempus, certe nec iterari. Dari nequit ad tempus quia constituit abbatissam in statu et dignitate antistitae, est enim solemnis ordinatio electae ab Ecclesia ad suam functionem rite exsequendam. Praeterea si, ut diximus, benedictio abbatis nequit iterari, pari ratione neque abbatissae, cum ritus sint iidem; etenim in antiquis Pontificalibus una erat benedictio abbatis vel abbatissae. Andrieu tome I, pg. 170; tome II, pg. 408. Si auctores quidam dicebant benedictionem abbatissae posse iterari, forsan loquebantur de minore quadam benedictione quae solet dari abbatissis Ordinis Sanctae Clarae, vel aliis, quae ad tempus eliguntur, et quae electam in dignitate non constituit. Cft. Molitor, op.cit., pg. 446.

(226) Virginitas requiri patet ex analysi ritus et confirmatur traditione Ecclesiae, nam virgines a virgine gubernandae erant. Si, ex dispensatione apostolica, vidua sit in abbatissam benedicenda necesse erit substituere collectam et secretam ex ritu consecrationis virginum sumptas et orationem *Famulam tuam* post inthronizationem; praeterea oratio *Domine Deus... qui sororem Moysi,* cum qua concluditur benedictio erit eliminanda, supponit enim virginitatem electae; benedictio et traditio veli erit pariter omittenda.

(227) Benedictionem abbatissae inter et virginum velationem intimum nexum exstare supponit PR, seu superiorissa monasterii in abbatissam benedicitur ut gratias status ab Ecclesia recipiat, quibus possit commissas sibi famulas, virgines videlicet Christo consecratas, custodire et gubernare; nec expedit ei consecrationem pro suis subditis petere, si ipsa eam non recepit; inversio esset ordinis solemniter velare abbatissam jam benedictam; proinde PR jubet ut saltem ritus essentialis consecrationis virginum, velatio scilicet, ne omittatur, si electa consecrata non est. Prae-

terea, ut superius diximus, plures orationes huius ritus e consecratione virginum sumuntur. In antiquis editionibus PR habebatur missa *Tibi dixit com meum* legenda in benedictione abbatissae, quae, lectionibus exceptis, eadem erat ac missa in velatione virginum legenda.

(228) Formula jurisjurandi pro abbatissa non exempta eadem est ac illa quam tradit PR pro abbate auctoritate ordinarii benedicendo, et 2.ª formula eadem est ac illa pro abbate auctoritate apostolica benedicendo, demptis quae ad gubernandam ecclesiam se referunt. In hodierno jure moniales omnes sunt exemptae, cum sint juris pontificii; nihilominus plurima exstant monasteria quae, licet sint juris pontificii, tamen loci ordinarii a Sancta Sede eliguntur uti eorum praelati nati, a cujus jurisdictione non eximuntur (CJC 615); sed etiam pro ipsis formula erit ea quae habetur pro monialibus exemptis.

(229) Abbatissae, cum jure recipiendi benedictionem, dummodo ad vitam eligantur, admunerantur omnes quae ad institutum monasticum pertinent, imprimis Benedictinae et Cistercienses; hisce postea sese adjunxerunt moniales quae canonicissae nuncupantur. Abbatissae coadjutrices cum jure successionis aliquando, licet rarius, dantur, de venia Sanctae Sedis, abbatissis titularibus. Vide DD 141 et 172 de praecedentia abbatissae coadjutricis super priorissam, non tamen coram abbatissa titulari.

(230) Praeter antistites maiores monialium, quae stricto jure abbatissae renuntiantur, quaeque ad vitam eliguntur, exstant abbatissae quorundam ordinum electae ad triennium, quae nequeunt solemniter benedici, quas inter adnumerantur abbatissae ordinum mendicantium. Vide notam 247. Abbatissae congregationum votorum simplicium, si quae sint, nomine abbatissae tantummodo fruuntur. Nec defuere decursu saeculorum abbatissae nullius dioeceseos cum jurisdictione quasi ecclesiastica. Vide APC 1899, pg. 217. Abbatissae saeculares etiam exstabant nonnullae. Vide APC 1909, pg. 490.

(231) Dicimus benedictionem fieri posse in alia ecclesia de permissu loci ordinarii, qui custos est clausurae papalis, quia, si loci ordinarius permittere potest, et debet, egressum abbatissae e clausura ad benedictionem recipiendam, eodem modo e clausura egreditur monialis ad oratorium publicum sui monasterii accedens, cum quando ad aliud oratorium se confert; praeterea PR supponit casum (ubi de inthronizatione) de benedictione extra monasterium impertienda. Certe pro aliis monialibus quae abbatissam extra monasterium comitantur indultum apostolicum habere necesse erit. Domna Gertrudes Caecilia da Silva Prado († 1944), 1.ª abbatissa Abbatiae Sanctae Mariae O. S. B., Sancti Pauli in Brasilia et totius Americae, solemniter benedictionem recepit in Basilica Sancti Benedicti in festo Annuntiationis B.M.V. anno 1918; moniales omnes de permissu nuntii apostolici benedictioni interfuere; ritus quam solemnissime persolvebantur, et abbatissa inthronizata fuit in sede ad hoc parata a latere epistolae altaris.

(232) E clausura egredi ad benedictionem abbatialem recipiendam, licet ab ipso ritu postuletur, non tamen adnumeratur intra casus juris a canone 601 CJC, sed nec a Concilio Tridentino (Sess. 25, cap. V); verum Sacra Congregatio ad Concilium Tridentinum interpretandum censuit moniales in ecclesia exteriori monasterii se con-

ferre posse ad recipiendam consecrationem virginum vel benedictionem abbatissarum juxta PR. S. C. Concilii 1587. Hanc et alias responsiones tradit Benedictus XIV, Institutio 85, n. XIII ss. Opera, tom. X, pg. 362. Vide notam 251.

(233) Abbatissae solent uti cruce pectorali et annulo in digito annulari dexterae manus, et in solemnitatibus baculum adhibent in choro.

A) Crux pectoralis nec pro ipsis episcopis et abbatibus praecipitur adhibenda a rubricis nisi cum vestes pontificales induunt, tamen pro illis hodie habetur ut pars habitus praelatitii et quotidiani, propterea abbatissae etiam quotidie ea utuntur.

B) Annulus quo abbatissa utitur in dextera manu, est ad instar praelatorum, non confundendus cum annulo sponsalitio, quo utuntur virgines Deo dicatae. In ordinibus antiquis pro abbatissis benedicendis habebatur traditio annuli sicut pro abbatibus, unus enim erat ritus. Andrieu, PR. tome I, pg. 170; tome II, pg. 408; tome III, pg. 409.

C) Baculus pastoralis, non tamen inauratus, antiquitus nec deargentatus, semper fuit insigne praecipuum abbatissae. Vide Andrieu, l. c. Licet ritualis traditio baculi fuit e PR dempta, tamen abbatissae usum baculi de facto nunquam dimiserunt, et solet episcopus baculum ipsis tradere in manum cum inthronizantur, tum etiam annulum digito imponit. Andrieu tome I, pg. 173.

De privilegiis istis nihil legitur in jure liturgico nec dantur regulae ab abbatissis servandae circa usum baculi. Usus horum privilegiorum tamen de facto exstat et fuit nonnumquam a summis pontificibus recognitus; sic Clemens XIII privilegium baculi et annuli concessit, cum titulo honorifico abbatissae, antistitae pro tempore monasterii Sanctae Catharinae, v. et m., Venetiis. *Permulta sunt* die 13 Martii 1741, Bullarii Romani continuatio, Prati 1842, tom. 4us pars 1., pg. 456. Diximus hac de re nihil legi in jure; verum est tamen in authentica editione SRC duo exstare decreta anni 1656 (DD 1000 et 1016) usum baculi pastoralis abbatissis prohibentia; sed istae istiusmodi decretis nunquam se conformarunt; praeterea directa tantum fuerunt ad episcopum civitatis Manfredoniae. Certe recepta benedictio aliquo signo et externa distinctione constare debet.

(234) Ex attento rubricarum studio patet inthronizationem fieri non debere ad thronum episcopi, nec ad faldistorium ejus, si functio non sit ad thronum, nam dicit rubrica: *...inthronizat abbatissam in sede,* non in sede sua; aliis verbis utitur PR quando agitur de inthronizatione episcopi vel abbatis. Quo tamen non obstante, solent non raro abbatissae ad thronum episcopi inthronizari. Usus invaluit cum, adstante cl. Guéranger, benedicta fuit et inthronizata in throno episcopi abbatissa Caecilia Bruyère anno 1871. Cft. Dom Guéranger, abbé de Solesmes, par Dom Delatte, Paris 1910, vol. 2, pg. 389. Hac de re Dom Puniet sic se habet "On ne prévoit plus que le cas ou l'abbesse reçoit la bénédiction en dehors de la clôture, et ne peut par conséquent être intronisée dans sa propre stalle au choeur des religieuses". Le Pontifical Romain vol. 2, pg. 141. Sed benedicere abbatissam intra suam clausuram nunquam fuit usus, cum ipsa ad altare se praesentare debet, et ideo rubrica post inthronizationem dicit *Interim dum cantatur hymnus, abbatissa revertitur ad monasterium atque ad chorum perducitur,* ergo ibi non erat. Nec videtur fuisse unquam usus ut episcopus cum suo clero chorum monialium ingrederetur ad abbatissam in

sede sua inthronizandam. Sic proinde legimus rubricas : Episcopus inthronizat electam in sede ad hoc parata in presbyterio. Facta inthronizatione, abbatissa ad sedem suam in choro monialium revertitur, quasi fuerit ibi inthronizata, ibique complebitur ritus, dum episcopus ad crates chori monialium recitat orationem super electam. Verum est editiones quasdam antiquas PR (ita editio Pii IV) loqui de inthronizatione abbatissae vel ad thronum episcopi vel ad faldistorium in suppedaneo altaris, sed hae rubricae, re perspecta, ex editione Benedicti XIV demptae fuerunt, expositionem nostram proinde confirmant. Ne quid nimis.

(235) Debetne metropolita sacro pallio indui ad abbatissam benedicendam? PR adnumerat consecrationes episcoporum, abbatum et virginum et nihil dicit de abbatissis; sed agitur procul dubio de ritibus essentialiter aequalibus, vel saltem similibus; nec videtur cur pallio utatur pro abbatibus et virginibus et non pro abbatissis. Patet rubricam in casu subintelligere abbatissam; praeterea rubrica illa PR incompleta est, cum non loquatur de consecratione regum pro qua etiam adhibetur. Quousque authentica responsio Sanctae Sedis habeatur, putamus metropolitam pallio uti posse et debere cum erit abbatissam constituendam.

(236) Si baculus et annulus erunt tradendi, debent pridie benedici ab episcopo vel ab abbate. Formulae adhibendae habentur in PR pro baculo et annulo episcopi vel abbatis.

(237) Debetne abbatissa genuflectere episcopo an reverentiam profundam facere? Jus liturgicum nihil legit hac de re, proinde videtur abbatissam se conformare debere legi communi de genuflexione; religiosi regulae sancti Benedicti solemniter professi reverentiam profundam loco genuflexionis episcopo crucique conficiunt.

(238) Nihil impedit quominus abbatissae detur osculum pacis cum instrumento, sicut e CE determinatur pro laicis nobilibus. Verum est CE loqui tantum de viris, sed non excludit mulieres; praeterea PR praecipit dare pacem reginis cum instrumento; absonum esset abbatissam a recipienda pace excludere in missa quae ad eam benedicendam pontificali ritu celebratur, et cui illa intra presbyterium assistit; praeterea si pax excludi debet, etiam incensatio esset excludenda. D 353 *Thuris et pacis honorem inter missarum et vesperarum solemnia mulieribus non deberi,* non videtur ad casum de quo agitur extendendum.

SECTIO VII

DE BENEDICTIONE ET CONSECRATIONE VIRGINUM

SECTIO VII

DE BENEDICTIONE ET CONSECRATIONE VIRGINUM

TITULUS I

PROLEGOMENA

376 1 — MINISTER idem est ac pro benedictione abbatissae n. *364,* 1 (239-240).

2 — SUBJECTUM — Benedici et consecrari possunt moniales solemniter professae. Benedictio constituit electam in statu et dignitate perpetua virginis Deo dicatae et Jesu Christo Domino nostro spiritualiter sponsatae (241), nequit proinde iterari, neque sine sacrilegio violari (242).

3 — IDONEITAS — Ut monialis solemniter consecretur, constare debet de carnis integritate et de proposito in perpetuum servandi virginitatem (243), insuper requiritur aetas viginti sex annorum inceptorum. Numerus annorum solemnem professionem inter et consecrationem solet determinari a constitutionibus ordinum quorum moniales solemniter consecrantur; apud Carthusianas quatuor annorum interstitium exstet oportet. Apud moniales benedictinae confoederationis introductus fuit mos consecrandi virgines in ipso die in quo professionem solemnem emittunt, ita ut velum professionis sit etiam velum consecrationis. Vide notas 254 et 265.

4 — OBLIGATIO — Nihil habet CJC circa virginum consecrationem, est tamen pars juris liturgici, in quo nihil fuit a codice innovatum. De obligatione recipiendi consecrationem virginum non satis constat, nisi talis obligatio a constitutionibus oriatur; passim tamen obsolevit (244).

5 — BENEDICI POSSUNT virgines moniales omnium monasticorum ordinum (245) et canonicissae regulares (246). Hodie solent consecrari ritu PR moniales ordinum Sancti Benedicti, Sancti Brunonis, et Sancti Norberti.

6 — BENEDICI NEQUEUNT: 1) Moniales ordinum mendicantium, cum ordines illi ritum consecrationis nunquam receperunt. Benedictus XIV. Institutio 85, n. V. Opera, tom. 10, pg. 360 (247).

2) Moniales Visitationis Sancti Francisci Salesii (248).

3) Moniales de servitio sive conversae.

4) Religiosae votorum simplicium cum clausurae papali non subsint (249).

5) Virgines in saeculo exsistentes. S.C. de Religiosis. 25 Martii 1927, AAS, 1927, pg. 138 (250).

7 — TEMPUS — Juxta antiquissimum Ecclesiae usum, virgines consecrantur in Epiphania Domini vel per hebdomadam Paschae; postea adjuncta fuerunt a PR festa natalitia Apostolorum et dies dominici per annum. Exclude tamen Dominicos Adventus et Quadragesimae, cum virginum consecratio sit ritus festivus; et festum Purificationis B.M.V. si incidat in Dominica.

8 — LOCUS — Virgines consecrari debent in oratorio externo, publico vel semipublico, sui monasterii.

9 — CLAUSURA — Egressus monialium e clausura ad benedictionem recipiendam in ecclesia sui monasterii praecipitur a PR (251).

10 — RITUS — Consecratio virginum, cujuscumque ordinis, fieri debet juxta ritum PR (252).

11 — JEJUNIUM pridie benedictionem non praecipitur a PR, est enim ritus festivus seu nuptialis.

12 — PERMISSIO — Episcopus loci ordinarius ad consecrationem virginum monasteriorum suae dioecesis procedere potest auctoritate sua, dummodo moniales praesententur a superiore maiore, si sint praelato regulari subjectae; quod valet etiamsi ritus jam fuerit obsoletus in illo ordine, est enim nobilissima pars Pontificalis Romani.

TITULUS II

DE BENEDICTIONE ET CONSECRATIONE VIRGINUM A LOCI ORDINARIO

CAPUT I

CLERUS CONSECRATIONIS ET REGULAE SERVANDAE

377 › Virginum consecratio fieri debet cum cantu intra missarum solemnia pontificalia (253). Consecratio solemnis intra missam lectam pontificalem Pontificali se opponit, et consecratio lecta toti ritui contradicit.

› PR tradit tantum ritum pro pluribus virginibus simul consecrandis; non expedit tamen plusquam quatuor, vel ad maximum sex virgines, eodem die consecrare, propter rituum complexitatem. Si una sit virgo consecranda, omnia fiunt in singulari.

› Si celebrans sit abbas benedictus, omnia fiunt ut infra, sed missa celebrabitur ritu pontificali sine diaconis assistentibus et sine septimo candelabro; ad postulationem dicitur tantum *Reverendissime pater*.

› Si missa pontificalis ad faldistorium celebretur, ibidem fit candelarum oblatio.

378 CLERUS idem erit ac in missa pontificali a loci ordinario celebranda; aderitque crucifer si celebret metropolita; pro litaniis aderunt cantores duo.

379 EPISCOPUS.

Mitra. 1 — Episcopus utetur mitra simplici e tela aurea toto tempore consecrationis, deponenda: pro hymno *Veni, Creator* cum sequentibus benedictionibus vestium et in-

signum; pro praefatione et orationibus quas stans cantat; mitram retinet pro benedictionibus cum ad virgines sermonem habet.

Baculus 2 — Episcopus utetur baculo, etiamsi non sit loci ordinarius.

Intonationes 3 — Episcopus intonat *Veni, Creator,* responsorium *Veni, electa mea;* antiphonas *Desponsari* et *Veni, sponsa Christi; Te Deum.*

Cantus 4 — Episcopus canit praefationem in tono feriali; in tono litaniarum invocationes duas; in tono simplici seu recto sex orationes seu benedictiones, videlicet:

Respice, Domine, ante praefationem;
Famulas tuas post velationem;
Benedicat vos post desponsationem;
Da quaesumus post coronationem;
Te invocamus ad complendum ritum;
Actiones nostras post *Te Deum.*

Recto tono canit episcopus versus qui occurrunt ante orationes et in tono proprio ter invitationem *Venite* etc.

Recitationes clara voce 5 — Cetera omnia, id est, formulas seu interrogationes, quas sedens legit, benedictiones vestium et insignium, et duas benedictiones finales *Deus plasmator* et *Benedicat vos Deus... omni benedictione,* episcopus clara voce legit sine cantu. Vide notam 262 in fine.

Abstensiones 6 — Episcopus non recitat partes scholae.

Responsiones 7 — *Amen* post traditionem vestium vel insignium dicitur a virginibus, et a schola post collectas.

❫ Positionem manuum et modum se vertendi habes apud nn. *219,* 6 et *81,* 7.

ARCHIPRESBYTER fungitur officio presbyteri assistentis, et, eo deficiente, dignior presbyter praesens vices ejus gerit simul ac assistentis.

DIACONI ASSISTENTES tempore consecrationis recedunt ad scamnum ministrorum, et ad altare inserviunt sacri ministri. Vide n. *224.*

MINISTRI SACRI ET INFERIORES servant regulas traditas. Nn. *83* et *226.*

VIRGINES CONSECRANDAE se praesentant in ecclesia cum habitu quotidiano suae religionis et cum velo minore albo (254), sed sine cuculla seu cappa, et cum candela dimidiae librae in manu dextera. Velum ante faciem dimittunt ab egressu e clausura usque ad 1am vocationem *Venite* et cum ad episcopum accedunt ad cereum ei dandum, reliquo tempore velum habebunt dimissum ad oculos exclusive.

MATRONAE aderunt seniores una vel ad maximum duae pro unaquaque electa, propinquae earum si fieri possit, et aequalibus vestibus nigris indutae; quod si plus quam duae virgines consecrentur melius evolvitur ritus si quatuor tantum adhibeantur matronae, videlicet duae pro virginibus quae ad latus epistolae sedent, et duae pro illis quae sedent ad latus evangelii.

CHORUS sedet et genuflectit cum sedet vel genuflectit episcopus, sed stabit ab ingressu virginum usque ad litanias; et toto consecrationis tempore.

PULSATOR ORGANI abstinebit ab ejus pulsatione toto tempore consecrationis, nisi cum erit cantum comitaturus. Dum virgines in fine functionis recedunt, quousque ad chorum earum perveniant, festivo more resonent organa.

❫ PRAEVIA EXERCITATIO. Cum ritus, praesertim pars virginum et matronarum, non careant difficultatibus, expedit ut ipsae, de licentia ordinarii et clausis ecclesiae janiis, semel et iterum a caeremoniarum magistro in illis obeundis tempestive exerceantur.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

COLOR: diei

380 Parentur quae necessaria sunt pro missa pontificali a loci ordinario celebranda solemniter ad thronum; praeterea aderit faldistorium sua veste coopertum cum pulvinari pro consecratione.

SI CELEBRET METROPOLITA:

Sacrum pallium in lance et crux hastata.

SUPER ABACO MISSAE:

Ritus consecrationis in folio.
Breviarium majus virginibus tradendum.

Tabella cum *Confiteor* in musicis notis.

Hostiae minores in pyxide, tot quot erunt electae.

Mappula ante virgines extendenda ad communionem.

SUPER MENSA PRO UNAQUAQUE ELECTA :

Habitus religionis : cappa vel cuculla.

Velum nigrum ; annulus ; corona.

℣ Habitus, vela, annuli, coronae, sejunctim in quatuor lancibus disponentur.

IN PRESBYTERIO PRO UNAQUAQUE ELECTA :

Sedes et genuflexorium ligneum simplex.

Pulvinar ad litanias adhibendum.

PROPE INTROITUM PRESBYTERII PRO UNAQUAQUE MATRONA :

Sedes et genuflexorium simplex.

℣ SSmum. Sacramentum ab altari maiore amovebitur ante adventum episcopi.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

381 ### ART. 1 — MISSA USQUE AD VIRGINUM CONSECRATIONEM

Episcopus ad ingressum in ecclesia de more recipitur a capellano vel rectore et pergit ad altare majus.

Missa celebrabitur ritu pontificali ad thronum et ad altare, usque ad ultimum versum gradualis vel tractus, vel ad ultimam stropham sequentiae, sive ad ultimum *Alleluia* exclusive, tempore paschali.

Missa dicitur ut in calendario ecclesiae, sed additur collecta, secreta et postcommunio pro virginibus, sub unica conclusione cum oratione diei.

Virgines in choro monialium missae assistunt usquedum interrumpatur.

382 ### ART. II — POSTULATIO ET VOCATIO

Iter pontificis ad altare

1 — Incepto cantu gradualis, acolythi faldistorium locant in medio suppedaneo altaris et a latere epistolae altaris ponunt lances cum vestibus, velis, annulis et coronis. Cantu finito, episcopus, deposito gremiali et accepto baculo, ad altare procedit cum suis ministris.

Facta debita ab omnibus reverentia, pontifex, deposito baculo, ad altare ascendit medius inter sacros ministros, sedet in faldistorio et sacri ministri loca sua mutant.

Diaconi assistentes recedunt ad scamnum, et presbyter assistens se sistit prope introitum presbyterii; ceteri ad abacum recedunt. Pontifex, si utatur mitra pretiosa, eam deponit et assumit simplicem.

Virginum ingressus

2 — Virgines singulariter e monasterio egrediuntur, unaquaeque media inter suas matronas, velis ante faciem dimissis, cum candela exstinta in manu dextera, et accedunt ad ecclesiam, ad cujus januam consistunt.

Invitatio archipresbyteri

3 — Archipresbyter, ad introitum presbyterii et ad virgines versus, cantat antiphonam *Prudentes virgines* etc.; interim caeremoniarius 2us. earum candelas accendit. Virgines, sequentibus suis matronis, ad chorum pergunt, et cum ad quinque passus plus minusve ab introitu chori pervenerint, genua flectunt.

Postulatio

4 — Ministri de libro et scotula, facta genuflexione, ad altare ascendunt, et se sistunt a sinistris pontificis.

Archipresbyter, facta reverentia, ad suppedaneum a latere evangelii ascendit, et ad episcopum aliquantulum se vertens, dicit clara voce sine cantu *Excellentissime* (*vel Eminentissime*) *ac reverendissime Pater* etc.

Interrogat pontifex *Scis illas dignas esse?*

Respondet archipresbyter *Quantum humana fragilitas* etc. (255).

Electio

5 — Pontifex, adhuc sedens cum mitra, eligit virgines consecrandas dicens *Auxiliante Domino* etc.

Vocatio 1.ma

6 — Pontifex virgines vocat in cantu dicens *Venite.*

Tabella cum *Confiteor* in musicis notis.

Hostiae minores in pyxide, tot quot erunt electae.

Mappula ante virgines extendenda ad communionem.

SUPER MENSA PRO UNAQUAQUE ELECTA :

Habitus religionis : cappa vel cuculla.

Velum nigrum ; annulus ; corona.

❯ Habitus, vela, annuli, coronae, sejunctim in quatuor lancibus disponentur.

IN PRESBYTERIO PRO UNAQUAQUE ELECTA :

Sedes et genuflexorium ligneum simplex.

Pulvinar ad litanias adhibendum.

PROPE INTROITUM PRESBYTERII PRO UNAQUAQUE MATRONA :

Sedes et genuflexorium simplex.

❯ SSmum. Sacramentum ab altari maiore amovebitur ante adventum episcopi.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

381 ART. 1 — MISSA USQUE AD VIRGINUM CONSECRATIONEM

Episcopus ad ingressum in ecclesia de more recipitur a capellano vel rectore et pergit ad altare majus.

Missa celebrabitur ritu pontificali ad thronum et ad altare, usque ad ultimum versum gradualis vel tractus, vel ad ultimam stropham sequentiae, sive ad ultimum *Alleluia* exclusive, tempore paschali.

Missa dicitur ut in calendario ecclesiae, sed additur collecta, secreta et postcommunio pro virginibus, sub unica conclusione cum oratione diei.

Virgines in choro monialium missae assistunt usquedum interrumpatur.

382 ART. II — POSTULATIO ET VOCATIO

Iter pontificis ad altare

1 — Incepto cantu gradualis, acolythi faldistorium locant in medio suppedaneo altaris et a latere epistolae altaris ponunt lances cum vestibus, velis, annulis et coronis. Cantu finito, episcopus, deposito gremiali et accepto baculo, ad altare procedit cum suis ministris.

Facta debita ab omnibus reverentia, pontifex, deposito baculo, ad altare ascendit medius inter sacros ministros, sedet in faldistorio et sacri ministri loca sua mutant.

Diaconi assistentes recedunt ad scamnum, et presbyter assistens se sistit prope introitum presbyterii; ceteri ad abacum recedunt. Pontifex, si utatur mitra pretiosa, eam deponit et assumit simplicem.

Virginum ingressus

2 — Virgines singulariter e monasterio egrediuntur, unaquaeque media inter suas matronas, velis ante faciem dimissis, cum candela exstinta in manu dextera, et accedunt ad ecclesiam, ad cujus januam consistunt.

Invitatio archipresbyteri

3 — Archipresbyter, ad introitum presbyterii et ad virgines versus, cantat antiphonam *Prudentes virgines* etc.; interim caeremoniarius 2us. earum candelas accendit. Virgines, sequentibus suis matronis, ad chorum pergunt, et cum ad quinque passus plus minusve ab introitu chori pervenerint, genua flectunt.

Postulatio

4 — Ministri de libro et scotula, facta genuflexione, ad altare ascendunt, et se sistunt a sinistris pontificis.

Archipresbyter, facta reverentia, ad suppedaneum a latere evangelii ascendit, et ad episcopum aliquantulum se vertens, dicit clara voce sine cantu *Excellentissime (vel Eminentissime) ac reverendissime Pater* etc.

Interrogat pontifex *Scis illas dignas esse?*

Respondet archipresbyter *Quantum humana fragilitas* etc. (255).

Electio

5 — Pontifex, adhuc sedens cum mitra, eligit virgines consecrandas dicens *Auxiliante Domino* etc.

Vocatio 1.ma

6 — Pontifex virgines vocat in cantu dicens *Venite.*

Virgines velum ante faciem usque ad oculos elevant et respondent in cantu *Et nunc sequimur;* assurgunt et procedunt usque ad introitum chori, ubi iterum genuflectunt.

Matronae assurgunt cum electis et ad loca sibi parata utrimque extra presbyterium se sistunt.

Vocatio 2.ª

7 — Pontifex canit iterum, vocem elevans ad dimidium toni *Venite.* Virgines, adhuc genuflexae, respondent *Et nunc sequimur in toto corde;* assurgunt et progrediuntur usque ad medium chorum, ubi iterum procumbunt.

Vocatio 3.ª

8 — Pontifex, elevans vocem ad dimidium toni, canit tertio *Venite, filiae, audite me, timorem Domini docebo vos.*

Virgines respondent *Et nunc sequimur in toto corde* etc.; assurgunt et procedunt unum vel duos passus versus pontificem, prosequentes antiphonam, qua finita, omnes prout accesserunt, una simul genua flectunt in corona seu in ordine coram pontifice.

Caeremoniarius 2us. recipit candelas de manibus virginum, et exstinctas prope abacum reponit.

Petitio susceptionis

9 — Virgines genuflexae, faciunt profundam reverentiam capitis, et ita aliquantulum permanent (256). Tunc 1ma. erigens se, sed genuflexa permanens, canit *Suscipe me, Domine* etc.

Facta a 1ma. postulatione, ceterae omnes, alia post aliam, eodem modo se erigentes postulationem suam faciunt, cantantes successive *Suscipe me, Domine,* etc.; deinde omnes assurgunt.

Sermo

10 — Pontifex, si maluerit, brevem sermonem ad electas habebit solemnitati congruum.

Virginitatis propositum

11 — Post sermonem pontifex virgines stantes interrogat communiter dicens *Vultis in sanctae virginitatis proposito perseverare?* Singulae eodem tempore respondent *Volumus,* ac se sistunt una post aliam.

Prima, facta genuflexione, ad supremum altaris gradum ascendit, genua flectit, et, immissis manibus junctis inter manus pontificis, ipse interrogat eam dicens *Promittis te virginitatem perpetuo servare?* Respondet illa *Promitto.* Pontifex dicit *Deo gratias.*

Virgo manus suas e manibus pontificis extrahit, cujus annulum deosculatur; assurgit, se vertit super dexteram suam, in planum descendit, et ad locum ubi erat revertitur.

2.ª virgo, facta genuflexione, ad altare ascendit et proceditur ut de 1ma. dictum est; deinde ascendunt ceterae, et pro singulis fit similiter.

Petitio consecrationis

12 — Postquam ultima ad locum suum sit reversa, omnes una simul genuflectunt, et episcopus eas interrogat communiter dicens *Vultis benedici et consecrari, ac Domino nostro Jesu Christo, Summi Dei Filio desponsari?* Et omnes respondent *Volumus.*

Archipresbyter, officio suo in hac consecratione expleto, debita cum reverentia ad scamnum ministrorum recedit, vel ad scabellum a latere evangelii.

383 ART. III — LITANIAE ET VESTIUM BENEDICTIO

Litaniae

1 — Acolythi locant pulvinaria ante virgines, quae se prosternunt in corona sive in ordine ante gradus altaris, ita ut pulvinar sit subtus brachia et caput; matronae duae, ad hoc vocatae, vestes earum apte disponant, si necesse sit.

Pontifex assurgit, ad altare se vertit cum sacris ministris, qui loca sua mutant, et genuflectit super pulvinar a caeremoniario 1mo. ante faldistorium positum, omnibus genuflectentibus.

Minister de libro pontificale tradit caeremoniario 1.°, super faldistorium ponendum, et recedit cum candeligero.

Cantores duo in medio presbyterio, congruo spatio post virgines, vel a latere epistolae, litanias incipiunt et prosequuntur sine duplicatione, usque ad *Ut omnibus fidelibus defunctis* inclusive. Diagramma XXIX.

Virginum benedictio

2 — Caeremoniarius 1us. pontificale e faldistorio sumit et ministro tradit, qui, facta una cum candelifero genuflexione, se sistunt a sinistris pontificis.

Pontifex assurgit, se vertit cum suis ministris, qui loca sua mutant, et, accepto baculo sinistra, canit invocationes duas PR, dextera electis benedicens cum dicit *benedicere* vel *sanctificare*...

Litaniarum complementum

3 — Reddito baculo ministro, pontifex iterum ad altare se vertit cum suis ministris, qui loca sua mutant, et genua flectit ut prius; pontificale super faldistorium reponitur ac recedunt ministri de libro et scotula.

Cantores, litanias reassumentes, ad finem usque prosequuntur.

Litaniis cantatis, virgines a prostratione assurgunt, sed remanent flexis genibus suis locis et acolythi pulvinaria amovent.

Veni Creator

4 — Diaconus tollit mitram episcopo, caeremoniarius 1us. aufert pileolum, et episcopus intonat hymnum *Veni, Creator,* quem schola prosequitur, alternantibus duobus cantoribus in medio choro.

Finita 1ma. stropha, caeremoniarius 1us. pileolum episcopo reponit, qui assurgit, surgentibus omnibus, et ita remanent quousque cantus finiatur.

Benedictio vestium

5 — Finito hymno, episcopus se vertit cum suis
ministris, qui loca sua mutant, et sedet paulisper.
sumit lancem cum vestibus virginum benedicendis
Acolythus 1mus ulum aquae lustralis, et cum ministris de libro et
et thuriferarius v altaris accedunt et genuflectunt; minister aquae lus-
scotula ad medi sus dexteram diaconi, ministri de libro et candela ante
tralis se sistit us ejus sinistram, acolythus cum lance versus ejus dex-
episcopum t.
teram con t episcopus et vestes virginum benedicit dicens (clara voce
As u) orationes tres *Deus aeternorum bonorum; Domine Deus,*
sine n *virtutum* et *Exaudi... et has vestes,* dextera vestes benedicens
bo icit *benedicere* vel *sanctificare;* deinde, accepto hyssopo a diacono,
aspergit.

Ministri de libro et scotula et de aqua lustrali, facta genuflexione, ad abacum recedunt et acolythus cum vestibus in lance se sistit versus dexteram diaconi.

Traditio vestium

6 — 1ma. virgo, facta genuflexione, ad supremum altaris gradum ascendit et genua flectit in ora suppedanei.

Episcopus, accepta cuculla seu cappa, vel etiam scapulari cum zona, si vigeat usus, virginem induit, adjuvante caeremoniario 1mo.

Virgo, sacris induta vestibus, assurgit, ad dexteram se vertit, et in planum ad locum suum redit et exspectat stans.

Ascendit altera, deinde ceterae, et pro singulis fit similiter; demum electae aliquantulum recedunt: quae a dextris ad dexteram, quae a sinistris ad sinistram et acolythus ad abacum redit.

❯ Si necesse sit, matrona una ad altare accedit et episcopum adjuvat in vestitione, et, ea finita, ad locum suum extra presbyterium redit.

Benedictio velorum

7 — Acolythus 1mus. sumit lancem cum velis; acolythus 2us. lancem cum annulis; minister de gremiali lancem cum coronis, et thuriferarius vasculum aquae lustralis, et omnes a latere epistolae prope abacum consistunt.

Minister aquae lustralis et acolythus cum velis cum ministris de libro et scotula ad medium altaris accedunt et genuflexionem episcopo et cruci conficiunt: minister aquae se sistit versus dexteram diaconi, ministri de libro et scotula ad altare ascendunt et se sistunt versus sinistram episcopi.

Acolythus cum velis in lance genua flectit in infimo altaris gradu et episcopus vela benedicit cum orationibus *Suppliciter te, Domine* et *Caput omnium fidelium, Deus,* crucem faciens cum dicit *benedictio* vel *sanctifica* deinde, accepto hyssopo, vela aspergit. Acolythus assurgit, ad latus epistolae altaris ascendit, lancem cum velis super altare locat et recedit (257).

Benedictio annulorum

8 — Accedit acolythus cum annulis in lance, genua flectit in infimo altaris gradu et episcopus benedicit annulos dicens *Creator et conservator humani generis,* dextera illos benedicens cum dicit *benedictionem;* deinde accepto hyssopo a diacono, annulos aspergit. Acolythus assurgit, ad latus epistolae altaris ascendit, lancem super illud ponit et recedit.

Benedictio coronarum

9 — Minister cum coronis in lance genua flectit in infimo altaris gradu et episcopus coronas benedicit dicens *Benedic, Domine;* deinde, accepto hyssopo, eas aspergit, reddit hyssopum diacono, sedet, et induitur mitra. Minister assurgit, ad latus epistolae altaris ascendit, lancem cum coronis super altare ponit et recedit; ministri de libro, scotula et aqua lustrali, facta genuflexione, ad abacum redeunt.

Interim omnes sedent et aliquantulum pausatur.

384 ART. IV — CONSECRATIO VIRGINUM

Regnum mundi.

1 — Cum omnia parata sunt, virgines, velis usque ad oculos elevatis, cantant responsorium *Regnum mundi.*

Ad medium altaris accedunt, et, facta genuflexione una simul cruci et episcopo, se sistunt in corona seu in ordine, ante pontificem et genua flectunt.

℣ Si virgines cantum non calleant, responsorium a duobus monialibus ad crates cantabitur et virgines illud submissa voce recitabunt, quod servabitur etiam pro sequentibus antiphonis ab ipsis canendis (258).

Oratio introductoria ad praefationem

2 — Ministri de libro et scotula se sistunt ante pontificem, qui, deposita mitra, assurgit, et canit junctis manibus orationem introductoriam ad praefationem *Respice, Domine.*

Praefatio consecratoria

3 — Cum dicit *Per omnia saecula,* pontifex elevat vocem in tono simplici praefationis, et, extensis manibus ante pectus, canit praefationem consecratoriam. Conclusionem *Per Dominum nostrum* pontifex dicit submissa voce sine cantu, ita tamen ut a circumstantibus audiatur.

Finita praefatione, sedet pontifex et accipit mitram; assurgunt virgines, et aliquos passus recedunt hinc et hinc ubi erant prius, ita ut sequentes ritus videri possint a fidelibus, et iterum genuflectunt.

Caeremoniarius 2us. matronas vocat, et eas retro post virgines disponit.

Vocatio ad velationem

4 — Episcopus assurgit, retenta mitra, et intonat responsorium *Veni, electa mea,* sedet iterum dum schola illud canit, et, eo finito, assurgunt virgines.

Responsio virginum

5 — Duae 1mae. virgines cum suis paranymphis utrimque se sistunt in medio ante gradus altaris, et paranymphae cum illis genua flectunt quasi illas pontifici praesentantes, et sic permanent. Virgines duae cantant antiphonam *Ancilla Christi sum.*

Iteratio propositi

6 — Finito cantu, pontifex virgines duas ante se genuflexas interrogat dicens *Vultis persistere in sancta virginitate, quam professae estis?* Et illae simul respondent *Volumus,* et una cum matronis assurgunt.

Velatio

7 — Acolythus 1mus. sumit ex altari lancem cum velis, et, debita cum reverentia, transit ad latus evangelii, et se sistit prope diaconum.

Virgines duae solae ad supremum gradus altaris ascendunt, et genua flectunt in ora suppedanei.

Diaconus tradit episcopo velum 1mae. virginis explicatum, qui illud super caput ejus ponit, ita ut pendeat super scapulas, super pectus et usque ad oculos exclusive, dicens *Accipe velamen sacrum* etc. Et virgo respondet *Amen.* Deinde pontifex, accepto velo 2ae. virginis a diacono, illud, eodem modo et cum repetitione ejusdem formulae, virgini imponit.

Virgines assurgunt, se vertunt, quae a dextris ad dexteram, quae a sinistris, ad sinistram, in planum descendunt, et genua flectunt ubi erant prius.

Matronae velum nigrum apte disponunt, et amovent album, quod subtus nigrum remansit; deinde virgines duae cantant antiphonam *Posuit signum.*

Finito cantu, virgines duae assurgunt, et, cum matronis suis, conficiunt genuflexionem cruci et episcopo una simul, ac recedunt aliquantulum (ut in fine praefationis) ubi exspectant stantes.

Repetitio pro ceteris

8 — Accedunt duae virgines sequentes cum suis matronis, ante episcopum genuflectunt, sicut de primis dictum est, antiphonam *Ancilla Christi sum* cantant, et cetera faciunt sicut fecerunt duae 1mae. usque ad repetitionem antiphonae *Posuit signum* inclusive, et recedunt; accedunt duae ultimae si aderint, et pro illis fit similiter.

Oratio ad complendam velationem

9 — Virgines omnes iterum se sistunt in medio ante gradus altaris, et genua flectunt, matronae tamen remanent retro post eas.

Episcopus, deposita mitra, assurgit et canit *Dominus vobiscum;* responso a schola *Et cum spiritu tuo,* pontifex canit collectam *Famulas tuas* ad ritum velationis complendum, et, ea finita, sedet et accipit mitram.

Cantata oratione, virgines assurgunt, et, facta genuflexione, recedunt aliquantulum (sicut in fine praefationis) et exspectant stantes.

Vocatio ad desponsationem

10 — Pontifex stans intonat antiphonam *Desponsari,* quae a schola completur et statim sedet.

Acolythus 2us. lancem cum annulis ex altari sumit, et, debita cum reverentia, transit ad latus evangelii, ubi se sistit prope pontificem et genua flectit.

Duae 1mae. virgines cum suis matronis accedunt, et, facta genuflexione una simul cruci et episcopo, ascendunt ipsae solae et genua flectunt in ora suppedanei.

Desponsatio

11 — Episcopus sumit e lance annulum 1mae. virginis dextera sua, et sinistra sua sumit dexteram virginis, deinde mittens annulum digito annulari dexterae manus (259), desponsat illam Jesu Christo dicens *Desponso te Jesu Christo* etc., ter illi dextera benedicens. Virgo respondet *Amen.*

Episcopus eodem modo et cum repetitione ejusdem formulae, 2am. virginem desponsat.

Assurgunt virgines, se vertunt ut prius, et, in plano iterum genuflexae, decantant antiphonam *Ipsi sum desponsata.*

Cantata antiphona, virgines et matronae assurgunt et recedunt ut prius.

Repetitio pro ceteris

12 — Duae virgines sequentes si aderint, cum suis matronis, ad altare accedunt, et pontifex eas eodem modo desponsat; cantata antiphona *Ipsi sum desponsata* recedunt ad loca sua; accedunt duae ultimae si aderint et procedunt sicut primae.

Desponsationis ratificatio

13 — Cum omnes fuerunt desponsatae et e medio altari aliquantulum recesserint, ad invicem se vertunt, genuflectunt, elevant dexteras suas aequaliter, et cantant antiphonam *Annulo suo,* qua finita manus ante pectus jungunt.

Pontifex, accepto baculo, assurgit, retenta mitra, et cantat invocationem *Benedicat vos conditor caeli et terrae* etc., dextera virginibus benedicens ad desponsationem complendam et, ea finita, reddit baculum ministro, et ita clauditur desponsationis ritus. Dum haec fiunt matronae remanent stantes retro post virgines.

Vocatio ad coronationem

14 — Pontifex intonat antiphonam *Veni, sponsa Christi,* quae a schola completur, et sedet.

Coronatio

15 — Minister de gremiali, accepta lance cum coronis ex altari et facta in plano genuflexione, ad latus evangelii ascendit et se sistit prope diaconum.

Duae primae virgines cum suis matronis, ordine tradito pro desponsatione, ad medium altaris accedunt, et, facta genuflexione, ascendunt ipsae solae et genua flectunt in ora suppedanei.

Diaconus tradit episcopo, sine osculis, coronam 1mae. virginis, quam capiti ejus imponit dicens *Accipe coronam* etc., et virgo respondet *Amen.*

Deinde eodem modo et cum eadem formula, pontifex coronat 2am. virginem.

Virgines duae assurgunt, in planum descendunt, ibique genuflexae cantant antiphonam *Induit me Dominus.*

Finita antiphona, virgines duae, cum suis matronis, aliquantulum recedunt et exspectant stantes.

Repetitio pro ceteris

16 — Accedunt aliae duae virgines cum matronis suis, et procedunt sicut primae; postea ibunt duae ultimae, si aderint, et pro illis fit similiter.

Cum omnes ad loca sua pervenerint, stabunt, faciebus ad invicem versis et junctis manibus, matronis retro post ipsas stantibus.

Complementum coronationis

17 — Pontifex, deposita mitra, assurgit, et cantat *Dominus vobiscum;* responso a choro *Et cum spiritu tuo,* cantat collectam *Da quaesumus* super virgines stantes et coronatas, et ita concluditur ritus incoronationis; sedet paulisper, sed non accipit mitram.

❯ Si virgines consecrandae essent numero impari, tres ultimae vel tres unicae simul ascendunt, primo pro velatione, iterum pro desponsatione, et tertio pro incoronatione.

❯ In ordine Carthusianarum hic ad monialium *initiationem* proceditur (260).

Consecrationis conclusio

18 — Virgines se sistunt in corona seu in ordine coram pontifice, et genua flectunt; pontifex assurgens canit collectam *Te invocamus* ad totam consecrationem claudendam, et, ea finita, sedet.

Assurgunt virgines et cantant antiphonam *Ecce quod concupivi,* quasi gratias agentes de recepta consecratione, et, ea finita, iterum genuflectunt.

Benedictiones finales

19 — Episcopus assurgens recitat clara voce super virgines, stantes et mediocriter inclinatas, benedictionem *Deus plasmator corporum,* et, ea finita, virgines se erigunt (261).

Finita oratione, sedet pontifex et induitur mitra a diacono dum virgines genua flectunt.

Pontifex deinde, accepto baculo, assurgit, et super virgines consecratas recitat clara voce sine cantu benedictionem *Benedicat vos... omni benedictione* dextera ter illis benedicens, et, ea finita, sedet paulisper, et recedunt ministri de libro et scotula (262).

Virgines et matronae, facta episcopo et cruci una simul genuflexione, recedunt: virgines ad sedes suas intra presbyterium, matronae vero extra presbyterium vel prope ejus introitum, ubi remanent donec virgines ab ecclesia recedunt.

☽ Anathematizatio finalis *Auctoritate omnipotentis Dei*, mutatis temporibus et usibus Ecclesiae, omittitur.

385 ART. V — MISSAE CONTINUATIO

Iter pontificis ad thronum.

1 — Cum recedunt virgines, assurgit pontifex et in planum descendit cum sacris ministris; presbyter et diaconi assistentes ad altare accedunt, isti a tergo episcopi, ille a dextris diaconi; ministri insignium se sistunt post diaconos assistentes, libriger missale portans loco pontificalis; facta ab omnibus debita reverentia cruci, ad thronum accedunt, et sacri ministri ad scamnum recedunt; interim amovetur faldistorium ab acolythis.

Continuatio missae.

2 — Ad thronum pontifex missam reassumit inde ab ultimo versu gradualis vel tractus, sive ab ultimo *Alleluia*, seu ab ultima stropha sequentiae prout tempus fuerit, et de more missam prosequitur usque ad versum offertorii inclusive.

Virgines in locis suis missam sequuntur.

Oblatio candelarum.

3 — Versus finem *Credo*, acolythi candelas cum quibus virgines primo accesserunt, eis distribuunt et accendunt.

Lecto offertorio ab episcopo, recedunt ministri de libro et scotula, et accedit minister cum gremiali linteo, cum quo cooperitur gremium episcopi; acolythus 1mus. locum sumit a dextris 1mi. diaconi throni.

Virgines, alia post aliam, velis ante faciem dimissis, facta altari genuflexione, ad thronum accedunt. Prima, facta genuflexione episcopo, ad thronum ascendit, et, flexis genibus in superiore gradu, candelam accensam ipsi tradit, et annulum ejus deosculatur.

Pontifex candelam 1mo. diacono throni tradit, hic acolytho; virgo assurgit, se vertit super sinistram suam, in planum descendit, et genuflectit cum 3.ª virgine ascendente, et ad locum suum recedit.

2.ª virgo genuflectit cum assurgit 1ma., ad thronum accedit, et omnes faciunt prout de 1ma. dictum est.

Acolythus candelas extinguit, et redit cum illis ad abacum. Vide notam 79.

Lotio manuum episcopi

4 — Facta oblatione candelarum, episcopus, depositis annulo et chirothecis, lavat manus; quibus abstersis, annulum iterum accipit et gremiale linteum amovetur.

Continuatio missae.

5 — Pontifex ad altare accedit cum suis ministris solito more ad missam celebrandam.

Ad offertorium subdiaconus ad altare portat pyxidem cum hostiis consecrandis.

Pontifex dicit secretam pro virginibus sub unica conclusione cum secreta missae.

Virgines thurificantur a diacono post thurificationem subdiaconi, sed pax eis non datur.

Clerici cum funalibus recedunt post communionem virginum tantum.

Communio.

6 — Virgines ad medium presbyterium accendunt et genuflectunt in plano; acolythi se sistunt utrimque in suppedaneo tenentes mappulam explicatam. Diaconus a latere epistolae *Confiteor* nomine virginum cantat.

Post absolutionem virgines ad suppedaneum accedunt et pontifex eis Eucharistiam praebet adhibens formulam RR, et unaquaeque, accepta hostia, assurgit et ad sedem suam redit.

Tempore communionis diaconus pyxidem sustinet et subdiaconus patenam.

Ad loca sua reversae et genuflexae, cantant virgines antiphonam *Mel et lac.*

Conclusio missae.

7 — Pontifex, finita communione, sumit ablutiones, lavat manus et prosequitur missam, advertens ut dicat postcommunionem pro virginibus sub unica conclusione cum postcommunione missae.

Benedictione solemni impertita, presbyter assistens indulgentias consuetas legit, deinde una cum diaconis assistentibus throni, facta reverentia

cruci debita, ad scamnum recedit; caeremoniarius 2us. missale ab altari amovet.

386 ART. VI — TRADITIO BREVIARII ET GRATIARUM ACTIO

Traditio breviarii

1 — Virgines ante medium altare accedunt ipsae solae, et binae genuflexionem cruci et episcopo conficiunt, deinde genua flectunt in corona ante episcopum.

Ministri de libro et scotula, facta genuflexione, ascendunt versus sinistram episcopi, qui, deposita mitra (nisi sit metropolita), et ad virgines versus, cantat *Dominus vobiscum;* responso a choro *Et cum spiritu tuo,* canit orationem *Exaudi, Domine,* dextera virginibus benedicens ut bene valeant officium commissum exsequi.

Acolythi faldistorium locant in medio suppedaneo, ubi sedet pontifex et accipit mitram.

Caeremoniarius 1mus. super gremium pontificis ponit breviarium sive psalterium formae maioris; assurgunt virgines, et coram altari binis genuflectentibus, ad suppedaneum accedunt, ubi, ambabus manibus librum tangentibus, dicit eis pontifex *Accipite librum* etc., ter illis benedicens, et ipsae respondent *Amen.* Accedunt aliae duae, si aderint, et pro singulis fit similiter.

Virgines assurgunt, se vertunt, quae a dextris ad dexteram, quae a sinistris ad sinistram, in planum descendunt, et, facta genuflexione, ad loca sua redeunt velis ante faciem dimissis.

Facta traditione, caeremoniarius 1us. breviarium e gremio pontificis amovet et ministri de libro et scotula, facta debita genuflexione, recedunt; qui de libro pontificale super legile seu cussinum a latere epistolae locat, et qui de scotula eam prope ipsum ponit, et ambo ad abacum se sistunt.

Gratiarum actio

2 — Pontifex, deposita mitra, assurgit et pergit ad latus epistolae altaris; sacri ministri se sistunt unus post alium retro post eum; presbyter assistens pergit ad dexteram pontificis prope librum.

Interim acolythi faldistorium amovent.

Pontifex, stans juxta librum, intonat hymnum *Te Deum,* quem schola usque ad finem prosequitur (263).

Ad versum *Te ergo quaesumus,* caeremoniarius 1mus. cussinum ante episcopum locat et omnes genuflectunt ubi se sistunt.

Finito hymno, cantores duo de choro cantant versum *Confirma hoc, Deus;* responso a choro *A templo sancto tuo,* pontifex canit collectam *Actiones nostras,* ad gratiarum actionem complendam.

Virginum discessus

3 — Faldistorium in suppedaneo reponitur, et ibi sedet pontifex; sacri ministri se sistunt utrimque et presbyter assistens a dextris diaconi, versus latus evangelii; minister de libro amovet pontificale cum legili ex altari et minister de candela, candelam.

Cum sedet episcopus, diaconus ei imponit mitram pretiosam et minister de baculo ei tradit baculum.

Virgines cum suis matronis pergunt binae in medium ante altare, et, facta simul genuflexione episcopo et cruci, ad monasterium redeunt.

Ad januam monasterii virgines vela ante faciem elevant, matronis suis gratias agunt, ab abbatissa cum suis monialibus recipiuntur, ac processionaliter ad chorum procedunt.

Traditio virginum abbatissae

4 — Cum processio monialium ad chorum pervenerit, abbatissa se sistit ad crates chori, et genua flectit cum suis monialibus modo consecratis.

Ministri de libro et scotula se praesentant, et episcopus, ad chorum monialium aliquantulum se vertens, dicit ad abbatissam *Vide quomodo* etc., et recedunt ministri de libro et scotula (264).

Ultimum evangelium

5 — Pontifex, si sit metropolita, reddito baculo et deposita mitra, sacrum deponit pallium, quod super altare reponitur; si vero non sit metropolita, deposita mitra et reddito baculo, assurgit, et ad latus evangelii incipit evangelium sancti Joannis dicens *Dominus vobiscum,* vel ad altare legit evangelium proprium si erit dicendum; et amovetur faldistorium e suppedaneo.

Discessus episcopi

6 — Pontifex, iterum acceptis mitra et baculo, de altari descendit, et, sueto more pergit ad thronum, ubi, sacris dimissis vestibus et gratias Deo datis, recedit in pace.

❯ In locutorio monasterii abbatissa et virgines modo consecratae gratias pontifici agunt de recepta consecratione, et cucullas sive cappas et coronas per totum diem conservant.

TITULUS III

RITUS ALIQUANDO SERVANDI

CAPUT I

387 CONSECRATIO MONIALIUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

❯ In consecratione monialium ordinis sancti Benedicti sequentes fiunt mutationes in ritu PR (265).

1 — Hora tertia solemniter cantata, ordinatur processio episcopi et cleri, praecedente cruce cum ceroferariis, ad januam clausurae, sonantibus organis et campanis.

2 — Cum processio ad altare regreditur, electae, inter suas paranymphas, procedunt immediate ante ministros episcopi; interim cantatur hymnus *Jesu, Corona Virginum.*

3 — Ad ingressum presbyterii, pontifex pergit ad thronum, ubi, deposito pluviali, induit vestes sacras pro missa pontificali; electae vero recedunt ad genuflexoria, ubi aderunt candelabra ad earum cereos firmandos, ibique totam missam audiunt.

4 — Postulatio et electio *Auxiliante Domino* omittuntur.

5 — Post tertiam responsionem *Et nunc sequimur* cerei virginum accensi super candelabra ponuntur; omissa oblatione *Suscipe me,* fiunt interrogationes duae de servanda virginitate, et, postquam omnes manum pontificis osculatae sint, moniales singulariter solemnem professionem emittunt, legentes, ceteris ostendentes, et subscribentes chartulam professionis, (pro qua res necessariae erunt praeparandae); in fine pontifex cantat cum mitra invocationem *Oremus, fratres carissimi, ut quod sorores istae ore professae sunt, opere feliciter compleant, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia saecula saeculorum.* Schola respondet : *Amen.*

6 — Statim proceditur ad oblationem virginum quo sequitur modo.

Virgines stant coram pontifice, et, extensis manibus ante pectus, elevatisque oculis, cantant simul *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum et vivam.*

Genuflectunt, manus ante pectus jungunt, caput inclinant, et prosequuntur *Et non confundas me ab exspectatione mea.*

Secundo et tertio procedunt eodem modo, et toties vocem elevant.

In fine chorus monialium canit *Gloria Patri.*

7 — Incipitur consecratio virginum ab interrogatione *Vultis benedici* etc. ut in PR. Post litanias omittitur *Veni, Creator.*

8 — Pontifex benedicit cucullas cum orationibus tribus pro vestibus, easque aspergit.

9 — Cantatur hymnus *Veni, Creator,* sed, finita prima stropha, sedet pontifex et tradit singulis cucullam dicens *Accipe habitum sancti Patris Benedicti, quo induta, in stabilitate promissa, conversione et obedientia, Deo et sanctis Angelis, Sanctisque ejusdem habitus, in aeterna societate conjungaris.*

10 — Cetera, a benedictione velorum n. 383, 7, usque ad traditionem breviarii, n. 386, 1, fiunt ut in titulo II habetur.

11 — Pontifex intonat hymnum *Te Deum* ante gradus altaris, et statim ordinatur processio, ordine quo venit in initio, ad januam monasterii; interim cantatur hymnus. Cum virgines clausuram ingressae fuerunt, cantatur versus *Confirma hoc, Deus,* et pontifex ibidem canit orationem *Actiones nostras.*

12 — Pontifex tradit electas abbatissae dicens formulam *Ecce praesentes sistuntur* etc. ut in Rituali Ordinis.

13 — Ad altare rediens, pontifex recitat initium evangelii sancti Joannis, nisi evangelium proprium sit dicendum ad altare.

14 — Moniales pergunt processionaliter ad chorum, electae ante abbatissam, cantantes ps. 121 *Laetatus sum;* post versum *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu,* abbatissa canit orationem *Deus cujus misericordiae,* sed in fine huius orationis et post *Actiones nostras,* conclusiones breves sunto.

CAPUT II

388 CONSECRATIO MONIALIUM ORDINIS SANCTI NORBERTI

› In consecratione monialium Ordinis Sancti Norberti sequentes fiunt mutationes in PR.

Nn. 1, 2, 3, 4, ut supra pro monialibus benedictinis.

5 — Vestibus benedictis, electae singulariter ad praelatum coram altari accedunt, qui, adjuvantibus matronis, illas vestibus induit modo benedictis, videlicet: zona, scapulari et cappa.

6 — Sequitur ritus PR usque ad anathema exclusive.

7 — Missa a praelato continuabitur usque ad incensationem oblatarum exclusive.

8 — Fit solemnis et prolixa monialium professio juxta Rituale Ordinis, eaque expleta, praelatus unicuique tradit almutium in signum societatis inter alias canonicissas et singulae praelato obedientiam spondent; demum singulae praelato candelam dant.

9 — Ritus communionis et traditionis breviarii fit ut in PR.

10 — *Te Deum* cantatur prout de monialibus benedictinis dictum est, n. *387,* 11, sed post ultimum evangelium. Post collectam *Actiones nostras* praelatus virgines abbatissae tradit recitans formulam seu exhortationem in vernaculo.

11 — Praelatus cum suo clero ad sacrarium redit et sacras dimittit vestes.

12 — Moniales processionaliter ad chorum redeunt, ordine superius tradito, n. *387,* 14 sed, cantato primo verso hymni *Veni, Creator,* electae ad subsellia sua ab abbatissa ducuntur. Sequitur osculum pacis, demum hebdomadaria recitat orationem *Praetende, Domine.*

› Ritus vestitionis et professionis monialium vel sororum aliquando pontificali ritu peragitur. Vide tom. III, n. *298.*

NOTAE AD SECTIONEM VII

(239) Propterea alicubi scripsit Angelicus: "Quia haec consecratio est spiritualis quaedam desponsatio cum Christo, per quam repraesentatur desponsatio ipsius Christi cum Ecclesia, quoad illius incorruptionem, ideo solus episcopus, cui Ecclesiae cura committitur, virgines desponsat, quasi sponsi paranymphus". Et alibi: "Ipse solus (episcopus) virgines benedicit, quae figuram gerunt Ecclesiae Christo desponsatae, cujus cura ipsi principaliter committitur". Sum. Theol. supl., q. 38, art. I.

(240) De Privilegio abbatum hac de re consule Hofmeister *Mitra und Stab der wirklichen Prälaten ohne bischöflichen Charakter,* Stuttgart 1928 pg. 96. Dubitare tamen licet an privilegium Urbani II Cavae datum adhuc vigeat per communicationem penes abbates benedictinae confoederationis. Certe tale privilegium, praerogativas episcoporum infringens, eis a CJC concessum non fuit; sed exstant praeterea casus de delegatione simplicis sacerdotis ab abbatibus ad consecrationem virginum peragendam, ex eo quod *professio* tantum nuncupatur, erronea certe legis interpretatio; nam SRC ad quaesitum "An liceat praelatis inferioribus, ex indulto Apostolico habentibus usum pontificalium, benedicere sanctimoniales de licentia ordinarii absentis vel impediti?" *non licere* edixit. D. 1987. Agitur enim de vetusto Ecclesiae usu, nam sic legis in Concilio Carthaginiensi, c. 3 "Ab universis episcopis dictum est: chrismatis confectio et puellarum consecratio a presbyteris non fiant..." Mansi III, 693. Flor. pat. XLII, pg. 43. Vide n. *39*.

(241) Consecratio virginum essentialiter consistit in oratione praefatoria *Castorum corporum benignus habitator* cum illa introductoria *Respice, Domine,* tamquam forma, et impositione veli tamquam materia: propterea in antiquis ordinibus consecratio frequenter *velatio* vocabatur; qui praecedunt ritus sunt praeparatorii; desponsatio et coronatio, quae sequuntur, sunt minoris momenti relate ad velationem; utraque tamen antiquissima est; sic enim legitur in PR saeculi XII *Juxta antiquum morem romanorum, huiusmodi virginibus consecratis dabat episcopus annulum dicens...* sequitur formula PR, sed sine verbis *Desponso te* quae recentiora sunt. Andrieu tome I, pg. 162. Verbum *Consecrare* ad litanias et alibi omittitur, tamen verba *consecratio virginum* tota traditione confirmantur. Sic enim legis in "Statuta Ecclesiae antiqua" c. 12 *Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem suo episcopo offertur.* Mansi III, 952. Flor. pat. fasc. XLII, pg. 43. Andrieu tome I, pg. 154, 159; tome II, pg. 414.

(242) Consecratio virginum PR non est cum professione religiosa, nec cum virginitatis voto confundenda; nam in antiqua disciplina Ecclesiae votum, seu, uti

aiebant, virginitatis propositum, praerequirebatur; in actuali disciplina, etiam status religionis professae praerequiritur. Unde consecratio virginis plus est quam votum virginitatis, et plus quam professio solemnis.

Professio religiosa actus est personalis voventis, ex parte Ecclesiae fit tantum acceptatio, propterea quolibet modo fieri potest, juxta diversas religiones, et solet fieri etiam in manibus superiorissae, quae certe jurisdictione in Ecclesia minime gaudet et antiquitus saepissime fiebat cum ipsa susceptione habitus religionis vel simplici commoratione in monasterio, quaeque implicita dicebatur. Mutatis mutandis, idem dicendum est de voto virginitatis. Consecratio virginum, contra, est actus a legitimo ministro Ecclesiae positus, quae, cum solemni prece, virginem velat et Deo consecrat. Oratio Ecclesiae est natura sua constitutiva et perpetua, licet non imprimatur character in anima recipientis.

Praeterea ad professionem religiosam emittendam juxta Tridentinum (Sess. XXV, cap. XV) sufficiebat aetas sexdecim annorum, quando de firmo proposito dubitare frequenter licebat; anno sexto decimo expleto virgo quae professionem emiserat, novem praeterea integros annos exspectare debebat ut ad consecrationem admitteretur. CJC (573) edixit aetatem anni unius super viginti ad professionem solemnem emittendam, sed non mutavit jus PR de aetate viginti quinque annorum (vigesimo sexto incepto) pro consecratione, quod quidem ad valorem certo requiritur. PR antiquissimum Ecclesiae jus tradit, legitur enim in Concilio Hipponensi *ut ante XXV aetatis annos... nec virgines consecrentur.* Mansi III, 920. Flor. pat. fasc. XLII, pg. 43.

(243) Ante fundationem ordinum mendicantium, consecratio virginum erat fere ubique recepta tamquam necessarium complementum vitae monialium; ante consecrationem licebat, de permissu episcopi, ad saeculum redire; unde rubrica PR facit episcopum *diligenter inquirere si voluntatem et propositum servandae virginitatis habeant;* admittit proinde casum de dispensatione super votum emissum concedenda; in dubio de firmo proposito, ad consecrationem non erit procedendum, cum hypothesis de voti violatione post consecrationem ab Ecclesia non admittatur, nam toti ritui consecrationis opponitur; propterea praecipitur a PR ut virgo interrogetur ab episcopo circa propositum suum: 1mo. pridie consecrationem singulariter ac secrete; 2do. in initio functionis, 3.° et ultimo immediate ante velationem.

(244) Rationes cur consecratio virginum apud moniales obsolevit ad sequentes reduci possunt:

1) Receptio viduarum, et forsitan aliquando etiam paenitentium, ex quo ortum habuit distinctio inter moniales quibus danda vel deneganda erat consecratio, ad detrimentum regularis observantiae; id explicat cur consecratio in ordine Carthusianarum permansit constanter, nam virgines dumtaxat admittuntur.

2) Approbatio ordinum mendicantium, qui consecrationem solemnem nunquam admiserunt; postea congregationum votorum simplicium, quibus consecratio nequibat dari.

3) Solemnitas ritus: consecratio, desponsatio, coronatio, nimis erat pro capitibus multarum puellarum, quae fortasse putabant se ita solemni modo Christo Jesu uniri, ut in statu gratiae se esse constitutas non dubitarent: antiphona *Ecce quod concupivi* virgines quodammodo in statu gratiae firmat et in caelis coronat.

4) Egressus e clausura: praesertim post Concilium Tridentinum, clausura monialium severissimis paenis circumdata fuit, et egressus monialium, licet ad consecrationem recipiendam, uti violatio ejusdem habebatur; propterea Sanctus Carolus Borromeus decrevit ut virgines consecrarentur intra clausuram, seu ad oratorium aliquod internum; haec ratio agendi tamen opponitur ritui PR, et licet Sanctus Carolus praeceptum dederit de consecratione virginum iterum introducenda, tamen Mediolani recepta non fuit, saltem permanenter, cum conditio ab eo posita reassumptioni ritus se opponeret. Conc. Med. Prov. VI, pars 3.ª AEM vol. II, col. 485.

(245) Congregationes monasticae quae benedictionem, inde a pluribus saeculis, recipiebant sunt omnes Sancti Benedicti. Hodie consecrantur moniales benedictinae congregationum Angliae, Brasiliensis, Beuronensis, Solesmensis, et ritus paulatim ad ceteras congregationes se extendit, licet fiat simul cum professione solemni. Cistercienses regulae Sancti Benedicti inde a pluribus saeculis consecrationem reliquerunt. Carthusianae sancti Brunonis fidelissime semper servaverunt usum recipiendi consecrationem, qui quidem usus jam exstabat apud sorores civitatis Baioli, comitatus Vindoscini, priusquam moniales illae, regula sancti Benedicti relicta, Sanctum Brunonem sequutae sunt. Vide notam 260.

(246) Canonicissae regulares lateranenses, sancti Norberti vel sancti Augustini, non solent consecrari; consecrantur tamen filiae Sancti Norberti monasterii Sanctarum Mariae et Annae *de Beaulieu,* aliaeque e Gallia.

(247) Ordines mendicantes monialium sunt hi: Dominicanae; Franciscanae minores, Conventuales, Cappucinae; Augustinianae eremitae et recollectae; Carmelitanae; SSmae. Trinitatis; Mercedariae; Servarum Mariae; Minimae sancti Francisci de Paula.

(248) Moniales Visitationis Sancti Francisci Salesii frequenter inter viduas adnumerantur, nec horas canonicas recitant, propterea non consecrantur.

(249) Vota solemnia, in illis institutis ubi aequivalent votis simplicibus, receptionem consecrationis non impediunt; ita accidit apud moniales Sancti Brunonis inde a gallicana rerum commotione; clausura papalis tamen semper requiritur.

(250) Virginitatis status semper fuit ab Ecclesia laudatus uti nobilissimus, independenter a professione religiosa, et etiam nunc abundant in Ecclesia virgines Deo dicatae, quae vitam monasticam non sequuntur; in antiqua disciplina etiam hae virgines consecrabantur solemniter; in actuali, licet status laudetur, non tamen officiose recognoscitur, propterea Sacra Congregatio de Religiosis, interrogata an liceret episcopo consecrationem virginum illis puellis impertiri, quae statum religionis non arripuerunt, non licere censuit respondendum; nam firmum propositum, ad tam solemnem ritum recipiendum, apud fideles in saeculo viventes non satis constat, et, licet spiritus promptus sit, caro multis tentationibus et periculis infirmatur. Sed exstat

casus talis concessionis a Pio X factae in favorem fundatricis Societatis Virginis, Franciscae Montenegro, brasilianae (1887-1932).

(251) Cum Concilium Tridentinum egressum e clausura ad consecrationem recipiendam, inter praevisos casus non adnumeraverit (sess. 25, cap. V), putaverunt nonnulli hoc amplius non licere; ipse Carolus Borromeus qui consecrationem virginum iterum introducere conatus est, decrevit id fieri debere intra capellam internam communitatis sine egressu e clausura. Vide notam 244, 4. Teste Castaldo, suo tempore Neapoli consecratio fiebat ad crates chori monialium. *SS. caeremoniarium praxis*, Venetiis, 1681, pg. 298. Benedictus XIV tamen, postquam rem totam exposuit, dixit consecrationem fieri debere in ecclesia monialium extra clausuram, et concludit, loquens de modo a Castaldo tradito *Haec consecrationis ratio Pontificali Clementis VIII adversatur*. Institutio 85, n. 31. Id comprobatur responsionibus Sacrae Congregationis ad Concilium Tridentinum interpretandum, quas tradit Benedictus XIV (ibidem n. 30), et etiam auctoritate Benedicti XIII, qui Romae extra clausuram moniales velabat. Instructio S.C. de Religiosis circa monialium clausuram diei 6 Feb. 1924 prohibet tum ingressum celebrantis tum egressum monialium pro vestitione vel professione, de consecratione tacet; standum proinde rubricis PR. AAS, 1924, pg. 95. Vide notam 232.

(252) Partes quaedam ritus consecrationis virginum inter pretiosissimas margaritas Romanae Liturgiae adnumerandae sunt: inter has eminet oratio consecratoria *Castorum corporum benignus habitator,* quam invenies fere in omnibus libris ritualibus pro velatione virginum, cujusque origo repetenda est a sancto Leone Magno. *Tu ei sis honor, tu gaudium, tu voluntas;* et multa alia majestatem ritus summi liturgistae procul dubio ostendunt. Sancta Gertrudes, tot privilegiis Christi Jesu ornata, virgo erat consecrata et abbatissa benedicta; in exercitiis ejus spiritualibus, incipiens a baptismate, ad consecrationem suam nos ducit, ritum consecrationis paraphrasice exponens, ex quo eruitur ritu nostri Pontificalis fuisse consecrata. Gertrudes certe intellexit vitam liturgicam Ecclesiae et nexum inter diversas partes, seu quomodo baptismate et consecratione sua, ad vitam eucharisticam et laudativam, necnon paenitentialem ducta fuit.

Pulchrum commentarium ritus consecrationis virginum tradit De Puniet, Le Pontifical Romain, vol. 2, pg. 143 ss. Consule etiam Thomassin, Ancienne et nouvelle discipline de l'Église, tome 3, cap. 49. Ante promulgationem PR Clementis VIII non unus erat ordo servandus in virginum velatione. In metropolitana Ecclesia Januensi exstat codex saeculi XV diversum exhibens ritum pro velatione virginum, sed est potius ritus professionis religiosae quam consecrationis. Cft. M. Righetti, apud Eph. lit., 1921, pg. 509.

(253) Elapsis saeculis, consecratio virginum quam solemnissime fiebat, et etiam saeculo XVII, aliquibus in locis, usus adhuc vigebat. Hac de re legimus in Itinere italico cl. Mabillon: "Die Dominica apud sanctum Zachariam facta est a Patriarcha (Venetiarum) sex nobilium benedictinarum consecratio, quae *aliquot a professione annis* fieri solet cum magna pompa et multo apparatu". Maius 1685, n. 27.

Parisiis, 1724, tom. I, pg. 34. Benedictus XIII, fere ducentas virgines, teste Catalano, consecravit, PR h.l, n. 12.

(254) Distinctio fieri debet inter velum professionis, cum quo moniales in ecclesia se praesentant, et velum consecrationis ab episcopo solemniter benedicendum et imponendum. Apud Carthusianas velum consecrationis tantum nigrum est; ceteri ordines solent velum nigrum solemniter professis concedere in ipsa die professionis. Sed etiamsi moniales jam receperunt velum nigrum in die professionis, debent, pro consecratione, cum velo albo se praesentare ut postea nigrum recipiant, ita clare apparet in figuris antiquarum editionum PR.

(255) A rubricarum textu aliquantulum discessimus, sequentes, quoad postulationem, regulam a PR statutam pro postulatione ab archidiacono facienda, id est, fit ad altare et sine cantu; nam postulatio cum cantu supponit responsionem cum cantu ab episcopo, quod nunquam fit. In pontificali Durandi tamen postulatio archidiaconi fiebat cum cantu. PR rubricam Durandi mutavit, praecipiens postulationem sine cantu, hoc loco excepto, forsan per oblivionem. Archidiaconus ordinandos praesentat, archipresbyter virgines, maturioris aetatis vir, cui ab episcopo cura virginum committebatur. Rubrica facit archipresbyterum virgines suis locis disponere, sed hoc modo spectat potius ad magistrum caeremoniarium. Usus benedicendi habitum talarem etiam obsolevit; proinde opus non erit papilionem praeparare ad virginum vestes mutandas; proinde etiam eorum egressui et secundo ingressui, de quo loquitur PR, locus jam non est.

(256) Rubrica loquitur de prostratione a virginibus genuflexis *capita profunde quasi usque ad terram, inclinant;* talis prostratio tamen a regulis Romanae Liturgiae aliena est, et prostratio flexis genibus nec ssmo. Sacramento fit, sed tantum profunda capitis, id est, cum parva humerorum inclinatione, quam etiam hic faciendam esse dicimus; insuper cantare capite inclinato et velato non est res ita facilis.

(257) Juxta rubricas non solum vela, annuli et coronae, sed etiam vestes a latere epistolae altaris inde ab initio functionis ponuntur, ibique benedicuntur; hoc tamen fieri nequit propter missam celebrandam et altare incensandum; sufficit si super altare ponantur cum missa interrumpitur. Praeterea sequimur modum pro benedictione insignium episcoporum et aliarum rerum a PR datum, videlicet res episcopo praesentantur cum erunt benedicendae.

(258) Dicimus sufficere si partes cantus quae ad virgines spectant, cantentur ad crates et recitentur submissa voce ab illis, cum nec semper virgines cantum bene calleant. Ita etiam legitur in rubrica PR saeculi XII. Andrieu tome I, pg. 155. Praeterea generatim in die consecrationis virgines nimis commoventur, quod cantum impedit, et plurimae antiphonae cani debent, juxta rubricas, a virginibus in suppedaneo altaris genuflexis, quod practice fieri nequit.

(259) Praecipit PR ut episcopus ponat annulum in digito annulari dexterae manus virginum; tamen juxta usum receptum et a RR confirmatum, annulus sponsalis ponitur in digito annulari sinistrae manus; ita etiam solent facere religiosae quae annulo utuntur, sed standum rubricis. Codices antiqui generatim hac de re silent.

Durandus jubet episcopum annulum in 4.° digitu dexterae manus virginis imponere. Andrieu tome III, pg. 419.

(260) Moniales carthusianae solemniter consecrantur ritu PR, sed, dicta oratione *Da quaesumus... ut hae famulae tuae*, proceditur ad earum *initiationem* quo sequitur ordine:

Pontifex intonat, schola prosequente, antiphonam *Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.*

Virgines singulariter ad suppedaneum accedunt, et episcopus imponit manipulum brachio dextero (sic) primae dicens *Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*

Deinde circumdat stolam collo ejus dicens *Tolle jugum Domini super te, et disce ab eo, quia mitis est et humilis corde.*

Postea pontifex, dans illi crucem, reclinat illam super humero dextero ejus dicens *Abnega temetipsum, et tolle crucem tuam quotidie et sequere Dominum.* Descendit 1ma., ascendit 2da. et pro singulis fit similiter.

Ultima ad locum suum reversa, virgines simul cantant, flexis genibus, antiphonam *Dexteram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit manibus meis inaestimabiles margaritas.*

Finita antiphona, pontifex canit orationem *Te invocamus* et ritum prosequitur ut in PR. Apud Martène, tomus II, pg. 197.

(261) Juxta PR oratio seu potius benedictio *Deus plasmator corporum* dicitur super virgines *stantes humiliter inclinatas*, exceptio certe ad regulam, alias semper datam, de benedictionibus flexis genibus recipiendis.

(262) Decet sane ut ritus consecrationis virginum claudatur benedictione pontificis; in PR ante Durandum pontifex hanc habebat benedictionem *Benedicat te Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus omni benedictione spirituali, ut maneas semper immaculata sub vestimento sanctae Matris Domini nostri Jesu Christi. Qui vivit* etc. Muratori, Liturgia Romana vetus, tomus II, col. 453. Andrieu tome I, pg. 158; tome II, pg. 416. Durandus tamen in sua recensione duas et quidem prolixas adjunxit benedictiones: prima *Deus plasmator corporum,* quae dicitur benedictio sancti Matthaei super monacham (Andrieu tome I, pg. 162; tome III, pg. 421), et 2.ª cujus initium est antiqua benedictio PR saeculi XII, et quae potius dici debet instructio ab episcopo legenda sedens ad faldistorium (ibidem, tome III, pg. 422); utraque doctrinam praefationis reassumit, quasi consecrationem iterans, sed quantum distant ab inspiratione leoniana! Optandum ut in definitiva recensione PR ad antiquam simplicitatem iterum deveniamur. Utraque benedictio stricte loquendo esset cantanda, sed cum sint prolixae legi possunt, ne nimis gravetur pontifex. Baculus et mitra erunt adhibenda pro secunda benedictione, juxta regulam pluries traditam, sunt enim correlativa.

(263) Modus a PR hic traditus de hymno *Te Deum* ad altare canendo omnino concordat cum rubricis MR ad missam solemnem et ad vesperas Sabbati Sancti; latet tamen ratio cur *Te Deum* soleat cantari a celebrante cum suis ministris in plano ante altaris gradus.

(264) Pontificale supponit episcopum cum suis ministris virgines usque ad januam monasterii ducere, sed ordo traditus facilius et melius evolvitur.

(265) Venumdatur (Desclée, Tornaci, 1927) *Rituale pro vestitione et professione monialium ordinis sancti Benedicti,* in quo traditur ritus PR pro virginum consecratione, sed citatio PR omittitur et vocatur tantum *Ritus sacrae professionis*. Ibi plurimae modificationes introductae sunt in prima et in ultima parte ritus PR, quas hic tradimus, licet sint privatae auctoritatis, nam Sanctae Sedis approbatio, juxta canonem 1257 CJC, omnino habenda, desideratur.

Pontificale apprime supponit virgines missae assistere intra clausuram usque ad eorum consecrationem, et tunc, ad invitationem archipresbyteri, ecclesiam ingredi. Rituale Benedictinum ordinem PR invertit, faciens episcopum obviam ire electis ante initium functionis; certe ordo PR plus est juxta rationem et ordinem hierarchicum. Rituale istud simpliciter omittit postulationem ab archidiacono et electionem ab episcopo *Auxiliante Domino,* nam tum privilegio exemptionis, tum ratione incorporationis, uti aiunt, moniales veluti nullius dioceseos habentur. Nequit proinde loci ordinarius eas eligere. Propterea etiam solet abbas auctoritate sua eas consecrare. Electae episcopo praesentant cereos cum quibus in ecclesiam introierunt, nec videtur cur debeant remanere accensi prope genuflexorium toto tempore functionis, etiam dum electae ibi non sunt, vel ad litanias se prosternunt; id certe a mente PR dissonat, nam cur offerre cereum per tot tempus combustum? Patet etiam non agi, sicut vult Rituale istud, de professione monialis, sed de solemni consecratione, praemissa tantum professione. Certe magis juxta sensum Ecclesiae esset, si moniales, expleto triennio votorum simplicium, professionem emitterent juxta Rituale Ordinis, et, expleto saltem alio triennio, cum ad aetatem canonicam pervenissent, solemniter consecrarentur ritu PR, a quo non licet recedere. Id etiam de ceteris monialium ordinibus dici debet. Cft. prolegomena de vi obligatoria PR. Vide *Vie de Dom Guéranger,* vol. 2, pg. 339, ubi de duorum rituum fusione agit auctor, nulla tamen data ratione. PR supponit professionem jam factam fuisse. Vide notam 253.

SIGLA PRO DIAGRAMMATIBUS


1	2 MD	3 SD	4 AP	5 I AD VEL II
6	7 CM I VEL II	8	9 I VEL II	10
11	12	13	14 G	15
16	17	18 C	19 N	20 ff
21 AD	22 AC I VEL II	23 C	24	25 E
26 Æ I VEL II	27 C	28 C	29 C	30 SE

SIGLORUM VALOR

1 — Pontifex.
2 — Diaconus ministrans.
3 — Subdiaconus.
4 — Presbyter assistens.
5 — Diaconus assistens.
6 — Ordinandus.
7 — Caeremoniarum magister.
8 — Subdiaconus cruciferarius.
9 — Acolythus ceroferarius (cum vel sine cereo).
10 — Minister de mitra.
11 — Minister de baculo.
12 — Minister de libro.
13 — Minister de scotula.
14 — Minister de gremiali et de ampullis.
15 — Acolythus thuriferarius.
16 — Minister de aqua lustrali.
17 — Clericus cum funali.
18 — Cantor.
19 — Notarius.
20 — Familiares episcopi.
21 — Archidiaconus.
22 — Capellanus assistens.
23 — Caudatarius.
24 — Claviger.
25 — Episcopus seu abbas electus.
26 — Episcopus seu abbas assistens.
27 — Capellanus electi.
28 — Capellanus 1mi. assistentis.
29 — Capellanus 2di. assistentis.
30 — Secretarius electi.

I

CONFIRMATIO




(A) — STRATUM (C) — CONFIRMANDUS (P) — PATRINUS

II

ORDINATIONES

1) • ADMONITIO GENERALIS ET CLERICORUM VOCATIO




(A) – CRUCIFERARIUS METROPOLITÆ

ORDINATIONES

III


2) • AD LITANIAS



IV

ORDINATIONES

3) • TRADITIO CALICIS SUBDIACONIS



ORDINATIONES

V


4) • MANUUM IMPOSITIO PRESBYTERIS AB EPISCOPO



-PRESBYTER MANUS IMPOSITURUS


ORDINATIONES

5) • MANUUM IMPOSITIO A PRESBYTERIS



ORDINATIONES


6) • OFFERTORIUM CANDELARUM AD THRONUM



VIII

ORDINATIONES


7) • CONCELEBRATIO - AD CONSECRATIONEM



IX

ORDINATIONES


8) • OFFERTORIUM CANDELARUM AD FALDISTORIUM



X

ORDINATIONES


9)º MISSA PONTIFICALIS LECTA-AD INTROITUM



XI


ORDINATIONES

10)• ORDINATIO LECTA-VESTITIO SUBDIACONI



ORDINATIONES


11) • OFFERTORIUM CANDELARUM AD ALTARE



XIII

ORDINATIONES


12) • MISSA PONTIFICALIS LECTA-CONCELEBRATIO



CONSECRATIO EPISCOPI

XIV

1)• POSTULATIO




- CRUCIFERARIUS METROPOLITÆ

(1)- ALTARE ELECTI

CONSECRATIO EPISCOPI

XV


2) • MISSA SOLEMNIS-PS. JUDICA



CONSECRATIO EPISCOPI

XVI


3)• MISSA SOLEMNIS-AD INTROITUM



CONSECRATIO EPISCOPI

XVII


4) • AD LITANIAS



CONSECRATIO EPISCOPI

XVIII


5)• MANUUM IMPOSITIO



CONSECRATIO EPISCOPI

XIX


6) • UNCTIONES



CONSECRATIO EPISCOPI

XX


7) • OFFERTORIUM AD THRONUM



CONSECRATIO EPISCOPI

XXI


8) • CONCELEBRATIO-AD CONSECRATIONEM



CONSECRATIO EPISCOPI

XXII


9) • INTHRONIZATIO AD FALDISTORIUM



CONSECRATIO EPISCOPI

XXIII


10) • INTHRONIZATIO AD THRONUM



CONSECRATIO EPISCOPI

XXIV


11) • MISSA PONTIFICALIS LECTA-JUDICA



CONSECRATIO EPISCOPI

XXV


12) • OFFERTORIUM AD ALTARE



CONSECRATIO EPISCOPI


XXVI

13)• MISSA PONTIFICALIS LECTA — CONSECRATIO



XXVII

PALLII IMPOSITIO




MC - MITRA COMMISSARII

AE I VEL II - ACOLYTHUS ELECTI

XXVIII


ABBATISSÆ INTHRONIZATIO



VIRGINUM CONSECRATIO

XXIX

AD LITANIAS



TOMUS I

INDICES

TOMUS I

RERUM CONSPECTUS

Praefatio VII
Sigla usitata IX
Notae bibliographicae X

PROLEGOMENA AD ROMANUM PONTIFICALE

CAPUT I

De Romani Pontificalis dignitate 1

CAPUT II

De obligatione Romani Pontificalis, de editionibus, deque partibus ejus

Art. I. De obligatione Pontificalis 2
Art. II. De editionibus Pontificalis 3
Art. III. De partibus Pontificalis 3

CAPUT III

De ritibus obsoletis Pontificalis Romani

Art. I. In prima parte Pontificalis 5
Art. II. In secunda parte Pontificalis 6
Art. III. In tertia parte Pontificalis 6

CAPUT IV

Regulae generales servandae

Pontifex 11
Sacri ministri 14
Presbyter et diaconi assistentes 15
Capellani assistentes 15
Caeremoniarum magistri 16

Ministri inferiores 17
Cantores 19
Chorus 19
Reverentiae et genuflexiones 20
Sacramentum 20
Praelatus superioris gradus 20
Thronus 21
Sacra elementa 21
In fine functionum 22

CAPUT V

De vestibus episcopi in sacramentis vel sacramentalibus administrandis

I. Vestes praelatitiae 22
II. Vestes sacrae 23
III. Stola tantum 23
IV. Mitra 24
V. Qualitas mitrae 24
VI. Baculus 24

CAPUT VI

De functionibus Pontificalis Romani a praelatis inferioribus obeundis

I. Abbates et praelati nullius 25
II. Abbates benedicti 26
III. Septem protonotarii participantes 26
IV. Protonotarii ad instar 27

Notae ad Prolegomena 29

Sectio I

DE CONFIRMATIONE

Titulus I

PROLEGOMENA

CAPUT I

De ministro, de tempore et de loco confirmationis 39

CAPUT II

De subjecto confirmationis 40

CAPUT III

De patrinis adhibendis 42

CAPUT IV

De servandis ante et post confirmationem 44

Titulus II

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONES SOLEMNITER CONFERENDO UNI VEL PLURIBUS

CAPUT I

Clerus inserviens et regulae servandae 45

CAPUT II

De praeparandis 45

CAPUT III

Ritus Confirmationis

Art. I. Praeparatio et invocatio 47
Art. II. Confirmatio A) Sedens ad faldistorium 49
B) Ambulans per ecclesiam 50
Art. III. Ritus finales 51

Titulus III

DE RITIBUS ALIQUANDO ADHIBENDIS

CAPUT I

De sacramento confirmationis privatim conferendo 53

CAPUT II

De confirmatione a praelatis inferioribus conferenda 54

Notae ad Sectionem I 57

Sectio II

DE ORDINIBUS CONFERENDIS

Titulus I

PROLEGOMENA

CAPUT I

De ministro ordinationum 63

CAPUT II

De subjecto ordinationum 64

CAPUT III

De tempore ordinationum 65

CAPUT IV

De loco ordinationum et de assistentia cleri 66

CAPUT V

De clerico faciendo 68

CAPUT VI

De minoribus ordinibus conferendis 68

CAPUT VII

De subdiaconatu 69

CAPUT VIII

De diaconatu 70

CAPUT IX

De presbyteratu 70

CAPUT X

De essentia presbyteratus 71
Excursus 72

CAPUT XI

De ritu missae ordinationum 74

Titulus II

DE SOLEMNI ORDINATIONE GENERALI AB ORDINARIO CELEBRATA IN SABBATIS ORDINUM

CAPUT I

Clerus inserviens et regulae servandae

Art. I. Clerus ordinationis 77
Art. II. Regulae servandae 78
Ordo in vocatione servandus 82

CAPUT II

De praeparandis 83

CAPUT III

Ritus servandus

Art. I. Praeparatio et initium missae 88
Art. II. De clericis initiandis 92

Art. III. Continuatio missae 96
Art. IV. Ordinatio ostiariorum 97
Art. V. Continuatio missae 99
Art. VI. Ordinatio lectorum 99
Art. VII. Continuatio missae 101
Art. VIII. Ordinatio exorcistarum 101
Art. IX. Continuatio missae 101
Art. X. Ordinatio acolythorum 101
Art. XI. Continuatio missae 103
Art. XII. Ordinatio subdiaconorum 103
Art. XIII. Continuatio missae 107
Art. XIV. Ordinatio diaconorum 108
Art. XV. Continuatio missae 112
Art. XVI. Ordinatio presbyterorum 112
Art. XVII. Continuatio missae et offertorium 118
Art. XVIII. Concelebratio missae 120
Art. XIX. Communio ordinatorum 122
Art. XX. Ritus ad ordinationem presbyterorum complendam 124
Art. XXI. Finis missae 126

Titulus III

DE SOLEMNI ORDINATIONE GENERALI AD FALDISTORIUM IN SABBATIS ORDINUM

CAPUT I

Regulae servandae 131

CAPUT II

De praeparandis 132

CAPUT III

Ritus servandus

Art. I. Praeparatio et initium missae 135
Art. II. De clericis initiandis 138
Art. III. Continuatio missae 139
Art. IV. Ordinatio ostiariorum 140
Art. V. Continuatio missae 141
Art. VI. Ordinatio lectorum 141
Art. VII. Continuatio missae 141
Art. VIII. Ordinatio exorcistarum 142
Art. IX. Continuatio missae 142
Art. X. Ordinatio acolythorum 142
Art. XI. Continuatio missae 142
Art. XII. Ordinatio subdiaconorum 142

Art. XIII. Continuatio missae 142
Art. XIV. Ordinatio diaconorum 143
Art. XV. Continuatio missae 144
Art. XVI. Ordinatio presbyterorum 144
Art. XVII. Continuatio missae et offertorium 145
Art. XVIII. Concelebratio missae 147
Art. XIX. Communio ordinatorum 148
Art. XX. Ritus ad ordinationem presbyterorum complendam 148
Art. XXI. Finis missae 149

Titulus IV

DE ORDINIBUS MAIORIBUS SOLEMNITER CONFERENDIS UNI VEL PLURIBUS EXTRA TEMPORA

PARS I: AD THRONUM

CAPUT I

Praenotanda et regulae servandae 151

CAPUT II

De praeparandis 152

CAPUT III

Ritus servandus

Art. I. Praeparatio et vestitio 153
Art. II. Celebratio missae 153
Art. III. Ordinatio subdiaconorum 154
Art. IV. Ordinatio diaconorum 154
Art. V. Ordinatio presbyterorum 155
Art. VI. Continuatio missae et offertorium 155
Art. VII. Concelebratio missae et communio 155
Art. VIII. Ritus finales et finis missae 156

PARS II: AD FALDISTORIUM

CAPUT I

Praenotanda et praeparanda 156

CAPUT II

Ritus servandus

Art. I. Praeparatio et initium missae 157
Art. II. Ordinatio subdiaconorum 157
Art. III. Ordinatio diaconorum 157
Art. IV. Ordinatio presbyterorum 157

Titulus V

DE ORDINIBUS CONFERENDIS PRIVATIM SEU SINE CANTU

PARS I: DE ORDINIBUS MAIORIBUS CONFERENDIS INTRA MISSAM LECTAM PONTIFICALEM UNI VEL PLURIBUS

CAPUT I

Praenotanda 159

CAPUT II

Clerus ordinationis et regulae servandae 160

CAPUT III

De praeparandis 163

CAPUT IV

Ritus servandus

Art. I. Praeparatio et initium missae 166
Art. II. Ordinatio subdiaconorum 170
Art. III. Continuatio missae 171
Art. IV. Ordinatio diaconorum 171
Art. V. Continuatio missae 172
Art. VI. Ordinatio presbyterorum 172
Art. VII. Continuatio missae et offertorium 173
Art. VIII. Concelebratio missae 174
Art. IX. Communio ordinatorum 175
Art. X. Ritus ad ordinationem presbyterorum complendam 177
Art. XI. De fine missae 177

PARS II: DE CLERICIS INITIANDIS ET DE MINORIBUS ORDINIBUS CONFERENDIS INTRA MISSAM LECTAM UNI VEL PLURIBUS

CAPUT I

Praenotanda et praeparanda 180

CAPUT II

Ritus servandus

Art. I. Praeparatio et initium missae 182
Art. II. Initiatio clericorum 182
Art. III. Continuatio missae 185
Art. IV. Ordines minores 185
Art. V. Continuatio missae 185

CAPUT III

De tonsura et ordinibus minoribus quando una cum maioribus in missa lecta pontificali conferuntur 187

PARS III: DE CLERICIS INITIANDIS ET DE MINORIBUS ORDINIBUS CONFERENDIS EXTRA MISSAM UNI VEL PLURIBUS..

Art. I. Ante missam episcopi 187
Art. II. Sine missam 188

Titulus VI

DE ORDINATIONIBUS HABENDIS IN SABBATO SANCTO

PARS I: SOLEMNITER AD THRONUM

CAPUT I

Praenotanda et praeparanda 191

CAPUT II

Ritus servandus

Art. I. Officium lucernale 192
Art. II. Hora nona et vestitio 193
Art. III. Officium stationale praebaptismale et baptismale 194
Art. IV. Missa et vesperae 197

PARS II: SOLEMNITER AD FALDISTORIUM

CAPUT I

Praenotanda et praeparanda 200

CAPUT II

Ritus servandus

Art. I. Officium lucernale 201
Art. II. Officium stationale praebaptismale et baptismale 202
Art. III. Missa et vesperae 204

PARS III: ORDINATIO LECTA

CAPUT I

Praenotanda et praeparanda 204

CAPUT II

Ritus servandus

Art. I. Officium stationale et litaniae 205
Art. II. Missa et vesperae 207

Titulus VII

DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS

CAPUT I

De essentia ordinum 211

CAPUT II

De supplendis defectibus tempore ordinationum 213

CAPUT III

De ordinatione iteranda 213

CAPUT IV

De ritibus supplendis 216
Notae ad sectionem II 217

Sectio III

DE EPISCOPORUM CONSECRATIONE

Titulus I

PROLEGOMENA

CAPUT I

De ministro principali et de coadjutoribus consecrationis 235

CAPUT II

De subjecto consecrationis 236

CAPUT III

De tempore et loco consecrationis et de jejunio servando 237

Titulus II

DE SOLEMNIN CONSECRATIONE AD THRONUM UNIUS ELECTI IN EPISCOPUM

CAPUT I

Clerus consecrationis 239

CAPUT II

Regulae servandae 240

CAPUT III

De praeparandis 244

CAPUT IV

Ritus servandus

Art. I. Praeparatio ad consecrationem
- A) Consecrator se vestit in secretario 250
- B) Consecrator se vestit in presbyterio cum cantu tertiae 253
- C) Consecrator se vestit in presbyterio sine cantu tertiae 255

Art. II. Postulatio et examen 256
Art. III. Missa usque ad consecrationem electi 259
Art. IV. Consecratio electi 262
Art. V. Continuatio missae et offertorium 270
Art. VI. Concelebratio et communio 273
Art. VII. Inthronizatio et ritus finales
- A) Traditio mitrae et chirothecarum 277
- B) Inthronizatio ad faldistorium 278
- C) Inthronizatio ad thronum 281
- D) Ritus finales 283

Titulus III

DE SOLEMNI CONSECRATIONE AD FALDISTORIUM UNIUS ELECTI IN EPISCOPUM

CAPUT I

Praenotanda et regulae servandae 287

CAPUT II

De praeparandis 288

CAPUT III

Ritus servandus

Art. I. Praeparatio ad consecrationem 289
Art. II. Postulatio et examen 291
Art. III. Missa usque ad consecrationem electi 291
Art. IV. Consecratio electi 292
Art. V. Continuatio missae et offertorium 292
Art. VI. Concelebratio et communio 293
Art. VII. Inthronizatio et ritus finales 294

Titulus IV

DE CONSECRATIONE LECTA UNIUS ELECTI IN EPISCOPUM

CAPUT I

Praenotanda 297

CAPUT II

Clerus consecrationis et regulae servandae 298

CAPUT III

De praeparandis 299

CAPUT IV

Ritus servandus

Art. I. Praeparatio ad consecrationem
- A) Si consecrator sit loci ordinarius vel praelatus superioris gradus 301
- B) Si consecrator sit episcopus extraneus vel titularis 302

Art. II. Postulatio et examen 303
Art. III. Missa usque as consecrationem electi 303
Art. IV. Consecratio electi 305
Art. V. Continuatio missae et offertorium 306
Art. VI. Concelebratio et communio 307
Art. VII. Inthronizatio et ritus finales 309

Titulus V

DE CONSECRATIONE PLURIMORUM ELECTORUM IN EPISCOPOS

CAPUT I

Praenotanda et regulae servandae 311

CAPUT II

De praeparandis 312

CAPUT III

Ritus servandus

Art. I. Praeparatio 313
Art. II. Postulatio et examen 314
Art. III. Missa usque ad consecrationem electorum 314
Art. IV. Consecratio electorum 314
Art. V. Continuatio missae et offertorium 315
Art. VI. Concelebratio et communio 316
Art. VII. Inthronizatio et ritus finales 316

Titulus VI

DE RITIBUS ALIQUANDO SERVANDIS

CAPUT I

De episcoporum consecratione a romano Pontifice 319

CAPUT II

De episcoporum consecratione a SRE Cardinali 320

CAPUT III

De consecratione SRE cardinalis

A) Ab alio cardinali 321
B) Ab episcopo 322

CAPUT IV

Consecratio loci ordinarii in ecclesia sua 323
Consecratio legati apostolici 324

Titulus VII

DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS

CAPUT UNICUM 327

Excursus

De consecratione Summi Pontificis 328

Notae ad sectionem III 331

Sectio IV

DE SACRO PALLIO

Titulus I

PROLEGOMENA

CAPUT I

De sacri pallii confectione et benedicitone 341

CAPUT II

De subjecto sacri pallii 341

CAPUT III

De sacri pallii postulatione 342

CAPUT IV

De usu et custodia sacri pallii

Art. I. Ante receptionem 343
Art. II. De sacri pallii usu 344
Art. III. Episcopi sacro pallio ornati 347
Art. IV. De sacri pallii custodia 347
Art. V. De sepultura praelati sacro pallio ornati 348

Titulus II

DE IMPOSITIONE PRIVATA SACRI PALLII IN CURIA ROMANA

CAPUT I

Praenotanda 349

CAPUT II

Impositio a cardinali protodiacono 349

CAPUT III

Impositio a Summo Pontifice 350

CAPUT IV

Impositio procuratori 351

Titulus III

DE SOLEMNI IMPOSITIONE SACRI PALLII ELECTO IN ECCLESIA SUA

CAPUT I

Praenotanda 353

CAPUT II

De praeparandis 354

CAPUT III

Ritus servandus celebrante commissario ad thronum

Art. I. Missa 355
Art. II. Ad capellam electi 356
Art. III. Ad altare 356
Art. IV. Sacri pallii traditio 357
Art. V. Veneratio 359
Art. VI. Si commissarius missam non celebrat 360

CAPUT IV

Ritus servandus si commissarius vel electus sit SRE cardinalis

Art. I. Si commissarius sit SRE cardinalis 361
Art. II. Si electus sit SRE cardinalis 362

CAPUT V

Ritus servandus si commissarius sit delegatus apostolicus 362

CAPUT VI

Impositio pallii post consecrationem 363

CAPUT VII

Impositio pallii post receptionem 364

CAPUT VIII

Impositio pallii episcopis 364

Titulus IV

DE PRIVATA IMPOSITIONE PALLII EXTRA URBEM 367

Titulus V

VENERATIO PALLII

Caput unicum 369

Notae ad sectionem IV 371

Sectio V

DE ABBATUM BENEDICTIONE

Titulus I

PROLEGOMENA

CAPUT I

De ministro benedictionis 381

CAPUT II

De subjecto benedictionis 382

CAPUT III

De requisitis ante benedictionem 384

CAPUT IV

De tempore et loco benedictionis, de jejunio et ritu servando 384

Titulus II

DE SOLEMNI BENEDICTIONE ABBATIS IN ECCLESIA SUA A LOCI ORDINARIO

CAPUT I

Clerus benedictionis et regulae servandae 387

CAPUT II

De praeparandis 389

CAPUT III

Ritus servandus

Art. I. Praeparatio ad benedictionem 390
Art. II. Postulatio et examen 391

Art. III. Missa usque ad benedictionem electi 392
Art. IV. Benedictio electi 392
Art. V. Continuatio missae et offertorium 396
Art. VI. Missa ad altare et communio 397
Art. VII. Inthronizatio et ritus finales

A) Traditio mitrae et chirothecarum 400
B) Inthronizatio 400
C) Ritus finales 401

CAPUT IV

Ritus aliquando in hoc titulo servandi

Art. I. Si celebrans sit episcopus extraneus 402
Art. II. Si celebrans sit SRE cardinalis 403

Titulus III

DE SOLEMNI BENEDICTIONE AD FALDISTORIUM UNIUS ELECTI IN ABBATEM 405

Titulus IV

DE BENEDICTIONE LECTA UNIUS ELECTI IN ABBATEM

Praenotanda 407
Ritus servandus 407

Titulus V

DE BENEDICTIONE PLURIMORUM ELECTORUM IN ABBATES

CAPUT I

Praenotanda et praeparanda 409

CAPUT II

Ritus servandus 411

Notae ad sectionem V 413

Sectio VI

DE ABBATISSAE BENEDICTIONE

Titulus I

PROLEGOMENA 423

Titulus II

DE SOLEMNI BENEDICTIONE ABBATISSAE IN ECCLESIA SUA A LOCI ORDINARIO

CAPUT I

Clerus benedictionis et regulae servandae 427

CAPUT II

De praeparandis 427

CAPUT III

Ritus servandus

Art. I. Receptio episcopi et missa usque ad benedictionem 429
Art. II. Benedictio abbatissae 430
Art. III. Continuatio missae et offertorium 433
Art. IV. Infra actionem et communio 434
Art. V. Inthronizatio et ritus finales 435

Titulus III

RITUS ALIQUANDO SERVANDI

CAPUT I

Solemnis benedictio abbatissae ad faldistorium 439

CAPUT II

Benedictio lecta abbatissae 439
Notae ad sectionem VI 441

Sectio VII

DE BENEDICTIONE ET CONSECRATIONE VIRGINUM

Titulus I

PROLEGOMENA 447

Titulus II

DE BENEDICTIONE ET CONSECRATIONE VIRGINUM A LOCI ORDINARIO

CAPUT I

Clerus consecrationis et regulae servandae 449

CAPUT II

De praeparandis 451

CAPUT III

Ritus servandus

Art. I. Missa usque ad virginum consecrationem 452
Art. II. Postulatio et vocatio 453
Art. III. Litaniae et vestium benedictio 455
Art. IV. Consecratio virginum 457
Art. V. Missae continuatio 462
Art. VI. Traditio breviarii et gratiarum actio 464

Titulus III

RITUS ALIQUANDO SERVANDI

CAPUT I

Consecratio monialium ordinis sancti Benedicti 467

CAPUT II

Consecratio monialium ordinis sancti Norberti 469
Notae ad sectionem VII 471

DIAGRAMMATA

Sigla pro diagrammatibus 479
Siglorum valor 480
Diagrammata XXIX

INDICES

Rerum conspectus 483
Notarum index 501

TOMUS I

NOTARUM INDEX

ABBAS:

ad honorem quis sit 202

quoad benedictionem:

a jure requiritur 195
a presbytero dandam 190
a vicario seu praefecto apostolico dandam 191
a loci ordinario fieri debet 192
auctoritate ordinarii: ordo rituum 206
si sit nullius dioecesis 196
dari nequit ad tempus 193
interrogationes faciendae 211
lotio manuum ante vestitionem abbatis 210
manuum impositio 213
quomodo ad altare genuflectit 217
quo ritu sacram communionem recipit 219
osculum pacis post obedientiam, quo ritu dandum 221
quo ritu benedicit post inthronizationem 222
baculi et annuli traditio non est privilegium pontificalium 215

coadjutor, quando concedendus 199
confirmatio electionis ab abbate praeside 205
episcopali titulo ornatus 204
quoad usum pontificalium 207
regularis de jure ad vitam eligitur 201
resignatarius quoad titulum 194
saecularis quis sit 203
titularis quando eligitur 200

ABBATISSA:

quoad benedictionem:

quae eam recipere debet 229
quae eam recipere nequit 230
extra clausuram fieri debet 232
si fit in ecclesia aliena 231
dari nequit ad tempus neque iterari 225

consecrationem virginalem supponit 227
si fiat a metropolita, sacro ornabitur pallio 235
baculus et annulus debent pridie benedici 236
genuflectere debet episcopo 237
ejus inthronizatio fieri nequit ad thronum episcopi 234
jurisjurandi formula 228
pacis osculum dari potest cum instrumento 238
jure utitur cruce pectorali et annulo 233
et in solemnitatibus etiam baculo 233
utrum sit in dignitate constituta 223
nullius dioecesis antiquitus exstabat 230
ad triennium in Italia eligebatur 224

ACCIPE SPIRITUM SANCTUM:

in episcoporum consecratione 133
non pertinet ad essentiam ordinum maiorum 116

ALBA:

quando adhibenda 15
ordinandi eas simplices et aequales habeant 51

ALTARE:

nec omnia insignia seu vestes ab eo sumuntur 64

ANDRIEU:

Le Pontifical romain au moyen âge 5, et passim

BACULUS PASTORALIS:

adhibendus a cardinali archipresbytero in Urbe 91
ejus minister 14
sine sacris vestibus non est adhibendus 25
accipiendus pro finali benedictione presbyterorum 88

BATIFFOL:

Pontificale effert laudibus 1

BATTISTINI:

editio PR post codicem 7

CAEREMONIARII:

in ordinandorum vestitione quomodo se gerunt 70

CANDELABRA:

ad cantum orationis nonae 58
eorum numerus in liturgia romana 208

CANDELAE:

in ordinationibus quando adhibendae 59
an accensae 59
ad litanias 69
si tonsurae et ordines minores seorsim conferantur 104

CANONICI:

in functionibus PR 12
regulares quoad benedictionem abbatialem 197

CANTUS:

ad ritus concomitandos, quaenam regulae servandae 103

CASULA:

in presbyteri ordinatione, cur involuta 86

CHORUS:

regulae ab eo servandae in missa lecta pontificali 96

CLERICALIS INITIATIO:

claves symbolicae inserviunt 54
verba *Dominus pars* utrum sint de essentia 113
fieri expedit intra missam 102

COLOR VESTIUM:

in episcoporum consecratione 127
ordinandorum 47
pro sacramento confirmationis 29
in sacri pallii traditione 180

CONCELEBRATIO:

ab abbate modo benedicto 218
in episcopi consecratione 141
ritus servandus 142
orationes incensationis seu benedictionis aquae et incensi 143
cantus *Sanctus* et *Agnus Dei* 144

CONFIRMATIO:

aetas ad eam recipiendam 27
jejunium servandum 26
manuum extensio 33
manus impositio 35
offertorium 37
usus ligandi frontem post unctionem 36

CONSECRATIO EPISCOPI:

assistentes:

an sint co-consecratores 121
omnia recitant cum consecratore 126
quot 122
ex ordine sacerdotali 123

inthronizatio solemnis post missam lectam 151
insignia tradenda benedici possunt ante functionem 147
an fieri possit solemniter intra missam lectam 148
in ecclesia sua 125-156
a summo pontifice 155
solemniter fiebat 145
consecrator ubi se sistit dum electus praeparationem facit 149
suffraganei, a quo facienda 119
In Urbe a quo facienda 120
mappae in consecratione adhibendae quot 128
Oremus ante *Aufer a nobis* quomodo recitandum 150

plurimorum episcoporum:

offertorium 153
orationes 152
an singuli pacem dare debent suis assistentibus 154

baculus et annulus pridie benedici possunt 147
praeparatio quando facienda 130
pulvinum ab electo quando adhibendum 131
formula jurisjurandi in locis haereticorum 124

DIACONI ASSISTENTES:

dum episcopus facit praeparationem ad missam 57

ELLARD:

Ordination Anointings 136

EPISTOLA ET EVANGELIUM:

cani debent a modo ordinatis 72
sed in ordinatione lecta non recitantur 100

EVANGELISTARIUM:

ejus traditio diaconis et episcopis 137

FLECTAMUS GENUA:

quando omittendum 62

GENUFLEXORIUM:

adhibendum in concelebratione:

ab abbate modo benedicto 217
a novis presbyteris 56

GREMIALE:

in ordinationibus 63

INCENSATIO:

neo ordinati in sacris a quo facienda 81

INSTRUMENTA ORDINUM:

super gremium episcopi locantur 65
eorum tactus quo ritu faciendus 66
eorum traditio in ordinibus minoribus, utrum pertineat ad essentiam 114

INTROITUS:

ordo servandus in ordinatione ad faldistorium 93

LEROQUAIS:

Pontificale laudibus effert 2
Les Ponticaux manuscrits, 5 et passim:

LINTEUM:

ad manus sacerdotum aptandas 78

LITANIAE:

locus episcopi seu abbatis electi dum cantantur 132
dum episcopus cantat invocationes, presbyter assistens librum non sustinet 112
in ordinatione sabbati Sancti, quando recitantur 110

LOTIO MANUUM:

ante confirmationem 31
ante functiones 9
ab abbate electo 210

MANIPULUS:

promovendi ad subdiaconatum 60

MANUS IMPOSITIO:

in benedictione abbatis 213
in ordinatione diaconi 73
in ordinatione presbyteri, quando facienda 77

quomodo facienda 76
sacerdotes manus impposituri quot 75
antiquitus fiebat sub silentio pro omnibus 133

MENSA:

in functionibus ad thronum aderit parva mensa prope ipsum 53

MISERRATUR:

post *Confiteor* cum cantu dicitur elata voce sine cantu 83

MITRA:

ejus minister 14
in missa lecta non est adhibenda 105
assistentium 22
auriphrygiata 20-21
ab episcopo non parato 19-25
protonotarii *ad instar* quando confirmat 39
e serico albo jure ab episcopis adhibetur 23
pro manus impositione semper adhibebatur 73
quando deponenda 10
a quo ponenda seu auferenda 95

MOLITOR:

de benedictionis abbatialis effectibus 193

MONACHI:

quoad benedictionem abbatialem 198

MUTATIONES:

in PR 6
a religiosis ordinibus fieri nequeunt 8

OFFERTORIUM:

candelarum ad thronum 79
unius candelae pro omnibus ordinatis 80
in missa pontificali ad thronum, ibi fit 79-139

OLEUM SANCTUM:

antiquitus quodnam erat 118

OMNIUM DEUS FONS BONORUM:

ad abbatialem benedictionem claudendam 214

ORATIONUM CONCLUSIO:

quando brevis, quando longa 221

ORDINANDI:

in sacris:

si tunicae seu dalmaticae desiderantur 50
planetae adsint pro omnibus presbyteris 52
spiritualibus exercitiis vacent 44

ORDINATIO:

si missa sit lecta, omnia sunt legenda 98
litaniae a quo recitandae 99
dies quibus haberi potest 41 42 43
in festo duplici 40

presbyteri:
ritus in communione servandus 101
Credo in fine recitandum 85
linteum ad manus aptandas 78
dubia de ejus valore quomodo deponenda 117

ORDINES MINORES:

expedit illos intra missam dare 103

OSCULUM:

altaris:
si faldistorium sit in suppedaneo 61
ante osculum pacis 82
ante benedictionem solemnem 183

evangelii:
ab electo in ejus consecratione 138
ante introitum in ordinatione lecta 97
faciei post obedientiam 87

pacis:
in ordinatione lecta detur tantum ordinatis in sacris 106
in benedictione abbatis quomodo dandum 216

PAENITENTIA:

promoti ad subdiaconatum seu ad diaconatum 89
promoti ad presbyteratum 90

PALLIUM:

adhibendum est in benedictione abbatis 209
vel etiam abbatissae 235
festa DNJC Regis et ejus ss. Cordis sunt dies pallii 169
non vero ss. Luci et Marci seu Barnabae vel mysteriorum vitae apostolorum 170

si dies non sit de pallio, metropolita sine eo celebret 174
eo uti licet sub dio 173

commissarius:

unus esto 178
delegatus seu nuntius apostolicus 188

impositio:

a cardinali primo diacono 177
statim post consecrationem 189
a Summo Pontifice 177

missa:

a quo celebranda 186
missa *Sacerdotes tui* 179
electus quo loco de vestit in pontificalibus 181
si tum commissarius tum episcopus sint cardinales 187
postulatio personaliter facienda 163

ante ejus receptionem:

nequit praelatus insignia archiepiscopalia adhibere 164
neque cum caligis et chirothecis celebrare 167
neque ecclesias consecrare 166
potest tamen synodum convocare 165
praecedentiam nullam concedit episcopis 175
et crux sunt correlativa 176
quomodo induendum 182
extra provinciam non conceditur 168
neque extra missarum solemnia 171
episcopus eo utitur sine praejudicio juris metropolitae 161
metropolita eo non utitur coram cardinali 161
summus pontifex eo utitur ubique et semper 159
patriarchis conceditur 162
sedes episcopales eo ornatae 160
non est adhibendum ad faldistorium 172
ejus veneratio fieri expedit 185
ritus olim Cantuariae observatus 184

PICCOLOMINI:

de usu mitrae regulas dat 10

PATRINUS:

confirmandi absens 28
quomodo electum praesentat 34

PILEOLUM:

subtus mitram adhibendum 146

PONTIFICALE:

editio ad normam CJC 7
editio Pustet 11
ejus historia 5
PR ad ordines conferendos unum adhibendum 3

PONTIFICALIA:

suppressa 4

PRAEFATIO:

interrumpitur pro unctione capitis episcopi 134

PRESBYTER ASSISTENS:

in ordinationibus 45

PRIMA TONSURA:

ad eam recipiendam regulares gaudent praecedentia 46
post tonsuram non licet clericis imponere rochetum loco superpellicei ... 48

PSALMI PAENITENTIALES:

in benedictione abbatis cur recitantur 212

PUERI:

qui sacris ritibus inserviunt servare debent leges liturgicas 13

PURIFICATIO:

post communionem ordinandorum omittitur 84

SABBATUM SANCTUM:

ignis a quo benedicendus 107
intimatio generalis, quando facienda 111
hora nona quoad assistentes 108
litaniae quando recitandae 110
dum episcopus cantat invocationes presbyter assistens librum non sustinet 112
officium ordinationis quando incipitur 109

SACERDOS:

neo presbytero assistit ubi talis viget usus 56

SCOTULA:

non est adhibenda in ordinatione acolythi, loco candelabri 55

SUBDIACONATUS:

quaenam pars essentialis ritus 115

SUPERPELLICEUM:

ab episcopis adhibendum 18
ordinandi eas habeant simplices et aequales 51
induendum a clericis post tonsuram 49

STOLA:

sine aliis sacris vestibus quomodo adhibenda 16
super mozeta non assumitur 17-25
adhibenda pro impositione manuum presbyteris 74-94

SUPPEDANEUM:

non est locus vestitionis 30

THRONUS:

concedendus ab episcopo residentiali suo consecratori 157

UNCTIO MANUUM:

episcopi seu presbyteri 137

URCEOLUS:

in acolythorum ordinatione 67
formula dicitur *communiter omnibus* 68

VENI CREATOR:

ante confirmationem 32

VESTITIO:

episcopi in presbyterio seu ad altare non commendatur 92-129
subdiaconi fit in fine ordinationis 71

VIRGINUM CONSECRATIO:

antiquitus erat fere ubique recepta 243
obsolevit tamen et cur 244
fieri debet ab episcopo 239
privilegium abbatum hac de re 240
dari nequit virginibus saecularibus 250
fit extra clausuram 251
benedictiones ad ritum claudendum 262
canonicissae eam recipiunt 246
et plurimae congregationes monialium 245
carthusianae eam semper receperunt 260
mendicantibus non datur 247

neque monialibus visitationis 248
antiphonae ab electis cantandae 258
annulus in qua manu ponendus 259
postulatio quomodo facienda 255
prostatio quomodo fieri debet 256
ritus in cantu *Te Deum* servandus 263
oratio *Deus plasmator corporum* dicitur super virgines stantes et inclinatas 261
velatio fieri debet cum velo nigri coloris 254
quomodo episcopus virgines ad monasterium ducit 264
vestes seu insignia ubi praeparanda 257
ritus a monialibus OSB servandus 265
pars essentialis ritus est velatio cum praefatione consecratoria 241
consecratio non est votum virginitatis neque professio religiosa 242-265
virginitatis propositum requiritur 243
ritus pulchritudo 252
fiebat solemnissime 253
vota solemnia quae simplicibus aequiparantur consecrationem non impediunt 249

VIRGINITAS:

ad benedictionem abbatialem recipiendam requiritur 226

1945
IMPRENSA NACIONAL
RIO DE JANEIRO — BRASIL

IMPRENSA